

Armada

Observatorio de San Fernando

BIBLIOTECA

Núm. del

Sección

Carpeta

Estante

Tomo

Observatorio de Marina
BIBLIOTECA

Núm. 5414



*Carolus de Brassas Comes
Tornaci Bdro Montis Falconis Regi
a Consilio in suprema Burgundie
Curia praeses insulatus
Reg. Hum. Litt. et ins. Acad. Socius
Honorarius*



2014

Ex dono J. D. Bouhier In Suprema Burgundia Curia
Avalidis Anno 1712



SVMMMA PRIVILEGII.

Ordines Generales Fœderati Belgij decreto suo caverunt, ne quis Geographi-
cam descriptionem Indiæ Occidentalis auctore *Antonio de Herrera* supremo
Indiarum, nomine regis Hispaniarum, Historiographo, sumptibus *Michaëlis Colini*
Bibliopolæ Amstelodamensis in Linguam Latinam, Belgicam, Gallicam & Germani-
cam translata, præter dictum M. Colinium in totum aut ex parte, majori aut minori
formâ, aliquâ istarum linguarum intra octennium excudat aut divulget, vel alibi im-
portet, distrahat, venalemve habeat, intra Confœderatarum Provinciarum fines, citra
voluntatem Michaëlis Colini. Qui secus faxit confiscatione librorum & præterea
sexcentis florenis mulctabitur, uti latius patet in litteris hunc in finem Hagæ-Co-
mitis datis, quas

NICOLAUS vander BOVHORST V. c.

&

*Ad mandatum Præpotentium D. D. Ordinum
Generalium signavit*

C. AERSSENS.

NOVVS ORBIS,
Sive
DESCRPTIO
INDIAE OCCI-
DENTALIS,

Auctore

ANTONIO DE HERRERA,

*Supremo Castella & Indiarum auctoritate PHILIPPI III.
Hispaniarum Regis Historiographo.*

Metaphraſte C. BARLÆO.

Acceſſerunt & aliorum Indiæ Occidentalis Descriptiones, &
Navigationis nuperæ Australis *Jacobi le Maire* Histo-
ria, uti & navigationum omnium per Fretum
Magellanicum ſuccincta narratio.



AMSTELODAMI,

Apud MICHAELEM COLINIVM Bibliopolam, ad
inſigne Libri Domestici. ANNO M. D. C. XXII.

Cum Privilegio.

HOC OPERE CONTENTA.

- I. *Antonij de Herrera* Indiae Occidentalis descriptio.
- II. Historia Navigationis Australis ductu & moderamine *Iacobi le Maire* instituta.
- III. Descriptio omnium quotquot in hunc usque diem per Fretum Magellanicum instituta sunt Navigationum.
- IV. Itinerarium Indiae Occidentalis auctore *Petro de Cevallos* Presbytero, ex Hispanico Latinitate donatum.
- V. Descriptio Americae excerpta ex Tabulis Geographicis *P. Bertij*.

INDEX

locorum, quibus Tabulae Geographicae inseri debent.

| | | | | | |
|------------------------|---------------|-----|---|----|------------|
| <i>Tabulam notatam</i> | <i>Numero</i> | | | | |
| | | 1. | } | in | Fol. 2. |
| | <i>Num.</i> | 2. | | | Fol. 4. |
| | <i>Num.</i> | 3. | | | Fol. ibid. |
| | <i>Num.</i> | 4. | | | Fol. 13. |
| | <i>Num.</i> | 5. | | | Fol. 15. |
| | <i>Num.</i> | 6. | | | Fol. 16. |
| | <i>Num.</i> | 7. | | | Fol. 19. |
| | <i>Num.</i> | 8. | | | Fol. ibid. |
| | <i>Num.</i> | 9. | | | Fol. 20. |
| | <i>Num.</i> | 10. | | | Fol. 21. |
| | <i>Num.</i> | 11. | | | Fol. 26. |
| | <i>Num.</i> | 12. | | | Fol. 29. |
| | <i>Num.</i> | 13. | | | Fol. 30. |
| | <i>Num.</i> | 14. | | | Fol. 34. |

| | | | |
|------------------------|----------------|--|----------|
| <i>Tabulam notatam</i> | <i>Littera</i> | | |
| | <i>A.</i> | | Fol. 57. |
| | <i>B.</i> | | Fol. 67. |
| | <i>C.</i> | | Fol. 37. |

| | | | |
|---------------|--------------|--|----------|
| <i>Pagina</i> | <i>(.:.)</i> | | |
| | | | Fol. 46. |



Illustrissimis ac Potentissimis

D. D. ORDINIBVS GENERALIBVS FOEDERATARVM BELGII PROVINCIA RV M,

NEC NON

Illustribus Potentibusque

D. D. ORDINIBVS HOLLANDIAE & VVEST-FRISIAE, PATRIBVS PATRIAE,


Dominis meis Clementissimis:



Quartam vobis, Illustriss. ac Potentissimi Domini, Orbis terrarum partem, non ea qua est amplitudine, sed modicis Tabularum spatijs ac succincta locorum singulorum descriptione coarctatam summam cum veneratione offero; ut reuocatum subinde à Reipubl. negocijs animum per earum regionum vastissimos tractus, quasi peregrinantes, circumferatis, qua humana avaritia ac cupiditatis materiam alte defossam seruant. Etenim multa sunt, qua ad propriorem Americani Imperij investigationem ac huius historia lectionem invitare Vestras Dominationes queant. Nam praterquam quod nihil dignius sit principibus viris Vniuersi cognitione, in quo honores gerunt, imperia ipsi exercent, opes cupiunt, bella instaurant, totum genus humanum tumultuatur; nihil vero indignius, quam eas terras ignorare, quibus imperare non minus utile quam gloriosum foret: illud insuper affirmo, non parum Reipublica Vestra interesse, si Noti huius orbis, quaeque in eo sunt oppidorum, arcium, portuum, fluminum, populorum accuratam habeatis cognitionem.

* 3

Etenim



Etenim post res domi militiaque terra marique prosperè gestas, post exactos penè insulis Moluccanis Hispanos, post tentatas Septentrionis ac maris Tartarici vias, etiam de Novo hoc orbe adeundo tandem consilia cepistis. Vtique optima semper visa fuit bellandi ratio, si non in nostro tantummodo solo hostem operiremur, sed in suo quoque regno securum, Romanorum exemplo, adiremur. Certè hac arte re-vocatum in Africam ex Italià Hannibalem constat. Norunt hoc Medicorum filij, qui affecto crure dextro ad re-vellendum valetudinis hostem, oppositum ex ad-verso prudenter secant. Sed minus feliciter illud fiet, nisi quo eundum, quo deducenda nostratum colonia, quo commerciorum bono, qua securitate, probè cognitum habeatis. Laudat in Hannibale Livius, quod omnia ei hostium, haud secus quam sua nota erant. Quare hostium exercitum & locorum situm, & naturam regionis explorari vult. At cognosci hac rectius non possunt, nisi ex Geographica locorum descriptione, qua etiam ea, qua non vidimus unquam, quasi presentia oculis obijcit, & Lectorem domi positum felici jucundoque animi remigio per rerum universitatem, & remotissima terrarum ac maris spatia circumducit. Hoc fuit Antonium de Herrera Hispanum, accuratissimum India Occidentalis scriptorem Latinitate donatum ad fa-voris Vestri aram suspendo. qui author Historiographi regij titulo insignis & in intima secretorum à supremo rerum Indicarum Senatu admissus, majori hanc historiam fide, quam gentis sua bono, divulgasse credi potest. Illud verum est, neminem exactius ac enucleatius terminos ac fines provinciarum, earumque magnitudines: Oceani tractus, sinus, promontoria, insulas: fluminum cursus, flexus, ostia: lacuum & stagnorum amplitudinem & situm: tot urbium, propugnaculorum, oppidorum, vicorum, coloniarum, portuum, stationum posituram, tum inter se tum respectu cæli: denique regionum singularum indolem, quid quaque ferat, quid ferre recuset, descripsisse. Quod si hinc aliqua ad Rempublicam Vestram redibit utilitas, si institutum Vestrum in-vabit hac nostra opera, suscepti hac in parte laboris neutiquam pænitebit. Videbitis liquido, Illustrissimi Domini, quam latè diffusa sit hostis Vestri potentia, qui non contentus Europa, Asia, ac Africa parte, totum hunc Novum orbem sceptris suis adjecit. ex quo quantum eius opes & in bello robur accreverint, expertus est suo malo orbis Christianus, qui nusquam ferè non huius armis oppugnatus, pluribus in locis Americano auro fasces (proh dolor) submisit. Non adfero hoc ad expectandum animos Vestros, sed ut prisca virtutis memores, constanti fortitudine, sub felicissimi Arausionensium Principis ductu, potentissimi hostis impetum retundatis. quo victo, illustrior tanto erit victoria laus, quanto cum valentiore hoste pugnavistis. Ut autem vincatis faxit patria sospitator

Deus

Deus. At ubi vinci debeat & possit, hic, quem V. D.^{bus} offero, Liber explicabit, quem ut benignis animis accipiat etiam atque etiam rogo. Ita qua Vobis, qua Reipublica ac Ecclesia salutaria sunt, largiatur supremum Numen.

Vestris Dominationibus humillimè
devotus

CASPARVS BARLAEVS M. D.



PRÆFATIO AVCTORIS
A D
PAVLVM DE LAGVNA

Licentiatum, præsidem Supremi Senatus Indici.


Iohannes de Ovando Licentiatum, Dominationis Vestræ antecessor, quo Præsidi primum munus Chronographi Indiarum institutum fuit, ut majori fide ac laude res ab Hispanis in Novo Orbe gestæ litterarum monumentis traderentur summa diligentia & labore acta omnia & instrumenta publica, quæ ad hanc rem facere possent, & provinciarum detectiones, urbium ac coloniarum fundationes concernerent, non ex Hispania solummodo sed & ex ipsa India Occidentali in unum collegit. Verum eo mortuo, accidit, ut aliorum negligentia, ad annos aliquot intermissa fuerit Historiæ istius descriptio. Sed postquam ad præsidis munus ac dignitatem evectus esses, ratus nihil esse indignius, quam res præclarissimas perpetuo silentio involui cum Historia tanto picturis sit excellentior, quanto anima corpore, omnem operam, industriam ac diligentiam quin & libertatem contulisti, ad Historiæ istius consummationem. Quid; quod & tua opera factum sit, ut luculentum stipendium Chronographo decretum sit, quo & hoc & laudis insuper stimulo incitatus, maiore diligentia munus tam præclarum & arduum exequeretur. Quare & huius tibi Historiæ laus potissimum, & immortales insuper gratiæ debentur, ab ijs præsertim, quorum majorum laudes & res gestæ expressis ipsorum nominibus hac historia dignis præconijs celebrantur: Barbara enim est, & iniqua planè Iohannis Baptistæ Ramusij sententia, quem non puduit in tertio Navigationum libro scribere: Vanum ac ridiculum esse scriptores rerum Indicarum adeo esse anxios in recitandis ac annotandis nominibus ac patria illorum, qui rebus laudabiliter isthuc loci gestis inclaruerunt. Profecto invidia ac livoris morbum ac malevolum suum in reges ac populum Hispaniarum animum prodit. Etenim præcipuus Historiæ scopus est, benè meritos laudibus prosequi, & malè meritos eâ, quæ digni sunt, infamia notare, idque in posterorum exemplum. quod tamen si Baptista obtineat sententia fieri neutiquam potest. Verum secus ac rectius iudicat Dominatio tua, cuius ut intercidas ullo tempore memoria ac laus non patietur Hispanorum natio, quæ hoc nomine æternas se tibi debere gratias ingenue fatetur. Deus Opt. Max. D. T. incolumem servet. Datum Valladolidij, xv. Octob. Anno 1601.

ANTONIUS DE HERRERA.

Errata aliquot.

Pag. 1. versâ lin. 2. pro à quibus lege per quos. ibid. lin. 3. pro longitudinis lege latitudinis. pag. 24. versâ lin. 3. pro sacellis lege macellis. pag. 9. versâ lin. 31. pro medullarum lege medullarem. Reliqua minoris sunt momenti.

DESCRIPTION DE LA



DESCRIPCION DE LAS YNDIAS OCIDENTALIS

1




*Entre los dos Meridianos Señalados
se contiene la navegacion y descubrimiento
que compete a los Castellanos.*


OLIVERO


LIBRERIA


15. 11


LIBRARY OF THE
MUSEUM OF NATURAL HISTORY

















































DESCRIPCION DEL AYUNTAMIENTO


DE TAYAMA

MAR DEL










DEPARTAMENTO DE AGRICULTURA
DEPARTAMENTO DE AGRICULTURA

M. A. M.





DESCRIPCION DEL AVDIENCIA
DEL QUITO
10


M A R · D E L S V R

NORTE


De la Audiencia de Panamá


De la Audiencia del nuevo Reyno


De la Audiencia de los Reinos














DESCRIPCION DEL REINO DE
DE LOS CARIBAS




DESCRIPCION DEL AVDIENCIA
DE LOS CHARCAS
12




SECRETARIA DE LA
PROVINCIA DE...






DESCRIPCION DE LAS INDIAS
DEL NOROCCIDENTE







DESCRIPTIO
INSULARVM & CONTINENTIS

maris Oceani, quæ vulgò India Occidentalis
vocantur,

AUTHORE

ANTONIO de HERRERA

magno Indiarum & Castellæ Chronographo.

CAP. I.

De India Occidentalis divisione.



Universus Terræ ambitus 360. gradibus absolvitur, qui secundum Castellanos mensuram leucas conficiunt 6300. Terram cum dicimus, mare quoque ipsum includimus, quæ juncta Sphæram terrestrem constituunt, cujus hinc inde convexa superficies partim mari partim terra constat. Veteres in tres partes Terræ globum dispescuerunt, inditis suis unicuique parti nominibus. Prima eaque omnium celeberrima Europa dicta est. Secunda, omnium maxima & vastissima, Asia, quæ magnum Chinensium imperium continet. Tertiam Africam vocarunt. Invaluerat siquidem opinio tribus istis partibus contineri quicquid esset terrarum. Verum non contentus animus humanus tam arctis spatijs, aliumque adhuc orbem præconciens, navigandi artem excogitare cœpit, & dum in exstruendis navibus aciem defigit, ejus formæ ac tantæ magnitudinis navigia fabricavit, quæ irati maris procellas ac tempestates absque noxa tutò sustinere possent. Atque hac quidem arte maximè Hispani excelluerunt, alijsque gentibus laudem istam præriperunt. Etenim regnantibus Ferdinando quinto & Isabella Castellæ ac Legionis regibus Catholicis, necnon D. Ioanne ejus nominis secundo, Lusitanorum rege laudatissimo; Christophorus Columbus primus Indiæ Occidentalis præfectus, Hispanam conjugem & soli jus nactus, adhibito in consilium Martino Bohemo Lusitano, Astrologo celeberrimo ac acerrimi judicij viro, cui patria erat Insula *Fayal*, alijsque quam plurimis, quartam nobis Orbis terrarum partem eamque maximam detexit. Solvens enim ab oppidulo *Palos*, quod ad littora *Andalusie* situm est, ac Comiti *Mirandæ* paret, atq; instituto Occidentem versus itinere, tandem navigando ad has terras appulit. Intersecat has medius Æquator, & Austrum versus, ad gradum 52 cum semisse porriguntur, at Aquilonem versus sub ipsum polum Arcticum se abdunt, ut ubi terminentur, incognitum adhuc sit; magnitudine verò ac vastitate tanta, ut neminem non in admirationem rapiant. Ac hujus quidem terræ descriptionem persequi in animo habemus, idque titulo *Continents ac Insularum Oceani*, quæ mari undique cinctæ ac in Occidentali mundi parte sitæ, vulgò *India Occidentalis* ac *Novus orbis* vocantur, eamque terræ portionem constituunt,

*Ambitus
Terra.*

Terra partes.

*Hispani
navigandi
arte supra
alias gentes
excellerunt.*

*Quis prima
Indiam hanc
detexerit.*

A quæ

D E S C R I P T I O I N D I Æ

quæ regibus Castellæ ac Legionis est adjudicata. Hæmisphærio ac dimidia orbis parte describitur, hoc est gradibus 180, idque à Meridiano Toletani grad. 39 aut 40, à quibus ducta linea Occidentalis longitudinis transit per ostia fluminis *Maranion*, & ad Orientalem plagam per civitatem *Malaccam*. Atque hæc mundi portio ab Occidente in Orientem extensa, leucas Castellanos conficit 3900, assignatis unicuique gradui leucis 20, unicuique verò leucæ passibus 3000. qui ipsi passus quinque Geometricis pedibus apud Castellanos receptis mensurantur, ita ut singuli gradus miliaria Italica 60. constituere credantur. Ista verò mensurandi ratio, quæ gradibus singulis 20 attribuit leucas, cum Prolomaica mensura convenit, multorumque hæc curiosius examinantium calculo comprobatur. Nonnullis videtur 70. miliaria Italica gradum unum facere, eaque nonnisi 17. leucas cum dimidia constituere, quæ ipsis optima videtur mensurandi ratio.

Gradus longitudinis, qui in linea Æquinoctiali numerari solent, ab Oriente nempe Occidentem versus, per mediam Sphæram, non ita facile fuit observare, quia nullo hic certo ac fixo cœli signo juvamus. Gradus altitudinis ij sunt, qui ab ipsis polis describuntur, suntque certi ac definiti, propter poli immobilitatem. Atque ad hos gradus nobis in hac descriptione respiciendum erit.

India cognita longitudo & latitudo.

Navigatum est, ac detectæ sunt hæc terræ, à Septentrione Meridiem versus, à gradu 60 Septentrionalis latitudinis ad 53 Australis, qui gradus conficiunt terræ leucas 1977, quæ harum regionum ac continentis ipsius est longitudo. Qua verò parte latissima est 1300 leucas habet, quâ angustissima 18. Estque hæc angustia sive Isthmus interjectus inter urbes *Nombre de Dios*, sive *Porto belo* ac *Panamam*, & in duas ferè partes æquales Orbem hunc dividit, quarum altera Septentrionem, altera Meridiem spectat. Tertiam partem constituunt Insulæ & ea continentis pars, quæ ad Orientalem *Malaccæ* plagam vergit, per quam abit linea institutæ inter Reges Castellæ & Lusitaniæ distributionis; suntque pars Indiæ Orientalis, licet Castellæ respectu India Occidentalis vocentur, uti videre est in tabula sequenti.

Magneti adscribitur regionum harum detectio.

Et harum quidem regionum inventio, ex quibus tam immensæ opes advectæ sunt, tantaque ad dictorum Regum thesauros facta est accessio, magneti adscribenda est, cujus admirabilem vim ea tempestate deprehendit ac in lucem produxit *D. Antonius Ostorius*, Eques Valladolitanus. Ea autem hæc erat, videlicet, majorem vim attrahendi ferrum à magnete ferro communicari, quam ipse habeat magnes; cum ferrum admotum magnetis parti efficaciori majus pondus attollat, quam ipse per se possit magnes. Qui enim magnes duarum librarum ac unius quadrantis, non nisi sex unciarum pondus attollere poterat, me adspectante, quatuordecim libras ferri attollere potis fuit. Sed non est ea vis ac efficacia magneti, quem dat Hispania. Certè hæc res crucem fixit Philosophis, ac luculentum penitus hæc arcana scrutandi argumentum præbuit.

Inferatur hic Tabula notata Numero I.

De institutis in Indiam Navigationibus.

MARE, quod in Orientem excurrit, *Mar del Norte*, quod in Occidentem *Mar del Sur* vocatur. Hoc novam Hispaniam & Peruanam regionem, illud eas regiones alluit, quæ ad Australe Brasiliæ latus versus fretum Magellanicum sitæ sunt, potissimum verò ad Septentrionalem Brasiliæ plagam Castellam versus, aliosque Boreales tractus. Hæc duo maria vasta alioquin, in minora maria ac sinus distribuuntur, ac quatuor ad summum diversorum terminorum navigationibus navigantur. Prima eaque omnium celebratissima est ea, quæ à *Castella* in *Terram firmam* ac *Novam* vergit *Hispaniam*. Secunda à *Castella* ad *Rio* (fluvium) *de la Plata* & fretum Magellanicum abit. Tertia à finibus novæ Hispaniæ, à *Guatamala* & *Pamana*, in *Peru*, *Chili* & fretum supradictum tendit. Quarta eaque novissima à nova Hispania ad Insulas Occidentales & Chinesium mercatui dicata loca instituitur, uti tabula præsens indicat.

Diversi
navigationum
in Indiam
trans-
eunt.

Prima navigatio, quia maximè viget, *Carrera de las Indias* appellatur, partimque in portum *S. Ioannis de Vlva* in nova Hispania situm abit, & *Hispali* si solvas, 1700 habet leucas, ac duorum mensium spatio cum dimidio conficitur: partim ad *Nombre de Dios*, & *Porto belo* tendit, loca sita in regno, quod *Terram firmam* vocant. atque hæc navigatio leucas continet 1400, ac duobus mensibus conficitur. utraque uno cursu ac recto tramite pergit, usque dum ad insulas maris Septentrionalis ventum sit, solvendo à portu *S. Lucae de Barremada*; unde æquor tutò non conscenditur, absque *Palinuro*, nec nisi secundo vento, & pleno maris æstu, ac de die, aut prævio lucernarum lumine, ad deprehendendas *Syrtes* & vada.

Tempora
navigationibus
idonea.

Tempora his navigationibus oportuna (Latini *tempestivitates* vocant) diversa sunt. In novam Hispaniam itur exacta jam hyeme, ineunte Aprili ad finem usque mensis Maij, nec solvendum seriùs, cum post mensem Augustum ad Insulas usque Oceani Septentrionalis pervenire non detur, propter ventos Aquilonares & *Vracanos*, qui tunc flare incipiunt. Sunt autem *Vracani* tempestates ortæ ex conflictu & concursu contrariorum ventorum.

Quid sint
Vracani.

In *Terram firmam* itur, priusquam adventet bruma, toto mense Augusto ac Septembri, quia finito Novembri commodè ad *Porto Belo* pervenitur, quo tempore istarum regionum littora Aquilonibus flare incipientibus minus valetudinem frangunt. A portu *S. Lucae* in insulas *Canarias* decem dierum aut octidui iter est 200 leucarum, idque per sinum *de las Reguas*, quæ navigatio brumali tempore propter crebras tempestates periculosissima est. Quod si verò ad portum magnæ *Canariæ* pertingere ipsis detur, in eum se recipiunt, sin minus, ad insulam *Gomeram* contendunt.

Navigatio
in Terram
Firmam.

A *Canarijs* insulis porrò navigatur in insulam *la Deseada*, positam in latitudine grad. 15. paulo altius, aut in insulam *la Dominica*, ad quam per Oceanum leucæ 700 numerari solent. Hic loci viginti quinque diebus aut paulo plus morari solent, nec hinc regredi licet, propter statos ventos contrarios, quos *Brisones* vocant. Innuuntur hac appellatione omnes supradicti venti orientales, & causa, propter quam statim hi sint ac fixi, hæc est, quòd rapidissimus motus primi mobilis etiam ipsum aeris Elementum secum in orbem raptet, uti alios quoque supra aërem positos orbis.

Quid sint
Brisones
venti.

D E S C R I P T I O I N D I Æ

fit, ut, dum aër motum sequitur primi mobilis sive diurnum ab Oriente in Occidentem, qui perpetuus est, etiam secum rapiat eodem motu exhalationes ac vapores è mari sublato, qui istorum ventorum materies sunt & alimentum. Hæc navigatio à *Canarijs* in insulam *S. Domingo*, primum instituta est Anno M. D. XI V. à *Pedraria Davila*, cognomine *Gentil*, qui designatus Gubernator & præfectus regni *Castellæ de l'oro*, quod nunc *Terra firma* dicitur, instructa navium classe eò contendit. Nec dissimilis omninò est hæc navigatio illi, quæ hæctenus observata fuit.

Quia verò edictocautum est, ne vel ligna, vel recentiores aquæ ex insulis *Desseada* & *S. Domingo* petantur, hinc in portum Insulæ *Hispaniola Ocoa* dictum abijt Hispanica classis, idque refectiois ergò. Cur verò istic aliquamdiu subsistat, hæc est causa, quod *Vracanos* ventos hoc in tractu à *Cuba* & *Nova Hispania* flantes nanciscatur. Etiam de recentibus sibi aquis prospiciunt in Insula *Guadalupa*, atque hic ad iter denuò se apparant. A nova Hispania abijt classis ad promontorium *Santanton*, situm in finibus & Occidentali parte Insulæ *Cubæ*, unde ut plurimum viginti diebus 500 leucas navigando conficit, in conspectum se dantibus insulis *S. Iohannis de Porto Rico*, & *Hispaniola*, duorum miliarium à portu de *S. Domingo* distantia, lectaque orâ juxta promontorium *Nizao*, medio inter insulas *Cubam* & *Iamaycam* itinere contendit, quo loci vitandi sunt scopuli *Iardines* dicti, positi in medio littore *Cubæ*, in quos plurimæ naves illisæ naufragium fecere. Hinc porrò in altum vehuntur in conspectu Insularum *Pinos* & promontorij *Corrientes*, duodecim à promontorio *Santanton* leucis, unde duplex via patet ad portum *Veracruz*, utraque decem aut duodecim dierum itinere. Et prior quidem via mediterranea 250 leucarum est, & æstivo tempore à mense Maio ad Septembrem usq; navigatur, cum nulli flant Aquilonares, qui in littus *Iucatam*, quod præternavigatur naves protrudunt: posterior verò per Oceanum & vastum mare ante hyemis adventum navigatur, estque penè 280, leucarum, si altitudinem poli metiaris. Optima verò & commodissima navigatio ad portum *S. Iohannis de Vlva* instituitur, lecto littore *Florida*, & *Almeria*, hoc consilio, ne ab adversis ventis retardemur, utque portum *S. Iohannis de Vlva* superare tempestivè possimus. Classes, quæ antea ab insula *la Dominica*, nunc verò à *Guadalupa Terram firmam* petunt, spacio 400 leucarum, itinere vero quindecim dierum, ut *Cartagenam* perveniant, *Terræ firmæ* oram radunt, ubi perpetuò ferè flant adversi navigantibus *Brisones*, & æstivo tempore *Zephyronoti*, brumali verò *Septentrionales*, qui ex obliquo littus feriunt. Deprehenditur via ex promontorio *de la Vela* interjecto inter *S. Martham* & *Venezuelam*, & ex promontorio *del Aquia*, propè *Cartagenam*, ubi exonerari solent merces adsportandæ in *Novum regnum*, quæ verò in *Peru* abituræ sunt, in *Porto Belo* deferuntur, quæ *Cartagena* distat leucis propemodum 90 itinere quatuor aut sex dierum, observato promontorio *Catina*. à *Canarijs* vero insulis distat *Cartagena*, quantum triginta quinque diebus adnavigari potest.

Qua commodatissima sit à Promont. Santanton in insulam S. Iohannis de Vlva, navigatio.

Iter in provinciam Honduras & Guatemalam.

Quæ verò ad *Honduras* & *Guatemalam* abeunt, una cum navibus novæ Hispaniæ promontorium *de Tiburon* petunt, maxime Occidentalem *Hispaniola* partem, à quâ abeuntentes juxta insulæ *Jamayca* latus Boreale ad extremitates promontorij *Nigrello*, ad promontorium *de Cameron* contendunt, & provinciam *Honduras*, unde navibus statio quæritur in *Truxillo*, 15 leucis Occidentem uersus, ubi merces istic mansuræ exonerantur, reliquæ verò ad portum de *Cavallos* deferuntur, aut in sinum dulcem (*Golfo Dulce*) juxta oram sinus de *Honduras*, ut in *Guatemalam* hac via devehantur.

C A P.

CAP. III.

In quo reliqua, quæ ad navigationes hæc attinent, pertexuntur.

NEc verò eadem, qua istuc comitant, in Hispaniam remeant viâ, verum altius polum versus dirigendus cursus, ultra Tropicos, ad captandos ventos Septentrionales. Conveniunt classes in portu *Havana*, circa medium mensis Iunii, ut hinc ante adventum hyemis in Castellam navigent. Etenim Apeliotes adversus est, ac rectâ in proram flat, ex obliquo verò in Canali ipso, uti & Auster ex obliquo ferit littora promontorij *S. Vincentij* usque ad *S. Lucæ* portum. Classis *Terræ firmæ* in Maio à *Porto Belo* solvit, cessantibus Aquilonibus, mox Cartagenam revertitur, partim ad convasandum quicquid auri ac argenti è novo regno *Granada* advectum est, partim ut declinet littora *Veraguæ*, tum impetuosos defluxus aquarum de *Nicarachua*, ex quibus difficulter se expediunt naves, si quando in hos à Brissonibus ventis, qui circa hos tractus periculosi sunt navigantibus aut adverso maris æstu propellantur.

Aliâ viâ in Castellâ remeant Classes.

Quo tempore solvere debeant Classes Castellam repetentes.

Cartagenâ discedentes ad promontorium *Santanton* contendunt, Occidentalem *Cubæ* partem, itinere 200. penè leucarum, quod, propter vada occurrentia circa *Serranam*, *Serranillam*, & *Quitafveno* decem diebus conficitur. Promontorium *Santanton* distat *Havanâ* 50. circiter leucis: Naves quoque è provincia *Honduras* solventes hac iter suum instituunt ad observandum promontorium *de Santanton*.

Quò classes Cartagenâ solventes contendant.

E *Novâ* verò *Hispania* abeunt naves ineunte Maio, flante *Aparctia*, qui *Havanam* redeuntibus inservit, instituto altius cursu usque ad *Sondam*, quam *las Tortugas* vocant. in quem usque locum 300. penè leucæ 15. dierum spatio decurruntur. Naves, quæ à *S. Martha* & *Venezuela* Castellam petunt, inter *Cubam*, & *Hispaniolam* vela faciunt, ad deprehendendum promontorium *S. Nicolai*, [*Cabo S. Nicolas*,] in Australi insulæ istius parte. unde per medias insulas *de los Lucayos* iter dirigunt, ut eundem, quem Classes, cursum teneant, moxque viso promontorio *Santanton*, ad *Avanam* contendunt, ne in piratas incidant. Hinc deinceps Castellam proficiscuntur, & egressi è Canali *de Bahama*, quâ primum navigasse perhibetur navarchus *Antonius de Alaminos* anno 1519, mare trajiciunt, quod *Mar del Norte* aut *de Sargas* vocant, spatio 800 penè leucarum, itinere 25. aut 30. dierum. Ventis feruntur ordinarijs ac statis, ac duplicem servant cursum. Vnum æstate ineunt ad altitudinem grad. 38. aut 39. aut paulò altius, in qua altitud. sitæ sunt *Azores*, vel *Flandricæ* insulæ: alterum brumali tempore tenent, non ultra 39. gradus altitud. propter frequentes imbres, qui istuc decidere solent, in qua altitudine posita est insula *S. Mariæ*, una ex *Azorum* numero. Vno verò gradu altius *Terceram* itur, ubi Classes refectionis causa convenire solent, nec ulli hic exscendere concessum. Ab his autem *Azorum* insulis usque ad *S. Lucas de Parrameda* leucæ à nautis constituuntur 300. quas quindecim diebus, alij verò triginta confici posse credunt, propter crebros ventos Orientales, qui in isto *Azorum* mari imperium tenent. Atque hinc navigant usque dum ad littora *Portugalliæ* perveniant, ac prætervectæ promontorium *S. Vincentij*, ac servatis semper in conspectu *Hispaniæ* littoribus in portum tandem *S. Lucar* se recipiunt.

Quo anni tempore è Novâ Hispania discedant classes.

Navigatio è portu Havana in Castellam.

Classium iter a Canarijs usq. ad S. Lucar

Navigatio quæ è *Castella* instituitur versus *Rio de Plata* distantia 1600 leucarum, aut in fretum *Magellanicum*, distantia leucarum 2000 longius tempus requirit, quam viâ longi-

Navigatio versus fluvium de Plata.

DESCRIP TIO INDIÆ

longitudo exigere videtur, quia in istas regiones non nisi æstate deveniendum est, quæ istic à mense Septembri incipit. Nequaquam circa ea tempora solvendum Castellâ est, quibus si solvamus, futurum sit, ut Junio aut Augusto mensibus transeunda sit linea æquinoctialis, qua anni tempestate maxima illic est aëris tranquillitas ac placidum ventis stat mare. quæ causa est, cur quinque menses deposcat hæc navigatio, quæ alias duobus aut tribus conficitur, si Hispali solvamus mense Augusto aut citius, & superatis Canarijs insulis, ubi Australes ac Septentrionales flant venti, octo aut novem trans Æquatorem gradus navigemus; unde quidam cursum instituunt Occidentem versus, ad deprehendendum promontorium *S. Augustini in Brasilia*, & servato terræ conspectu in *Rio de la Plata*, & fretum *Magellanicum* pergunt. Alij rectâ per medium mare ad gradus octo navigarunt, deflectentes ad Austrum versus fretum *Magellanicum*, quanquam pauci ante exactam æstatem hac via Oceanum trajicere potuerint, cum brevissima hic sit æstas, & frigida subinde, propter situs altitudinem, quæ hanc navigationem difficiliorem reddunt.

Navigatio per mare Australe instituta fuit lecto littore, partim propter perpetuos Austros, partim propter ordinarios maris æstus à Fretum *Magellanicum* versus Septentrionem. Navigatio à *Panama* in *Ciudad de los Reyes* duobus mensibus absolvi solet, reditus verò minus triginta diebus, & similiter à *Ciudad de los Reyes* usque ad *Chile*, unde ad *Panamam* numerantur leucæ 900, navigatur minus duobus mensibus, cum eò abeuntes octo exigant menses, quæ tamen navigatio nunc solito compendiosior est, quia mare altius conscendentes magis idoneos & faventes ventos consequuntur.

Navigatio
in insulas
Moluccas
& *Philippinas*.

Navigatio in insulas Occidentales, *Moluccas* & *Philippinas* à Castella per fretum *Magellanicum* leucas habet 4000. estque molestissima, partim propter viæ longitudinem, partim propter freti *Magellanicum* discrimina. E *Nova Hispania* ante navigatum fuit per mare Occidentale, quod mari Australi continetur, idque è portu de *Natividad* siti ad littora *Novæ Hispaniæ*, nunc verò è portu *Acapulco* navigatur, & hinc porrò in *Moluccas* ac *Philippinas* itur, distantia 1600. aut 1700. leucarum, quæ duobus mensibus, aut duobus & dimidio conficiuntur, si mense Novembri solvas, quo tempore maxima est malacia. Reditus verò in *Novam Hispaniam* diutius durat; cum enim eadem via redire non detur, ad gradus triginta novem contendendum est, & solvendum mensibus Maio & Junio, quibus rari flant *Brisones* venti. Habetque hæc via 200 leucas, & quatuor menses huic conficiendæ impenduntur.

Inferatur hic Tabula 2.

CAP. IV.

De India Septentrionali.

Postquam *Indiam Occidentalem* interventu *Isthmi* sui interjecti inter *Porto Belo* & *Panama* idem in duas partes divisimus, quarum alteram in Boreali, alteram in Australi mundi plaga collocavimus, eam porrò *Septentrionalis* & *Australis Indiæ* nominibus indigetabimus.

Reges Castellæ ac Legionis suffragante supremo rerum Indicarum Concilio, decreverunt, ut utraque *Indiæ* pars suum haberet Pro-Regem, una cum *Cameris*, *Hispani Audientias* vocant, præfecturis, ac *Episcopatibus* suis. Primùm autem dicendum nobis

nobis de India Septentrionali, quæ vulgo *Nova Hispania* vocatur, hanc ob causam, Cur Nova Hispania dicta. quod qui primi eam detexerunt, (fuere autem hi *Iohannes de Gryalva* alijque expeditionis istius socij) in insulis nullas vidissent domos lateritias, aliaque plurima, quæ in Hispaniâ obtinent, in hoc autem Continentis tractu illa ipsa reperivissent, uti & amictam vestibus gentem moribusque ad civilitatem & humanitatem compositis præditam. Hinc *Novam Hispaniam* appellare libuit. Præcellit hæc reliquis Indiæ climatibus pratorum ac pascuorum abundantia, ideoque innumerabilem hic omnis generis bestiarum multitudinem invenias. Præstat adhæc agricultura, & fructuum ubertate. Nulla hic colliguntur vina, quæ ob creberrimos per Iulium & Augustum imbres maturefcere nequeunt. Insulæ de *Barlovento* pascua quoque habent vastissima, & aspectu amænissima, utpote quæ toto anno virent ac florent, ventisque perflantur plurimis. Sylvas & lucos habent incredibilis magnitudinis, densis undique arboribus veluti circumseptos, in planitie lacus sunt ac paludes maximæ. Nulla hic Cerealium frugum messis, nulla vindemia, propter nativa soli hujus vitia, quæ maturitatem illis invident. Fluvij magna parte auriferi sunt. *Florida*, *Nicaragua*, & *Guatemala* ferè ejusdem sunt generis ac indolis, uti omnes penè reliquæ; de quibus speciatim suis locis agetur. Sequens verò tabella ob oculos nobis ponet Indiæ Septentrionalis tractus & situm.

C A P. V.

In quo fines ac termini Camera sive Suprema Curia S. Domingo delineantur.

Camera sive Curia Insulæ Hispaniolæ [Espagnola] quæ & tempore, & quia Castellæ reliquis insulis vicinior est, situ prima est, jurisdictioni suæ ab Oriente in Occidentem subditas habet leucas 550. & à Septentrione in Meridiem plus quam 300. quo ambitu continentur insulæ & præfecturæ Insularum *Espagnola*, *S. Juan*, *Jamayca*, & *de Margarite*, necnon margaritarum piscatura, provincia *Venezuela*, & confines provinciæ *Nova Andalusia*, *Guyana* & *Florida*, unâ cum omnibus insulis maris Septentrionalis, quarum plus quam centum nominibus suis proprijs discriminantur, sexcentæ verò & plures numero sunt, partim minores, partim majores. quæ verò sitæ sunt ad littora *Terræ firmæ*, à nautis *Sotavento* appellantur, reliquæ *Barlovento*. Omnes temperie cœli sunt humidior ac supra modum calida. & quanquam fertilitate pratorum ac arborum excellent, nequaquam tamen à seminum Castellanorum fecunditate commendantur, uti nec à tritico, hordeo, vino, olivis. Vaccis tamen, equis, porcis, ovibus abundant, & præcipuam mercaturam exercent corijs ac saccharo. & quanquam illarum plurimæ aurum ferant, tamen in publicum usum hic loci non convertitur.

Inferatur hic Tabula 3.

C A P. VI.

De Insulis Hispaniola & Cuba.

Insulam *Espagnola* indigenæ *Ayti* & *Quisqueya* vocarunt, hoc est, si interpreters, *aspiritatem*, aut *terram magnam*. figuram habet instar nuclei castaneæ. posita est in altitud.

A 4

grad.

D E S C R I P T I O I N D I Æ

grad. 19. cum dimidio . ambitus 400. circiter leucis circumscribitur , & in latum ab Oriente in Occidentem ferè ad 150 leucas porrigitur; à Septentrione in Meridiem ad leucas 30. & qua parte latissima est ad 60. Sacchari, pecudum, & *yucca* feracissima est, ex cujus radicibus conficitur *Cazabi*, indigenarum panis. Nec Mayzum (leguminis hoc genus est) nec triticum fert, quanquam nunc in intimis ac frigidioribus partibus has fruges proferre incipiat. Ditissima est æris aliorumque metallorum fodinis, necnon auri mineris, quanquam, propter fossorum inopiam, rarò hic eruatur. Pagos habet Castellanorum decem.

S. Domingo.

Civitas *de S. Domingo* sita est ad mare plagæ Australis, ad ripam fluvij *Ozana* in altitudine grad. 19. cum semisse, & longitudine Occidentali grad. 70. à Meridiano Toletano, unde in hanc ducta linea recta leucas habebit 1247. Incolas habet plus quam 600. In hac civitate Camera est, sive suprema Curia & Officiales ærarij regij, officina monetaria, & templum Cathedrale. Habet Archi-episcopatus hic suffraganeos Episcopos, *de Conception de la Vega*, quæ sociata est cum *S. Domingo* incolis, nec non cum incolis *S. Iuan, Cuba, Venezuela*, & Abbatia *Iamayca*. Habet Cœnobia ordinis Francanorum, Dominicanorum, Mercenariorum, & duo Monialium, Collegium Grammaticorum redditus habens annuos peforum 4000, & Xenodochium cum redditibus 2000 peforum. Portus amplissimus est & multarum navium capax, positus in ostio fluvij *Ozana*, ad civitatis latus Orientale. Quam anno 1494. condidit præfectus *D. Bartholomeus Columbus* in parte Orientali, situ meliore & salubriore, & magnus *Comendador de Alcantara Nicolaus de Ovando*, Gubernator *Espagnolæ* anno 1511, in eum, ubi nunc est, locum transtulit, in ulteriorem nempe supradicti fluminis ripam: idque hac occasione, quod terræ motu concussa ac collisa concidisset.

Pesos vox Hispanica est.

Salvaleon.

Vrbs *Salvaleon de Yguey* 28 leucis à *S. Domingo* Orientem versus distans, parsque Archi-episcopatus, à duce *Juan de Esquivel* Hispanorum colonia facta est.

Zeybo.

Vrbs *Zeybo*, 20 à *S. Domingo* distans leucis ad Orientem, versus insulam *de la Saona* ab eodem duce *Juan de Esquivel* Hispanis incolis donata fuit, quo tempore imperabat *Nicolaus de Ovando*.

Cotuy.

Vrbs *Cotuy* 16 à *S. Domingo* remota leucis Septentrionem versus, territorio suo ubertim profert herbam istam, quam *Collexo* vocant, à *Rodrigo Mexia de Trillo* Hispanorum facta est colonia.

Azua.

Vrbs *Azua* in *Compostella* ad Australe latus, 24 leucis à *S. Domingo* distat, & territorio suo multas habet sacchari molas. Coloniam huc traduxit Admiralius *Dervo Velazquez*, qui *Compostellam* vocavit, in gratiam Gubernatoris *Gallego*, qui hæreditatem hic adiit. Est enim *Azua* pagi nomen ab Indis inhabitati. Qui primi in Indiam sacchari cannas advexerunt, easque in usum conferre didicerunt, fuere *Atianca* & quidam *Bacchiller Velloso*.

Taguana.

Vrbs *Taguana*, cui nomen inditum *Santa Maria del Puerto*, in Occidentaliore insulæ littore sita, 50 aut 60 leucis à *S. Domingo* distat, ferè inter Occidentem ac Septentrionem. Coloniam fecit magnus gubernator *Nicolaus de Ovando*.

La Conception.

Civitas *de la Conception de la Vega*, in regno *de Guarinoix* sita est. Condidit illam *Christophorus Columbus* primus Indiarum Admiralius, & propè hanc memorabili illo prælio *de la Vega Real* victor fuit. viginti leucis à *S. Domingo* distat versus Aparctiam Orientalem. Templum habet Cathedrale, sed Prælato carens, quia in societatem Ecclesiæ *de S. Domingo* se dedit. Cœnobium hic quoque Franciscanorum visitur, in quo Crucis lignum asservatur, quod nec igni exurere nec ferro dissecare poterant

Palma Crucis de la

Indi.

Indi. Hujus quoque virtute maxima hic edita sunt miracula.

Sant Iago de los Carvalleros, 10. leucis à civitate *de la Vega* distans, rectà Aparctiam ^{*Sant Iago*} Orientalem spectat. primum arx fuit, exstructa à primo Admiraglio in ditioe *del Cazique Guanaionel*, ad securitatem civitatis *de la Vega*, & in majorem tutelam ac defensionem propugnaculi *de la Madalena*, quod quatuor inde leucis distat.

Portus *de Plata* dictus, in Septentrionali est insulæ orâ 35. aut 40. leucis à *S. Domingo* ^{*Portus de Plata*}. Coloniam huc traduxit magnus Gubernator *de Alcantara Nicolaus de Ovando*, Anno Domini 1502. ut tanto commodius hic negotiari possent naves Castellanorum, & quia decem solummodo leucarum intervallo à magnâ *Vega* abest, à quâ alijs insuper 10. leucis sita erat urbs *Sant Iago*; civitas verò *de Conception* 16. & opulentæ fodinæ *de Cibao* 12. Municipium est Episcopatus *de la Vega*. Ad altitud. grad. 20. aut paulò altius ascendit.

Urbs *de Montechristo*, ad Septentrionem 14. leucis versus Occidentem à portu ^{*Montechristo*} *de Plata*, & 40. à *S. Domingo* distans, subest Episcopatus *de la Vega*. Portum habet commodissimum, nec non salinas. Conditor fuit *Nicolaus de Ovando*.

Fuit olim in hac insula civitas *Ysabela*, sed alio nunc translata incolæ. Condi- ^{*Isabella*} derat illam primus Admiralius Anno Domini 1493. Urbem *Verapaz* in *Xaragua* ^{*La Verapaz*} condidit *Diego Velazquez* Anno Domini 1503.

Eodem quoque anno incolas accepit *Salvatierro de la Zabana*, quod *planitiem* & ^{*Salvatierro*} *campum* Indica lingua significat. Estque plana omnis hæc regio, nec montibus aut rupibus præruptis aspera.

Traducti sunt etiam coloni in urbem *de S. Iuan de la Maguana* in medio insulæ po- ^{*La Maguana*} sitam inter insignes & celebratissimos fluvios *Neyba* & *Taqui*, quo loco hodie adhuc Templum spectatur. Imperabat hic *Caonabo*, qui captivum abduxerat *Alonzo de Oieda*. Idem hic coloniam duxit in *Villanueva de Taquino* supra portum, ubi *Oieda* captus ^{*Villanueva*} in navi & duobus compedum paribus vinctus natando evasit. Sita est ad oram Australem, quam Admiralius oram aut portum *Brasilie* vocavit.

Civitatem *Bonao* vicinam *Cotuy*, coloniam quoque fecit primus Admiralius, qui ^{*Bonao*} hic propugnaculum tuendis fodinis, quas primas in hac Insula invenerunt, exstruxit.

Urbs *Buenaventura* 8. leucis à *S. Domingo* distat, ad Septentrionem sita, & ^{*Buenaven-*} *Lares* ^{*tura*} *de Guahaba*, in quam colonos deduxit *Nicolaus de Ovando*. Adeò floruit hæc Insu- ^{*Hispaniola*} la, ut incolas Castellanos habuerit quatuordecim mille, magnam partem nobilitate ^{*14000. Ca-*} ^{*stellanorū*} ^{*habuit.*} claros. Verum detectis ac inventis alijs Americæ partibus, factum fuit, ut confluen- ^{*Promonto-*} ^{*ria & por-*} ^{*tus huius*} ^{*Insula.*} te cò ex hac insula & *Cuba* incolarum multitudine, hæc rariores habuerit.

Portus, promontoria, & navium stationes maximè celebres, nec non Insulæ quæ ad oram hujus Insulæ sitæ sunt ad Meridionale littus promontorij *de Nizao* conspiciuntur, 10. à *S. Domingo* leucis, Occidentem versus. Portus *Ocao* 11. à *S. Domingo* leucis remotus fidam navibus stationem præbet, & de novo com meatu ijs prospicit, qui in *Novam Hispaniam* abeunt, nisi fortè anchoram figant in vicino sinu *Zepezepin*, aut in portu, qui *Puerto Hermoso*, portus pulcher dicitur, duabus à portu *Ocao* leucis.

Aza portus, & pagus 24. leucis ad ulteriorem portus *de Ocao* ripam recedit. *la Calongia*, promontorium est latum leucas circiter 30. è regione insularum *Boaca* & *Altobelo*, 5. à littore, & *la Beatados* leucis. *Taquino* ferè 34. plus leucis Occidentem versus abit, uti & *Abaque*, insula propè promontorium *Tiburon*, maximè Occidentalem Hispaniolæ tractum.

DESCRIP TIO INDIÆ

Nabaza insula 10. leucis à promontorio *Tiburon* abest, versus Zephyrum Orientalem, promontorium verò *Royo* 12. inde leucis dissidet, Septentrionem versus. *De Roques* sive *Fratrum* Insulæ circa eam littoris partem, quæ in Orientem recurrit, spectantur. Inter has & Insulam *Guanabo* latam 8. leucas in sinu *Yaguana* posita est *Caymiro* insula. Portus & promontorium *de S. Nicolas* in maximè Occidentali parte insulæ est, versus Septentrionalem plagam. Ulterius si tendas, occurrit portus *de Mosquitos* ad littus Boreale, & 20. adhuc leucis ulterius portus est *Valparayso* sive *de la Conception*, ad Septentrionem & Meridiem vergens, necnon *Tortuga* Insula, sub ipsum littus posita, latitudinem habens 5. leucarum. *Porto Real* 12. leucis versus Occidentem a *Monte Christo* distat, quæ ipsa 24. leucis aut paulò amplius ab *Isabella* abest, necnon 12. insuper leucis à portu *de Plata*. Promontorium *Frances* & *de Cabron* redeuntibus occurrunt, circa littora insulæ orientalia, ante sinum *de Hamana*, qui ad 5. aut 6. leucas in ipsam insulam excurrit, ad eum usque locum, in quo pagus *de Santa Cruz* fuit. In hoc fluvio *Hamana* primum cum indigenis Indis hostiliter agi cœptum est, postquam vi adorti essent Admiralia *Columbum*. Promontorium *del Engano* ad maximè occidentalem Insulæ partem est, ubi littus in se redit ab Austro versus Occidentem, circa cujus initium insula jacet *la Saona*, quam observant classes discedentes. paulò longius à *S. Domingo* abest, quam à promontorio *del Engano*.

Vbi primum contra Indos arma sumserint Hispani.

Conspicitur quoque circa hæc littora insula *S. Catalina*. Atque hæc quidem nomina omnia primus indidit Admiralius.

Cuba.

In Insulam *Cubam*, quæ antè *Jvana* dicta fuit, de nomine patris *Don Iuan*, & postmodum mandato superiorum *Fernandina* appellata fuit, mutuato à patre ipsius nomine navigari cœptum anno 1508. Peragravit hanc Capitaneus *Sebastianus de Ocampo*, anno 1511, iussu *Nicolai de Ovando*, qui adduci nunquam potuerat, ut crederet unde quaque insulam hanc esse, ac mari cingi. Admiralius *Diego Velazquez* comitatus 300. Castellanis iussu secundi Admirali *hanc quoque adiit, ut ad obsequium flecteret. Promontorium Sant Anton* à promontorio *Mayzi*, terrestri itinere 230. leucis abest, quanquam respectu solis & maris tanta non sit ejus latitudo. A promontorio *de Cruzes* usque ad portum *Manati* 45. leucarum distantia est, à quo loco in angustum cogi incipit ac ad ultimum usque promontorium occidentale vagatur, ubi 12. leucarum latitudinem habet, paulò plus minus, nempe à *Matamana* usque ad *Avana*. Situs ejus est intra Tropicum Cancrini à gradibus 20. usque ad 21. Tota ferè planâ & æquali est superficie multis saltibus ac sylvis iisque densis admodum umbrosa. Triginta à promontorio *Mayzi* leucis montes spectantur altissimi, etiam in meditullio Insulæ, qui in Septentrionem excurrunt. Ad Meridiem verò fluvios habet permultos & lacus pisciferos. Ad Australe quoque latus insulas videre est, quas primus Admiralius vocavit *el Iardin de la Reyna, regine hortum*, aliasque ad Septentrionem sitas, quas *Diego Velazquez* *el Iardin del Rey* vocavit, *hortum regis*. Varij generis arbores habet, necnon vineas agrestes, crassitudine humani corporis. Triticum non fert. nec Castellana semina, verum pecore abundat. aris ac auri fodinas habet maximas, quod ipsum in fluminibus quoque reperitur, licet parvi admodum valoris.

Sant Iago.

Don Diego Velazquez primus in civitatem *Sant Iago* colonos misit. Sita est ad littus Meridionale 40 leucis à promontorio *de Tiburon*, 2. verò à mari leucis, non longè à portu quodam, quo neque vehendis navibus tutiorem nec majorem videt orbis. Incolas quondam hæc civitas habuit bis mille, at nunc rariores habet. Præest urbi quidam

quidam Vice-gubernator, sedemque hic fixit Cathedralis Suffraganeus de *S. Domingo*. Cœnobium hic quoque est Franciscanorum.

Baracoa vicus est ad Orientalem *Cuba* partem, ad littus Insulæ Septentrionalis, *Baracoa*. 60 ab urbe *Sant Iago* leucis, penè ad Cæciam, atque hanc coloniam fecit Admiralius *Diego Velazquez*.

Vrbs *Bayamo*, ab eodem *Diego Velazquez* condita, 20. à *Sant Iago* leucis ad Thracio- *Bayamo*. zephyrum sita est, tractu totius Insulæ saluberrimo, agro fertili, & laudatæ indolis.

Urbs & portus *del Principe*, ad littus Septentrionale 40. ferè leucis à *Sant Iago*, Thra- *Portus del Principe*. ciozephyrum quoque spectat.

Vrbs *Santi Spiritus*, portus est ad Meridiem, inter *Trinidad* & *Cayo de Basco*, Por- *Santi Spi- ritus*. callo *de Figueroa*, 50 penè leucis à *Sant Iago*. Coloniam fecit *Diego Velazquez*.

Vrbs & portus *de Sinte Christoffel de Abana* in littore Septentrionali, ferè è regione *Habana*. *Florida* in altitudine 22 grad. cum semisse, plus quam sexcentos habet incolas. Sedem hic fixit Insulæ gubernator alijque officiales Regij. Portus cum propter amplitudinem, tum propter securitatem suam admirabilis est, præcipuè ab eo tempore, quo cò missi fuerunt à Rege *Philippo* secundo, *Messe de Campo*, *Juan de Texeda*, & *Baptista Antoneli*, ad muniendum propugnaculis locum, quò tutò istic convenire possent classes Indicæ, & salvæ in *Castellam* trajicere. Vocata fuit ante portus *de Carenias*. Hæc, uti & aliæ omnes Insulæ hujus urbes, à *Diego Velazquez* exstructa est, commodante ad hanc rem operam suam *Bartholomeo de las Casas*, postmodum *Dominicano* religioso & Episcopo *de Chiapa*.

Portus, & promontoria littorum *Cuba*, nec non vicinæ insulæ, præter jam memoratas, maxima sui parte ad Meridionale latus sitæ sunt, nempe urbs *Sant Iago* ad grad. 20. & 25. leucis occidentem versus: *de Santi Spiritus*, *Cabo de Cruz* 12. leucis ulterius, nec non *Iardines de la Reyna*, Insulæ istius scopuli ac Syrtes: Portus *de la Trinidad* ad grad. 31. evchitur; 30. circiter leucis à promontorio *de Cruz*, & 10. magis versus Occidentem. Occurrit hic sinus *de Xagua*, maximum maris diverticulum, una cum insulis aliquot in medio ejus positis, nec non insulæ *las dos Hermanas* circa initia Syrtium quas *Camarco* vocant, inter littora & Insulam *Pinos*, quæ longa leucas 10. lata verò 7. 12. à *Cabo de Corrientes* leucis, uti & aliæ, abest. respectu verò promontorij *Sant Anton*, ad maximè occidentalem Insulæ partem sita est.

Ad Septentrionalem oram portus est *del Abana*, & 30. versus Orientem leucis portus *de Matancas*, ubi colonia fuit. Dicta fuit *Matancas*, ob cæsos istic ab Indis Castellanos aliquot, cymbulis suis ac lintribus, quos *Canoas* vocant in ulteriorem ripam avectos, salvis evadentibus viro uno, & duabus fœminis, quas aliquandiu apud se detinebant. A *Matancas* ad portum usque *Tucanaca* leucæ sunt 50. usque ad *Iardin del Rey* insulæ istius vada, & usque ad Insulam *Obahaba* 8. leucæ, ante portum *del Principe*, 4. aut 6. ab *Hernando Alonso*, & hinc Orientem versus 6. leucæ numerantur. *Cubana* promontorium est. Portus *de Varacoa* 20. ferè leucis à promontorio *Mayzi* maximè Occidentali parte *Cuba*, nec non à *Puerto*, & sinu *Escondida* abest, propè promontorium *Royo*, ferè 20. à portu *de Palomas* leucis, qui 10. ferè à *Sant-Iago* leucis distat.

DESCRIPTIO INDIAE

CAP. VII.

De Insulis, Jamayca, S. Iuan, los Lucayos, & los Canibales.

Sevilla,
Melilla,
Orestan ur-
bes Jamay-
ca.

Infula Jamayca ab annonæ & commeatus ubertate celebratur. sufficit hæc magnâ abundantia gossypium, equos, porcos, & *Caxabi*. Primus Indiarum præfectus eam cum detegeret *Santiago* appellavit; primusq; eò colonos deduxit *Iohannes de Esquivel* militum dux, Anno reparatæ salutis 1509. auspiciis secundi Admiralij *Don Diego Colon*. sita est in altitudine grad. 17 cum dimidio, 20 à *Cuba* leucis Meridiem versus, & totidem ab *Hispaniola* Occidentem versus. Ambitus ejus est 150 leucarum, lata est leucas 20, longa ab Oriente versus Occidentem 50. Vrbes continet tres; *Sevillam*, in qua Collegij sedes est, versus oram Borealem, in partem siquidem insulæ Occidentalem incolas traduxit *Iohannes de Esquivel*, eques Hispalensis. Præterea *Melillam*, ad littus Septentrionale, 14 à *Sevilla* leucis versus Orientem. Deniquè *Oristan*, ad Australem oram, versus Occidentalem partem, 14 à *Sevilla* leucis. Coloniae sunt gubernatoris *Francisci de Garay*, qui istic jura dedit. Verum de urbe *de la Vega*, à qua Admiralij hujus Insulæ titulum Ducum sibi assumfere, nec non de alijs duabus colonijs, quæ in quibusdam tabulis geographicis annotantur, nihil compertum habeo.

Portus &
promonto-
ria huius
Insulae,

In Jamay-
ca prima
civiles tur-
bae sunt ex-
orta.

Ad littus hujus Insulæ promontorium sive cuspis (Latini Lingulam ac linguam terræ vocarent) de *Moranta* sita est, maxime Orientalis earum, quæ ad Borealem oram conspiciuntur. Decem versus Occidentem leucis, portus de *Ianta* occurrit, & 10. ulterius portus de *Melilla*, ad quem primus præfectus appulisse perhibetur. qui illi nomen *Santa gloria* indidit, postquam aberrans à *Veragua* rediret. Atque hic loci oborta fuit seditio *de los Porras de Sevilla*, primum civile in India bellum. 10 leucis ulterius portus est de *Sevilla*, antè cuspidem (sic posthac vocabo id, quod Hispanus *Puntam* vocant) de *Negrillo*, unde ad promontorium de *Falcon* reflectitur littus, propè urbem *Orestan*, & in Austrum abit usque ad portum de *Guayano*. Quinque verò hinc leucis sitæ sunt *las Hormigas*, maris pulvini & scopuli periculosissimi, & 7. inde leucis *las Vivoras*, insulæ Brevibus undique & vadis obsessæ, & qua parte hæc Meridiem spectant *la Serrana* jacet, insula scopulis circumcirca horrens, necnon aliæ quatuor aut quinquennumero; qua verò Caurum respiciunt, *la Serranilla* visitur, & ad Occidentem alius scopulus de *Roncador*, & penè ad Zephyronotum de *Santandros* Insula, scopulis cincta ad Australem & Septentrionalem plagam. *Nombre de Dios* 40. ferè hinc leucis dissidet. Est & alia, *Santa Catalina* dicta. *Caymanes* in Occidentali parte *Jamayca* sunt, 25 leucis à *Negrillo*. Sunt autem *Caymanes*, insulæ duæ, quarum altera ab altera 6 leucarum spatio abest. Magna vero insula *Cayman* longa leucas 7, à dictis insulis de *Caymanes* Occidentem versus 15 leucis abest. Ad oram Borealem inter *Cubam* & *Hispaniolam* alius occurrit scopulus, cui nomen *Abreio-jo*.

Insula S.
Iohannis de
Puerto
Rico.

Insula *S. Iohannis de Puerto Rico*, Indis *Borriquen* dicta, à 12 ad 15 leucas ab *Hispaniola* abest, qua Orientem spectat, longa ab Oriente in occidentem leucas 45, à Borea in Meridiem à 20. ad 30. leucas extenditur. Fructuum, quos *Hispaniola* fert, feracissima est, nempe *Mayzi* & *Iuca*. Auri fodinas habet plurimas; aërem temperatum, & eandem toto ferè anno cœli tempestatem, præterquam Decembri & Ianuario mensibus. Tres pagos habet Castellanorum, præfecturam, & Episcopatum. Hanc insulam lustravit gubernator *Johannes Ponce de Leon* anno 1508, præfectus provinciæ

Ygney

Ygwey, antè *Nicolaum de Ovando* Hispaniolæ gubernatorem, moxque jussu *Regis* ad deducendam eò coloniam Anno salutis 1510 reversus est.

Civitas *S. Iohannis*, qua tractus Borealis insulæ incipit, sita est altitudine poli graduum 18. paulò plus. Nomen illi est *Puerto Rico*, propter portus excellentiam. Hic Episcopus, Gubernator, & redituum Regis administri sedem fixere. Suffraganea est *S. Domingo*. *Arrecibo* à *Puerto Rico* occidentem versus 30 leucis distat. Vrbs *Guadianilla*, sive *S. German el nuevo* sita est ad littus occidentale 33 à *Puerto Rico* leucis versus Zephyronotum. Fuit olim in hac Insula pagus dictus *Guanica*, ad Meridiem situs, ubi nunc portus est de *Mosquitos*, perquam commodus; unde aliò translatus fuit, ad oram videlicet occidentalem, quæ *El Aguada* dicitur, sortitus appellationem de *Sotomayor*. In hac Insula montium est tractus, à quo intersecatur, ab Oriente in Occidentem ad mare usque; & territorium (*Comarca* Hispani vocant) *S. Germain*. Hic reperire est arborem *Tabernaculo*, è quâ alba resina fluit instar *Anime* (species est gummi Indici odoriferi) inservitque cum picandis navibus, tum foco. Facultatem habet attractivam, & sanandis vulneribus proprietate quadam conducit.

Paucos hæc Insula portus habet, propter pulvinorum, (*Virgilius* dorsum maris vocat, Belgæ *Bancken*), quibus totum Boreale latus cingitur, frequentiam; idque à *S. Iuan* Orientem versus. Fluvium habet *Luyfam*, & alium nomine *Canobam*, & *la Cabesa* cuspidem insulæ maximè Orientalem, prope scopulum *los Loquillos*, in qua portus est dictus *S. Iago*, & 3 ulterius leucis alius occurrit, cui nomen *Yabucoa*; & in eodem tractu tribus à littore leucis, Insula *Passaye* conspicitur, & in hujus inicio versus Austrum alia, *Boyqui* dicta, & paulò ulterius Insula *Santana*. *Guasana* portus est. Post hæc videre est fluvios *Neabon* & *Xavia*, 6 leucis à portu de *Guadianilla*, qui à flumine de *Mosquitos* Orientem versus, 3 leucis removetur. In hujus ostio est fluvius *Guanica*, & 4 inde leucis promontorium de *Roxo*, maximè Occidentale oræ Australis. Ad Occidentem versus Hispaniolam insula *Mona* est, ad Septentrionem insulæ *el Monico* & *Zecheo*. Sunt hic portus de *Pinos*, & *Mayaguez*, & *la Bahía de S. Germain el Viejo*, & ostium fluminis *Guanabo* sive *la Aguada*, & ulterius portus de *Guabataca*; atque insuper, qua Boream adspicit, portus de *Camay*, & portus *Cibuco* & *Zoa*, propè *Puerto Rico*, & circa mediam oram maris Australis sub ipsum littus 4. aut 5. insulæ jacent de *Haberianas*. Multùm hic zingiberis colligitur. radix est similis rubiæ aut croci radicibus, ex Oriente in hanc insulam de *Barlovento* à Lusitanis transmissa.

Insula, quæ ad Borealem *S. Juan*, Hispaniolæ & *Cubæ* plagam jacent, quarum quædam Castellani inhabitant, de *los Lucayos* vocantur. Vna earum maximè ad Boream vergens ad grad. altitud. 27. elevatur, dictaque est *Lucayoneque* sive *Tucayoneque*, ad cuius Occidentalem partem insula *Bahama* sita est altitud. grad. 26. longitudine 30. latitudine 8. unde nomen suum habet *Canalis Bahama* inter *Floridam* & scopulos de *los Nimbres*, ex quo perpetuò in mare versus Boream tanto impetu aquarum æstus erumpit, ut eum, ne quidem secundo vento actæ naves superare possint, quæ tamen flante adversum vento prono undarum alveo mare conscendunt.

Scopuli *Bimini* ita dicti sunt, propter insulam in medio illorum positam, 5. leucarum longitudine. *Columbus* prima sua in *Cubam* navigatione hoc illi nomen indidit. Estque hæc illa ipsa, in quam colonos deducere in animum induxerat *Iohannes Ponce de Leon*. *Abaco* insula in iisdem quoque jacet scopulis longa leucas 10. *Cigateo* 25. leucarum est. *Curateo* alia, sed minor, Insula in altitud. grad. 25. posita est, uti & *Guanima* 15. leucarum longitudine, latitudine 10. & juxta eam *Guanahani*, quàm primam in

DESCRIPCIÓN DE INDIA

Novo orbe detexit *Columbus*, vocavitq; *S. Salvador*. *Tama* 20. leucarum est, si longitudinem meriaris, si latitudinem 8. altitudinem grad. 24. quam Admiralius *Isabellam* appellavit, in gratiam Illustriss. Reginae *Isabellae* patronae suae, cujus auspicijs has terras detectum ibat.

Jumeto in altitud. grad. 23. posita, lata est leucas 15. ad Borealem *Hispaniolae* partem. *Sumana* leucas numerat 7. inter *Jumeto* & *Guanimam* sita. Triangulo 8. leucas lata, ad gradus polares 24. elevatur. *Yabaque* 10. leucarum, altitudinem poli habet 22. grad. *Miraporyos* tres Insulae vocantur, formam triangulari, vadis cinctae ad Australe latus insulae *Jumeto*. *Mayaguana* 20. leucarum longitudine est, latitudine 10. altitudine 23. grad. *Ynagua* 10. leucarum, altitudinem habet 20. grad. *Los Caycos*, insula 5. leucarum, altitudine 21. grad. & ad hujus partem Borealem *Hamana* jacet, & *Conciva*. *Macarey* 20. grad. altitudine scopulis immersa est. *Abreoio* scopulus est ad 15. leucas excurrens, cujus pars media altitudinem attingit 20. grad. Has inter hic illic complures jacent minoris magnitudinis insulae ἀνάρμοι.

Insulae, quae ab Insula *S. Iohannis de Puerto Rico* Orientem versus, ad oram usque *Terra Firma* mari innatant, *los Canibales* vocantur, propter *Caribes* antropophagos, qui has incolunt. *Canibal* autem ipsorum lingua *hominem robustum* significat, tales enim ab Indis alijs habebantur. Insulae sunt vadosae omnes & Syrtibus formidabiles. Maximè vicinae sunt *S. Juan Santa Cruz*, ad Zephyronotum respectu *S. Iuan* posita, altitud. grad. 16. longitudine leucarum 16. & *Sabalas Virgines*, duae insulae, scopulis obsessae, aliaque insuper 8. aut 10. insulae, leucarum 10. Adhaec *Virgen-Gorda*, & *Isleos blancos* ad Occidentem *de Virgen-Gorda*. *La Anegada* longa est leucas 7. altitudine 18. graduum cum dimidio, itidem vadosa, qualis etiam est *Sombreno*. Has verò Insulas, *de Barlovento* dictas, aperuit primus Admiralius.

Indigenae *Santa Cruz* aliarumque insularum, in insulam *S. Iuan* trajicere solebant, ad capiendos homines, quorum carnibus ferinam rabiem explebant, quod & hodie faciunt incolae *S. Dominicae*. A mulierum esu abstinebant, verum ijs, tanquam mancipijs, utebantur. Perhibet fama, comestum aliquando ab ipsis fuisse Monachum, hoc eventu, ut quotquot carnes ipsius gustassent diarrhæa ac alvi profluvio extinctae fuerint; atque hanc ob causam ab humanarum carniū esu ipsos abstinuisse. Fidem huic rei hoc facit, quod, cum minori periculo homines possint, equos jam & vaccas mactent ijsque vescantur.

Anguilla longitudinem habet 10. leucarum, altitudinem grad. 18. *S. Marten* altitudinem habet graduum 17. longa leucas 16, cincta ab omni parte insulis minoribus. Propè hanc jacent Insulae *S. Eustatij*, *S. Bartholomæi*, & *S. Christophori*, quarum unaquaque longitudinem habet leucarum 10. *la Berbada* ad altitud. grad. 17. attollitur, vadosa valdè, & vicina insulae *de la Redonda*, *de las Nieres*, & *de Monserrate*, longitudinem habet 5. leucarum, altitudinem 15. graduum cum dimidio. *Antigua*, *Guadana*, & *Todos Santos*, positae sunt inter grad. 14. & 15. *La Deseada*, ad orientale latus *Guadalupæ* penè 6. leucarum est. Fuitque hæc prima, quam *Columbus* secunda sua in Indiam navigatione detexit. posita est in altitudine grad. 14. adque ad hanc à Canarijs venientes classes contendunt. *Marigalanta*, quod nomen navi fuit, quae Columbum vexit, 5. leucis à *Deseada* & *Dominica* versus Zephyronotum abest, altitudine graduum 16. longitudine 12. in quam aequatum & lignatum abeunt naves, propter stationum commoditatem, quanquam periculum sit, ne in *Caribes* incidant. Vicinae *Dominica* ad Austrum sunt, *Matinino*, *Santa* & *los Barbudos*, quas quoniam à læva sui parte relinquunt Classes, insulae *de Sotavento* dictae sunt, pertinentque ad oram *Terra Firmae*. Harum autem amplissimè

amplissima & maximè Orientalis est *la Trinidad*, 200. circiter ab *Hispaniola* leucis, è diametro opposita *Dominicæ*, & 60. ab ea distans leucis, longa leucas 50. ab Oriente in occidentem, lata ferè 30. Aperuit eam Columbus anno 1498, jam tertium in Indiam navigans, & *la Trinidad* vocavit, propterea, quod multum mari jactatus, & in summo discrimine positus, votum fecisset Deo, se, quam primam deprehendisset terram, isto nomine nuncupaturum. Moxque consensu mali carchesio nautarum aliquis tres hujus Insulæ angulos vidit, causamque explendi voti tam sacrosanctâ appellatione Columbo præbuit. Hac quoque tempestate ostia *del Drago* detexit, uti & *Seirpe*, sinum *de Paria*, & *Terram firmam*, *Cumanam* usque. Verum non ferens tam insignem facinoris gloriam *Americus Vespucius*, laudem istam sibi arrogavit, immeritoque ab ipso nomine Americæ appellationem sortita est peninsula Australis sive India Meridionalis. Constat populosam hanc esse, sed soli vitio laborare. Longa est leucas 15. lata 25. altitudinem attingens grad. 8. In Orientali ejus parte ad Septentrionem terræ angulus prominet, qui *la Galera* vocatur, & hinc Boream versus insula est insulis undique cincta, quam *Tabago* vocant, & ad Meridionalem oram promontorium *Redonde*: in orientali parte insulæ, *cuspis del Anguilla*, & in Occidentali parte, & in sinu *de Paria*, qui mare est insulam & *Terram firmam* interfluens, latitudine leucarum 8. Semicirculum facit, coronæ instar, quæ verò in Occidentem exit maximè angustum est & profundissimum. duæ insulæ in fine oræ Borealis versus Occidentem sitæ sunt, dictæ ostia *del Drago*, & versus Boream *S. Vincent*, & *Granade* insulæ.

Detectio
insule S.
Trinidad.

Arrogan-
tia Americi
Vespucij.

Insula quoque hic conspicitur *Margarita*, à *Columbo*, uti & aliæ, nomen sortita, quod certissima præbet documenta, à quo primum *Terra firma* detecta fuerit, cum manifesta illorum, qui hanc ipsi laudem eripere studuerunt, infamia. 20 à *la Trinidad* leucis distat Occidentem versus, 170 ab *Hispaniola*. Longa est leucas 16 ab oriente in occidentem, aut, uti quibusdam placet, 20. lata 10. Aquis non abundat, quanquam pabula pecori sufficiat copiosissimè. Duo sunt in ea pagi, alter mari vicinus propè arcem Gubernatoris sedem, alter duabus à mari leucis, quem vallem *de S. Luzia* vocant. Habet hujus insulæ ora commodum portum ac littus, magnamque ostreorum margaritarum proferentium frequentiam. Concessit ultrò huc margaritarum istarum piscatura, quæ antea in *Cubagua* viguerat, à qua ostrea fugisse perhibent, propter fragorem tormentorum bellicorum, qui crebrò istic è navibus ad margaritarum mercatum eò profectis audiebatur.

Margare-
ta Insula.

Qua de
causa mar-
garitarum
piscatio à
Cubagua
in Margari-
ritam insu-
lam concef-
serit.

Cubagua leuca una à *Margarita* dissidet Orientem versus. Ne guttulam aquæ hic videas, nihilominus eò deducta fuit colonia, *Cadix* dicta, cujus incolæ aquam 7. inde leucis è flumine *Cumana* petitum ibant. Ad orientalem *Cubaguae* plagam quatuor insulæ littori adjacent, à primo *Admiralio los Frayles* vocatæ, & Orientem versus inter illas & *Granadam*, aliæ insuper quatuor aut quinque ab eodem *los Testigos* appellatæ, Occidentem verò versus, post *Cubaguam* alia insula est *Tortuga* nomine, propè cuspidem *de Araya*. Detexit idem *Admiralius* sinum *Paria*, in animo habens universam *Terram Firmam* aperire, & hoc quoque sine in has oras eum profectum esse infra docebitur, uti & insulas *los Guanajos* ab ipso observatas esse, atque hinc juxta *Veraguam*, *Nombre de Dios* prætervectum esse. In *Margarita* insula ærarium est regium, necnon regij Officiales. Habet hæc, uti & *Cubagua*, altitud. grad. paulò plus II.

DESCRIPTIO INDIAE

CAP. VIII.

De Venezuela, fluvio de la Hacha, Nova Andaluza, Florida, & Novæ Hispaniæ sinu, quæ reliqua erant, ad Cameram istam sive Audientiam pertinentia.

Præfectura
Venezuela.

Præfectura de Venezuela littore Terra Firma Orientem versus & Novâ Andaluziâ terminatur, unde ad fluvium usque de la Hacha & præfecturam de S. Marta, cui ad Occidentem confinis est, leucas numerat 130. à mari in continentem & loca mediterranea ad leucas 80. abit, ad limites usq; novi regni de Granada. Plurima in hac regione auri deprehenduntur vestigia & notæ. Tritici feracissima est, & duplici messe quotannis agricolam beat, omnis generis pecora ubertim nutrit. Multum ex his locis farinae, panis bis cocti, casei, lardi, uti & lintea è gossypio contexta in vicinos tractus portantur. In portu verò de Guayra, in regione de Caracas multis boum tergoribus onerantur naves, necnon farsâ parillâ. Octo in hac provincia sunt pagi, dictaque est Venezuela, hac de causa, quod, cum Belzares Germani hanc provinciam invasissent Anno 1528, regni & imperij sedem hic quærentes, in rupe sive præcipitio ipsis maris de Maracaybo faucibus imminente pagum condiderint. quem Venezuelam appellarunt, situsque erat altitud. grad, paulò plus 8. Ab hoc tota nomen accepit provincia. Præcipuus ejus locus est civitas Coro, quam Indi Corianam vocant, nunc vulgò Venezuelam. Altitudinem habet grad. 11. & 79. gradibus, & tertia insuper gradus unius parte abest à Meridiano Toletano, leucis nimirum 1500. Hic præfecti sedes esse solebat. Cathedralem habet Ecclesiam suffraganeam Archiepiscopatus de S. Domingo. Primum exstructa fuit civitas à Iohanne de Ampues & in ea domicilium fixere Germani Belzares, quorum primus fuit Ambrosius Alfinger. Tam salubri fruitur aère, ut Medicis hic opus non sit.

Civitas
Venezuela dicta.

Coro civitas.

Nostra
Segnora de
Carvalleda.

Alter locus celebrior est, Nostra Segnora de Carvalleda, in provincia de Carracas, ad mare, 80. leucis versus Orientalem plagam de Coro, portum habens commodum. Coloniam fecit D. Franciscus Faiardus Anno 1560. qui à Margarita insula eò se receperat.

Sant Iago
de Leon.

Sant-Iago de Leon in eadem regione est, 7. à mari leucis, 3. à Carvalleda versus Austrum, à Coro, 70. in qua plurimum commoratur loci istius Gubernator.

Xerez.

Nova Valentia 60. à Coro leucis abest, 25. à Sant-Iago de Leon, 7. à portu de Burbarata, à Centurione Villacinda colonia facta est. Nova Xerez pagus est novus leucarum penè 15. ad Meridionalem ferè novæ Valentiaë partem, à Nova Segovia 20. à Coro versus Zephyronotum 60.

Segovia.

Nova Segovia in provincia de Bariquiximiro, 20. à Xeres leucis abest Austrum versus. 10. à Tucuyo, 80. à Coro versus Zephyronotum, ubi sedem fixere Regis officiales, unacum gubernatore & Vicario ejus pro tempore. Coloniam fecit Iohannes de Villogas Anno 1552.

Tucuyo.

Tucuyo civitas cædetyranni Lope de Aguirre celebris, 10. leucis à Segovia abest versus Zephyronotum, à Coro 85. Colonia est ducis Carvayal.

Truxillo.

Truxillo sive Nuestra Segnora de la Paz, in provincia de Cuycas, leucis ferè 80. ad Austrum, paulò versus Orientem à Coro abest, & à Tucuyo 25. rectâ Occidentem versus. Deteçta fuit hæc regio Anno 1549. ejus loci Gubernatore Licentiate Tolosa Thesaurario. Anno autem 1559. colonos accepit Truxillo, idque à duce Diego Guarcia de Paredes.

Huic

Huic præfecturæ plus quam 1000. Indi tributum pendunt, exclusis tum ijs qui 18^{um} ætatis suæ annum nondum attigerunt, tum ijs qui 50^{um}. excefferunt. Vnicè enim hoc curat rerum Indicarum Curia, ne à talibus per uniuersum Novum orbem tributa exigantur. Accrescente autem ac decrescente hominum multitudine certus tributariorum numerus definiri non potest.

De Indis
Tributariis.

Lacus *de Maracaybo*, quem Hispani *de nuestra Senora* vocant, aquas habet dulces, & ab ipsa navium statione in mediterranea loca ad leucas excurrit 40. latitudinem habet 10. leucar. ambitum 80. multis passim in ripa insignitus pagis. Qua parte terminatur, fluvius quidam in illum excurrit è *novo Regno Granatensi*, per quem, uti & per lacum ipsum, merces in *novam Castellam* aliosque tractus devehuntur. Quidam indigenarum in *Barbocas* habitât, exstructis in arborum ramis habitaculis aut supra aquam, aut ad lacus ripâ, unde & nomen *Venezuela* sortita est. In quibusdam hujus lacus partibus, nulla usquam navigantiùs apparet terræ ripa. Alia in illam exonerantur flumina majora, ipse in mare excurrit, ostium habet latitudinis semileucæ, in quo rupes est edita, de qua supra.

Lacus de
Maracaybo.

Portus, promontoria & cuspides circa oram hujus præfecturæ & vicinaloca, sunt ad Occasum, *Marcapana*, *la Vrchila*, insula ex aduerso fluminis *Oynare* posita, propè aliam dictam *Roca de los Jseos*, quam excipit promontorium *de la Cordera*, & portus *Flechado*, aliisque *de Sardinias*. E regione verò insulæ *de Aves*, ante *Burburatam*, excellēs est portus, quem colonis auxit *Tolosa* licentiatus. In hoc exonerantur merces in *novum Regnum*, & provincias Peruanas ad sportandæ. Post hunc sequitur sinus *Tristis*, *Golfo Triste*, & ad Borealem *Bonayre* plagam insula occurrit 10. leucarum longitud. latitud. verò 8. Hinc cuspis *Seca*, & è regione, *Curacao*, ac paulò ulterius *Curacaute*, 14. leucarum longitud. ex aduerso promontorij *S. Romain*, ad Australe latus insulæ *de Aruba*. *S. Roman* 20. leucis in mare protenditur, à *Coro* abest leucis 12. Indi *Paraguanam* vocant, estque peninsula. Peridromus 21. absolvitur eucis, inque ejus medio mons est, eminus è mari conspicuus. Circa initium *Venezuela*, ostium est & canalis lacus *de Maracaybo*, inque ipso fluvij aditu sita est *Mitare*, ad Occasum *los Monges* insulæ tres propè promontorium *de Coquibocoa*, quo loci solum reperitur lapis lydius. Hæc post sequitur *Bahia honda* & *de Portete*, & promontorium *de la Vela*, quod nomen suum à duce *Alphonso de Oieda* accepit, cum eo primum *Americus Vesputius* proficisceretur, longè post ea tempora, quibus primus Admiralius ea littora aperuit, quæ in altit. 12. grad. posita sunt. distat autem *Rico de la Hacha*, à promontorio *de la Vela* leucis 12, quo intervallo nec lapides invenias, nec aquam, solâ pluviali exceptâ. Ex quo Germani hic rerum potiti sunt, nulla fuit hujus præfecturæ dignitas, nec enim colonos in eam deducebant, sed indigenis pro mancipijs utentes, terram omnem fructibus suis orbatam depopulabantur.

Portus &
promontoria præfe-
cturæ Ve-
nezuela.

Fluvius *de la Hacha*, primum *nuestra Senora de los Nieves* vocatus fuit, postea *de los Re- medios*, mari vicinus est, interque *Venezuelam* & *S. Martham* labitur, à qua ad Ortum leucas habet 30. à *Coro* versus Occasum 60. à Meridie verò in Septentrionem ad modum promontorij *de la Vela* excurrit, interjectis 18. inter *Venezuelam* & *S. Martham* leucis. Nulla in eo deprehenduntur auri vestigia. Regunt eam prætores subordinati Camerae *Hispaniole*, in spiritualibus subditi Episcopatus *S. Marthæ*. Situs est locus 1000. à mari passibus, in colle humili. Portus Boream versus pater. Solum fertilissimum est, eosdemque, quos *Castella*, fructus profert. Multas habet tigres, magnosque *Mosquitos*, culices, flumina crocodilis scatent. Auro & gemmis preciosis abundat, quæ peculiari facultate, coli, renum, lienis affectus, uti & diarrhæam sanant. Salinas insuper habet. Ante *Belzares* Germanos colonos huc deduxit *Nicolaus Federman*.

Fluvius de
la Hacha.

C

Præfe-

DESCRIP TIO INDIÆ

9.104
 Nova
 Andalusia.

Præfectura de *Serpa*, quam *Novam Andaluiziam* vocant, & Indorum linguâ *Guayanam*, post factam limitum distinctionem, ab *Insula Margarita* ad fluvium *Maranjon*, ad 300. leucas Orientem versus extrahitur, totidemque à Meridie in Septentrionē versus mediterraneos tractus, quibus concluduntur *Indi Omagues & Omigas*, una cum provincijs de *Dorado* in Australi hujus præfecturæ plaga; in quam quoque ad littus incidit provincia *Marcapana*, in confinibus *Venezualæ*; quo loci habitata fuerunt ostia de *Santa Fe*, quibus vicinus est *Morro de Vnare*, ad quem lacus piscibus & sale abundans terminatur. Pertinent quoq; ad hanc *Indi de Peritozo*. à mari leuc. & *Indi Palenques*; ita dicti, quod munimenta ex palis conficiant; nec non regio *Cumana*, *Margaritæ* ad Austrū opposita, in qua unica est *Castellanorū* colonia; dicta *nova Cordoua*, quam fundavit militum dux *Gonsalvus de Ocampo*, cum eò ad retundendam Indorum insolentiam profectus esset, causa diruti & subversi Cœnobij *Franciscanorum*. Ad Orientale autem latus insulæ *Trinidad*, & fluminis *S. Iuan de las Amazonas*, provincia jacet, quam *Indi Aruacas* incolunt, quorum pars sunt *Caribes*, gens militiæ dedita, & ad bellum magis quam pacem facta.

Sequuntur postea, cuspis *Paria*, in altitud. grad. 7. posita, & ostium *del Dragon*, non longe à *Trinidad*, hinc cuspis de *Gallo* sive *Anegada* ad Australe latus de *Trinidad*, & fluvius de *Paria* sive *Oronico*, quem quidam nominant *Tuyapari*. Sunt qui putant dictum fluvium & fluvium *S. Iuan* & de *Orellana*, quin & fluvium *Maranion* unum eundemq; esse, sed hallucinantur. Alia adhuc sunt in provincia *Aruacas* flumina, sed minus cognita. Fluvius *S. Iuan*, sive *Orellana*, originē suam deducit ex montibus *Andes* in *Peruvia*, in regione *Cusco*, à quibus ad 1500 leucas exspaciatur, per lineam *Æquinoctialē* regionesq; populosissimas, licet nondum satis detectas, donec se in mare *Atlanticum* exoneret. Ostium amplum est leucas 50. & in ipsis faucibus mare versus 500. ubi multæ jacent *Insulæ* eaq; incolarum frequentia celebres. At 80. aut 100 ulterius leucis magis ad Occasum fluvius est *Maranjon*, ferè in illis finibus, per quos transit linea institutæ inter *Castellam* & *Lusitaniam* distributionis. Tam formidabilis est, ut ostium habeat amplitudine leuc. 15. cursumque suum ab Austro & provincijs *Brasilie* instituit, facto initio, uti creditur, infra *Po-payan* & jurisdictionem novi regni *Granatensis*.

Quæ sit origo fluminis *Orellanae*.

Septem à *Cumana* leucis insula jacet *Cubagua*, ubi siti fuere *novi Gadez*, è quâ translati sunt incolæ, propter incommoda & lites natas ex margaritarum piscatione. Insula hæc, quia solum habet nitrosum, nullam aquam habet potui idoneam, nullas arbores, nulla animalia, exceptis solummodo suis, quibus supra spinam medullarū umbilicus est, & cuniculis. Et quanquam habitatoribus sit frequentissima, tamen ad 7. leucarū distantiam ad flumen *Cumanæ* aquatum abeunt incolæ, licet quidam nebulas caliginemq; ab ea oculis induci credant. Circa hunc fluvium accidit Anno 1531, ipsis *Calendis* *Septembris*, ut summa aeris serenitate mare supra solitam altitudinē cubitis excreverit 4 & facta inundatione terram concusserit, dejecta ibidē arce, quam jussu regis *Hispaniarum* extruxerat centurio *Jacomo de Castello*. fissa autē regione hiatibus varijs ebulliebat aqua falsa & nigra instar atramenti, foetore sulphureo. Mons in sinu de *Cariaco* medius patebat, & mox refluens mare multas undarum impetu & violentia domos dejecit, hominum plurimis aut aqua absorptis aut terræ motu exanimatis. *Margarita* unica à *Cubagua*, distans leuca, insula est placidissima. coloniam fecit *Marcellus de Villalobos* licentiatus.

Insula *Cubagua*.

De terra motu in litore *Terra firma*.

Margarita insula. *Florida*.

Provincia & præfectura *Florida* confinis *Camæ* *S. Domingo*, omnem a fluvio de *las Palmas* tractum, qui præfecturæ de *Panuco* in nova *Hispania* sub imperio *Camæ* *Mexicanæ* conterminus est, propè *Tropicum*, altitud. 22. grad. complectitur, & usque ad cuspidem *Bacallaos* vadit, sitam in altitudine graduum 48. cum dimidio, cujus ora in leucas

leucas 1258 extenditur: Et hinc porrò usque ad 73. grad. Boream versus abit, omnemque terram habitabilem & cognitam ambitu suo claudit. Cognita verò & detecta est à fluvio de *las Palmas*, usque ad cuspidem *S. Helena* & fluvium *Jordan*, ad leucas 600. Continens optimo sita est climate, fertilis, & multis locis populosa, uti ijs notum, qui Annis 1536. & 1537. eò cum *Ferdinando de Soto*, profecti fuere. *Iohannes Pardo* indigena de *Cuenca* à *Florida* in *Novam Hispaniam* terrestri itinere pervenit, annis minus duobus. Inter omnes *India* regiones maxime *Europæ* vicina est.

Ab eodem *Iohanne Pardo* ad *Terram* usque *novam* detecta est. Ea verò telluris pars quam speciatim *Floridam* vocant, est illa continentis lingua, sive cuspis, quæ extenditur ad leucas 100. è regione *Cubæ*, ab Oriente in Occidentem lata leucas 25. & qua parte latissima est leucas 50. Aperuit hanc *Iohannes Ponce de Leon*, Anno 1512. Festo Paschatis, resurrectionis *Dominicæ* die, ac ob eandem causam *Floridam* vocavit. Postea Anno 1521. eò reversus est, & in *Cubam* se recepit, ac ibidem fatis concessit. In crebuerat rumor, fontem aut fluvium ab illo quæri, cuius potu senibus juventutem reddi, fabulantur *Indi*. Eadem hic, quæ *Castellæ*, est aëris temperies, eadē fructuum abundantia. Tritico adhæc ferendo & pascendo pecori idonea videtur. Aurum non fert, nec novisse illud creduntur *Indi*, multoq; minus argentum. quanquam in ejus littore deprehensi sint invenisse capsulas de *Barras*, hoc est, metalliferas, nec tamē æstimasse. In intimis verò magni fluminis partibus magnam margaritarum copiam reperit *Ferdinandus de Soto*. Duo solummodo hæc regio habet *Castella* præsidario milite munita, idq; in littore orientali, prius, *S. Matthæi* arx vocatur, situmq; est in cuspide *S. Helena*, 100 pene ab *Havana* leucis; posterius *S. Augustini*, estq; præcipuum hoc munimentū, propter portus commoditatem, & vicinum canalem de *Bahama*. 50. penè à *los Martyres* abest leucis, insulis compluribus, ijsq; populosis, prope cuspidē *Floridæ* sitis, qua parte magis ad *Cubam* accedit. leuca una, aut una cum dimidia, aut minus à se invicem distāt, scopulis obsessæ sunt, & ostia habent 23. aut 24. leuc. Harum principium, qua *Austrū* respiciunt, cuspis de *los Martyres* vocatur, qua verò orientem spectant, caput de *los Martyres* dicitur. Est hic insula long. 14. leucarum, sed angusta valde. Cuspis *Floridæ* versus orientem in altitud. 24. grad. cum semisse posita est, in qua pagus fuit *Castellanorum*. & versus *Septentrionem*, è regione cuspidis flumen est *Ayç*. ulterius Boream versus altitud. 28. grad. cuspis jacet de *Canaveral*, & ulterius adhuc fluvius de *Mosquites* sive *Cnlicum*, quem sequitur fluvius de *la Matanca*, ita dictus, quia hic loci cum duce *Iohanne Ribao*, & quas ducebat, Gallorū copijs, confligit *Petrus Melendez*. Mox & cuspis occurrit *S. Augustini* altitud. 29. grad. & amplius; à qua 10. leucis abest fluvius *S. Matthæi*, unde versus *Aquilonem* recurrit ora, insulis & sinibus per totum littoris tractum conspersa ad promontorium usque *S. Helena*, situm in altitud. grad. 32 cum dimidio. quod non cura & studio, sed casu deprehensum est Anno 1520.

In reliquo oræ tractu, qui à cuspide *S. Helena* præterit *Terram novam* & *Bacallaos*, & usque ad *Terram de Labrador* excurrit, supra *Angliæ* altitudinem, nullus est pagus, nulla *Castellanorum* præfectura, quanquam diversis temporibus à diversis detectus fuerit. Hoc constat, plus mille esse terræ leucas, in quibus aurū non reperitur, & quo altius ad *Arctum* abis, quo incultior minusq; habitabilis est. Plurimos habet fluvios & portus, quos, quia minus noti sunt, silentio involvunt scriptores. Fluvius de *los Gamos*, qui & *S. Mariæ* vocatur, vastus est & periculosus, ferè in oræ ipsius medio, interq; *Bacallaos* cursum instituit, quo loci in mediterraneas regiones versus *Ocasum* se recipit magnus fluvius *Ochelaga*, quem sæpius exterorum naves conscenderunt, arbitrantium transitum aliquem hic in *Novam Hispaniam* dari.

Propugnacula Florida.

De fonte, cuius aqua inventum vestire creduntur.

Ora Septentrionalis usque ad Bacallaos.

Magnus S. Mariæ fluvius.

D E S C R I P T I O I N D I Æ

Circa oram *Floridæ*, quæ Orientem respicit, occurrunt de *Tortugas*, insulæ 2. aut 8. ad Borealem partem cuspidis de *los Martyres* in Continente posita est *la Muspa*, pauloque ulterius 13. versus Boream leucis sinus est de *Carlos*, aliter dictus *Iuan Ponce de Leon*, totidemq; insuper leucis sinus de *Tampa*, 33. à *Tocobaga* leucis, & quæ del *Spiritu S.* sive de *Mervele* dicitur, altitud. 29, grad. cum dimidio; unde initium sinit propriè dicta *Florida*. Versus terram *Labrador* fretum quæritur, in quo mare pacificum & Boreale concurrant. uti enim versus Meridiem fretum dari aiunt, ita ad Septentrionem simile quoque fretum dari coniectant. Verum nondum huius rei fidem probavit experientia. ita ut incertum adhuc sit, num hic transitus detur, necne. Et quamquam tentata sæpe sit per dictas terras navigatio, nondum tamen in hunc usque diem inventa est. Multum autem hac in re adlaboravit Thalassiarcha *Petrus Melendez* coniecturis quibusdam fretus.

*Sinus nova
Hispania.*

Tota ora ac tractus Occidentalis usque ad præfecturam de *Panuco*, intervallo 300. leucarum, sinus *Nova Hispania* dicitur, in quo nulla est Castellanorum colonia, quam adjectus sit ad præfecturam *Pamphili de Narvaez*, & *Ferdinandi de Soto*, atque ante hos *Francisci de Garay*. Magna annonæ & comæatus inopia laborat, gensque eam incolit pauperrima & omnium egena. Et quanquam portus fluviosque habeat plurimos, quia tamen cogniti satis non sunt, silentio quoque hos præteribimus. Sinus duos habet aditus; per quorum alterum maris æstus magno impetu irruit, inter *Yucatan* nempe & *Cubam*, per alterum verò majori rapiditate effluit, idq; inter *Cubam* & *Floridæ* cuspidem; uterque fluxu suo Canalem de *Bahama* constituunt, translata ad hunc Insulæ appellatione.

C A P. I X.

De limitibus sive territorio Camera, hoc est suprema Curia Mexicana.

*Sebastianus
Ramirez.
Præses S.
Domingo.*

Secunda Indiæ Occidentalis Camera, est *Mexicana*, in *Nova Hispania*, in qua primus Præsidem egit (inter tot qui illi gubernandæ operam suam obtulere) *Nunius Guzmanus* Eques de *Guadalajara*. Verum cum animum tanto honore majorem gereret, alio imperio auctus est, & hujus Camerae Præsides designatus est, *D. Sebastianus Ramirez de Fuenleal*, Auditor Cancellariæ Granatensis factus postmodum Præsides de *S. Domingo* & Episcopus Civitatis *Conception de la Vega*, vir consummatæ eruditionis, raræ virtutis & in se ipsâ apud omnes existimatione. Præfecturæ provinciam in se recepit, uti & administrandi Iuris, & ærarij regij curam, relicta armorum & militiæ cura *Marchioni del Valle*, ea tamen lege, ut consilia quoque sua cum Præside conferret. Atque inter hos magna fuit & animorum & rerum gerendarum societas. Hujus Camerae limitibus non continetur illud, quod vulgo *Novam Hispaniam* vocant, tamen ab alia parte plus ijs includitur, cum *Nova Galicia*, cui sua est Camera, pars sit novæ Hispaniæ. Provincia *Iucatan*, quæ novæ Hispaniæ pars est, huic subest Camera, ab Oriente in Occidentem ad 400. ferè leucas porrigitur. Orientaliore sui parte contermina est Camerae *Nova Galicia* ab Austro verò in Septentrionem penè 200. leucas numerat, initio factò à finibus Imperij de *Panuco*, usque ad mare Australe. Partis Borealis præcipuæ provinciæ sunt Archiepiscopatus de *Mexico*, Episcopatus de *Mechoacan*, & de *los Angeles*, sive *Tlascala*, & de *Guaxaca*, & de *Chiapa*, & præfecturæ de *Panuco* & *Jucatan*, necnon *Tabasco*, Insula *Philippina*, & tractus navigationis in *Chinam*.

Nova

Nova Hispania nulli totius novi orbis regioni, soli bonitate & habitatorum frequentia cedit. Temperie aëris optima est, frugibus, tritico, mayzo, omni pecorum genere, alijsque ad humanam vitam necessarijs, abundans, excepto oleo & vino. Et quanquam in varijs ejus tractibus aurum reperiatur, tamen major argenti est copia, propter argenti fodinas plurimas.

Archiepiscopatus de *Mexico* inter *los Angelos* & *Mechoacam* situs est, protensus à Meridie in Austrum leucas 130. & latus 18. juxta oram maris Australis, ad 60. usque terræ leucas. quibus continentur, provincia de *Mexico*, & in ejus Aquilonari parte *la Teotlalpa*, *Mextitlan*, *Xilotepeque* & maximè remota *Panuco*, in Occidentali verò parte, *Catelzingo* propè *Mexico*, & *Cultepeque* longissime distita, & Orientem versus, *Tezcuco*, valde vicina *Mexico*, ad Zephyronotum, *Chalco*, non longè à *Mexico*, & inde Austrum versus *Suichimilco* proxima situ, mox *Tlaluc*, & inter Meridiem & Zephyronotum *Coyxca* & *Acapulco* situ remotissima Austrum versus. In omnibus his regionibus non nisi quatuor sunt Castellanorum pagi, quanquam in *Mexico* plurimi sint Castellani, easdem, quas Indi quondam, ædes possidentes. Antiquis nominata fuit *Mexico*, *Tenoxtitlan*. altitudinem habet graduum 19 cum dimidio, longitudinem grad. 103. à Meridiano *Toletano*, unde recta linea distat 1740 leucis, sive horis Solaribus 8. Posita est in medio duorum lacuum, qui eam undique cingunt, quorum alter aquam habet falsam, propter fundum & vadum nitrosum, alter dulcem, & piscosam, qui se in lacum falsum exonerat. Singuli latitudinem habent leucarum 5. longitudinem 8. ambitum 33. leucarum. Triplici viâ latitudinē habente dimidiæ leucæ urbem permeant. Cives Castellanos habet 4000. & plus quam 30000. domos Indorum, idq; in quatuor urbis vicis ac partibus, in quas vigente hic paganismo distributa fuit, quas hodie vocamus, *S. Juan*, *Santa Maria la redonda*, *Sant Paulo*, & *S. Sebastian*, præcipua autem pars est *Tlatelulco*, quam nos *Sant Iago* vocamus.

De Archiepiscopatu Mexicano.

Mexico à Toletano abest 1740. leucis.

Vrbs *Mexico* sedes est Camerae proregis, trium Camerae Prætorum, eorumque, qui regij ærarij curam habent. Sunt quoque in hac, domus fusoria, & officina monetaria, necnon Archiepiscopatus metropolitanus, qui suffraganeos habet Episcopos de *Tlascala*, *Guaxaca*, *Mechoacan*, *novæ Galiciæ*, *Chiapa*, *lucatan*, *Guatemala*, *Verapaz* & *Philippinarum*. Basilicæ fundamenta jecit *D. Ferdinandus Cortesius*, ad cujus columnas, statuas lapideas, quæ hodie spectantur, erigi curavit, operisque incepti fabricam absolvit Episcopus, Præses, & *Novæ Hispaniæ* Governator *D. Sebastianus Ramirez de Fuenleal*. Primus verò Mexici Episcopus fuit Frater *Iohannes de Zumagarra* religiosus, Franciscanus, eximiæ pietatis & inculpatae vitæ vir, indigena de *Durango*, in ditione de *Vizcaya*. qui primus quoque ejus loci Archiepiscopatum tenuit.

Habet *Mexico* cœnobia Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinianorum, Iesuitarum, Carmelitarum, Discalceatorum, Mercenariorum, Trinitariorum, Monialium decem, Collegium adolescentium Indorum, & aliud Resipiscentium, & Reconciliatorum. Academiam quoque, in qua artes & liberales scientiæ accuratè & eruditè docentur, aliaque plura Collegia & Xenodochia. Habitant hic & in Indorum confinibus 3000. Castellani. Pagi in his provincijs, quos quidem incolunt Indi, sunt 250. quorum 150. scholas habent; Pecorum hic stabula supputantur 6000. Indorum tributariorum plus quinquies centena millia, Cœnobia plus quam 150. eaq; Franciscanorum, Dominicanorum, Augustinianorum, necnon Clericorum & Sacerdotum, qui imbuendis & iniciandis fide Christiana Indis præfecti sunt, exceptis patribus Iesuitis, & Religiosis Mercenarijs.

DESCRPTIO INDIÆ

Sedes quoque hic est *Sanctæ Inquisitionis*, de qua postea dicendum.

*Portus
maris del
Sur.*

Ad oram huic Episcopatus conterminam versus mare pacificum & provinciam de *Acapulco*, fluvius est *Acapulco*; altitudine 17. graduum, 6. leucis à fluvio de *los Topes* distans; ubi Archiepiscopatus cum Episcopatu de *Tlascala* concurrunt. Ulterius 4. leucis Occasum versus, fluvius est de *Citala*: 4. verò ulterius fluvius *Milta*. Ad Borealem oram fluvius est, qui provinciam *Tanuco* irrigat.

*Fodinae no-
væ Hispa-
niæ.*

Ad hujus Camerae territorium pertinent fodinae de *Pachuca*, 14. ab urbe *Mexico* leucis, necnon fodinae de *Tasco*, 22. à *Mexico* leucis. fodinae de *Ysmiquilpo*, quæ plumbiferæ sunt, ab eadem recedunt leucis 22: de *Talpuarva*, 24: de *Temazcaltepeque* 18; de *Cultepeque* 22: de *Zacualpa* 20; de *Zupango* 40; de *Guanayato* 60: de *Comania* 7, de *Achichica* 18. In civitate de *los Angelos in Gaultla*, sive *Zumatlan*, & *S. Louys de la Paz*, alijsq; locis plus quam 4000. sunt Castellanorum, quorum industria & labore fodinae effoduntur, quæ unâ eaque plumbiferâ excepta argentiferæ omnes sunt; & metus est, ne exemplo ipsorum Indi quoque aliquam politiæ formam meditari incipiant. Primus verò qui admirabili solertiâ aptissima conservandis fodinis media excogitavit, fuit supradictus *Sebastianus Ramirez de Fuenleal*, cui & auspicia & horum imperiorum incrementa debentur.

*Praefectura
de Panuco.*

Provinciam de *Panuco* ad plagam urbis *Mexico* Septentrionalem rexit *Nunius de Guzman*. Lata & longa est leucas 50. Postea Camerae Mexicanæ subiecta fuit. Quæ *Novam Hispaniam* respicit tellus, alijs regionibus cultior & fertilior est, commeatu & auro abundans. Quæ versus *Floridam* excurrit, pauperrima est & sterilis, à qua ad fines suos excurrit ad leucas 60. Habet præfectura hæc tres Castellanorum colonias. *Panuco* in altitud. paulò plus 23. grad. posita est, alio nomine urbs *S. Stephani del Puerto*, dicta. Condidit eam *Gonsalvus de Sandoval*, jussu Marchionis *Ferdinandi Cortesij*, quo tempore molitionibus *Francisci de Garay* obviam ibant, & in tranquillandis Indis *Chiles* occupati erant Anno 1520. A *Mexico* 65. leucis abit versus Aquilonem, 8. à mari leucis, propè fluvium, qui portui aditum præbet. Prætura magna est, cui de prætore prospicit *Vicere rex Novæ Hispaniæ*. Urbs *Sant Iago de los Valles* 25. à *Panuco* leucis occidentem versus abit. Urbs *S. Lodovici de Tampico*, 8. à *Panuco* leucis ad *Mezen* posita est, propè mare. Et quamquam plurimis hujus præfecturæ ora fluminibus & stationibus sit insignis, usque ad fluvium de *las Palmas*, tamen minus cognita hæc sunt in sinu *Novæ Hispaniæ*, excepto solo fluvio de *Panuco* ejusque portu perquam commodo.

*Episcopa-
tus Tlascala*

Episcopatus *Tlascala*, aliter de *los Angelos*, inter Archiepiscopatum *Mexici* & Episcopatum *Guaxaca* situs est, longitudine 100. & ultrà leucarum, ab ora Australi usque ad Septentrionalem, interque limites Archiepiscopatus & *Guaxaca* 80. leucas numerat, totidemq; latitudo ejus habet ad oram maris del *Nort*, verum non nisi 18. aut 20. ad oram maris del *Sur*. Non nisi tres habet Castellanorum colonias. Prima est urbs de *los Angelos*, 22. à *Mexico* leucis versus Orientem, nonnihil ad Austrum deflectendo, cives habens 1050. idque in quatuor vicis ac tribubus. Magna hic est prætura, residetque hic loci Cathedralis suffraganeus Archiepiscopi *Mexicani*. Habet Cœnobium Dominicanorum, Franciscanorum, & Augustinianorum, unumque Monialium, Collegium ad hæc plus 500. juvenum, natorum parentibus Indis, qui hic tum litterarum tum Christianæ religionis præceptis imbuendi educantur. donataque est hæc Schola redditibus peforum 10000. Conditor hujus est *Sebastianus Ramirez*, usus hac in re opera licentiati *Salmeron* Camerae judicis. Et quanquã eam extrui concessisset in *Tlascala*, tamẽ à proposito destitit, in gratiam Indorum, ne hæreditarijs ipsorum bonis damni quicquam crearetur. Vnicè enim, quæ ad commodum Indorum spectabant, curabat, præcipuè *Tlascalensium*, quia

quia de Rege benè meriti erant. Exstructa fuit urbs in finibus *Cholulæ*, è qua 25000. militum prodibant, sedemque in planitie ponebant, quam *Cuetlaxcoapan* vocant, propè vallem *Atlisco*, ad oram amnis, prodeuntis à monte flammivomo. Vberimus hic tritici, vini, omniumque fructuum Castellanorum, sacchari, lini, herbarumque hortensium est proventus, idque propter optimam cœli, quâ gaudet regio, temperiem, magis calidam quam frigidam. quod in vicinis urbi agris nascitur triticum, altius culmos attollit. Paulò remotius à *Tlascala*, fontes scaturiunt, qui rivis suis fluvium efficiunt, qui inter urbem *de los Angeles* & *Cholulam* tardiore labitur alveo, piscium expers, & alluens limites *Mechoacæ* in mare Australe propè *Zacatulam* se exonerat. Tanta in eo est crocodilorum copia, ut varijs locis indigenæ, migrare coacti fuerint. Tlascala

In *Tlascala*, ad plagam Borealem urbis *de los Angeles*, sitæ in altitudine grad. 20. in qua fuit Ecclesia Cathedralis, ad annum usque 1550. quo tempore ex urbe pagus facta est; primus Episcopatu functus est Frater *Iulianus Garces*, idque in valle *Atlisco*, quæ in latitudinem sesquileucâ extenditur. Nunquam hic inclementiâ frigoris exuritur triticum, quin insuper modios ejus colligunt 100000. Plus quam centum agricolæ, Castellani omnes & rei rusticæ peritissimi hic commorantur. Septem verò ab urbe leucis versus Ortum vallis jacet *Ocumba*. In provinciâ *de Tepeaca*, pagum condere occupavit Marchio *de Valle*, cui nomen est *Segura*. In valle *S. Pauli* cives sunt plus quam 1300. ijque Castellani, quibus sua sunt prædia, stabula, & villæ. Tanta hic est pecorum fecunditas, ut rusticorum uni ex duabus ovibus profatas perhibeant 40000. Vallis
Ocumba.
Vallis S.
Pauli.

Civitas *Veracruz*, unâ viâ 60. à *Mexico* leucis abest, & aliâ 65. Quartâ leucæ parte à mari distat. Cives Castellanos habet plus quam 200. Sedes hic est ærarij Regij & domus mercatorum. Portus nomen est *S. Iuan de Vlva*, cujus nomenclaturæ author fuit *Iohannes de Gryalva*. qui eundem Anno 1518 deprehendit. Hujus verò portus structuram auspicatus est prorex *D. Antonius Mendoza*. 5. leucis à fluminis *de la Veracruz* dicti ostio abest, inter oram terræ, & insulam, ambitu unius leucæ, quam undequaque vada & Syrtes obsidēt, adeò demissam, & humili loco sitâ, ut maris eam fluxus inundet, è regione ostij, fluminis *S. Iuan de Vlva*. In hunc portum per duos Canales sive angustias itur, quarum amplissima frequentius navigatur, altera quam *Gallega* vocāt, alveum habet profundissimum. Firmantur hic ad littus naves retinaculis æneis, nec fida satis ijs est statio flante fortiter Borea. Sita est *la Veracruz* in altitudine grad. 18. Atq; hic loci exonerare se solebant classes, & quatuor aut quinque mensibus morari, propterea, quod 4. à *S. Iuan de Vlva* leucis abesset. Ideoque nunc in eo loco exonerantur, quem *Buytron* vocant, qui locus 210. circiter passibus à *S. Iuan de Vlva* recedit: perficiturque hæc classium exoneratio, spacio unius mensis cum dimidio. *Buytron* dicitur, à diversorio cujusdam hospitis *Buytron* dicti, quo loci sensim accrevit colonia. Civitas
Veracruz.
In Buytron
exoneran-
tur naves.

In hoc Episcopatu 200. sunt pagi Indorum primarij, ac mille minores, tributarij verò Indi bis centies & quinquaginta mille, divisique sunt pagi isti in 36. classes, quibus singulis suus clericorum ordo præest. 30. adhæc habet Cœnobia Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinianorum. In littore verò contermino huic Episcopatu versus mare Septentrionale fluvius est *Alvarado*, ubi fines Episcopatus de *Guaxaca* & fluvius *Almeriæ* concurrunt, propè fluvium *S. Iohannis de Vlva*, quo loci urbs fuit *de Medellin* colonia facta ab *Andrea de Tapia*, Anno 1522, quo tempore Marchio *Ferdinandus Cortesius* hunc *Andream de Tapia* una cum *Gonzalo de Sandeval* misit, ad transigendum cum *Christophoro de Tapia*, qui autoritate instructus erat, præfecturam à Marchione in se transferret. colonis eam privavit *Fator Salazar*, & *Veedor Peralmindez*, Fluvius *Almeriæ* Portus &
flumina
ora Borealis

ortum

D E S C R I P T I O I N D I Æ

ortum habet ex magno *Cordillera*, in provincijs de *Totonaques* & *Micantle*, atque sinuato inter montes alveo in mare Septentrionale tendit. hunc fluvium contrà, insula jacet de *Sacrificios*, nomen sortita a duce *Iohanne de Gryalva*. *Zempfoala* fluvius ad Borealem *Veracruz* plagam spectatur, & altius paulo fluvius est *S. Petri*, & *S. Pauli*, qui ex iisdem montibus ortum ducunt, nec non flumina de *Caronez*, & *Tulpa*, & *Tamiagua*, vicina imperio de *Panuco*.

Inferatur hic Tabula 4.

C A P. X.

De Episcopatibus Guaxacæ, Mechoacan, & Iucatan, nec non de provincia Tabasco, supradicta Jurisdictionis ac Territorij reliquâ parte.

De Episcopatu Guaxaca.

Quis primus byssum in Mexico tractare cœperit.

Vallis Guaxaca.

Epis copatus de *Guaxaca* nomen suum ab ipsius Provinciæ in qua situs est nomine mutuatur. Etiam *Antequera* dictus est, à civitate in qua Cathedralis residet, interque Episcopatum de *los Angeles*, & *Camera de Guatemala* Episcopatum jacet. A mari ad mare ad leucas 120. porrigitur, juxta limites & confinia Episcopatus *Tlascala*, & juxta fines *Chiapa* 60. Latus est juxta littora maris Australis leucas 100, 50 verò juxta oram Septentrionalem. Quarum ambitu continentur, provinciæ de *Misteca Superior* & *Inferior*. Superior 40 ab *Antequera* distat leucis ad Occidentem. Inferior magis ad mare pacificum vergit. Primus in *Antequera* coloniam deduxit *Iohannes Nuniez Sedonius*, & *Hernando de Badaioz*. Postea eodem coloni traducti à *Camera Mexicana* Iudicibus, nempe *Iohanne Ortez de Matuenzo* & *Delgadillo licentiat*, quorum posterior *Granatensis* cum esset, primum in Mexico byssum artificiose tractare cœpit. Templi Cathedralis fundamenta jecit Præses, præfectus & Episcopus *D. Sebastianus Ramirez*, cujus ductu & auspicijs mirum quæ incrementa horum imperiorum fortuna sumserit. Omnes hujus templi columnæ ex solido constant marmore, eaque ingentes & crassæ. Cives Castellanos civitas habet circiter 400.

Hæc *Guaxacæ* vallis, unde *Marchioni del Valle* nomen est, initium sumit a montibus *Cocola*, ad fines *Guaxolotitlan*. Vberimus hic byssi, tritici, & *Mayzi* est proventus. Lingua utitur *Zapoteca*. Aurifodinas habuit celebres. Tractum & ditionem civitatis *Antequera* (uti dictum) *Guaxaca* vocant. Colonos à Mexico accepit, nempe ex præsidarijs militibus, idque jussu secundi *Motezuma*. Pleraque verò præsidia, quæ per totum imperium sub regibus Mexicanis militabant, idioma Mexicano loquebantur. Hujus civitatis fluvius à terra absorbetur, è regione *Cimatlan*, & duobus à montibus de *Coatlan* se exerit leucis, & duabus insuper a *Guaxaca*. Dimidia verò ab urbe leucâ, e regione montis versus Arctum siti, cuspidem efficit de *Setrezuela*, & qua brachij instar prominet, vallis ad 8 leucas excurrit. Est hæc amœnissima illa *Guaxacæ* vallis, saluberrimo & temperato cœlo gaudens, quæ ubere cornu diversi generis fruges profundit, ac præcipuè fructus Castellanos, sed saporis optimi. Hæc versus Zephyronotum provinciam adspicit *Tutepecque*, multis juxta littus insignitam pagis, longam leucas 60 & amplius. Qui fluvium *Alvarado* incolunt, siti sunt inter Boream & Mezen vallis dictæ; Incolæ de *los Zapotecas* ad Mezen *Antequera* & *Guazacoalco* in finibus *Tabasco*. Tota hæc aspera est & inculta regio, nec minus tamen auri fodinis locuples, quod parcius tamen hic ob asperitatem eruitur. Castellanos pagos numerat 4. Sita est *Antequera* in via regia *Chiapa*

&

& *Guatemala*, 80. a Mexico leucis versus Euronotum. Primus ad tranquillandos incolas eam adiit *Johannes Nuniez de Mercado*, Anno Domini 1522, mandato *D. Ferdinandi Cortesij*, Atque hinc missæ auxiliares copiae in subsidium regis *Quantimoc*, ad defensionem civitatis Mexici, in potestatem *D. Ferdinandi Cortesij* jam primitus redactæ. Thesaurarius *Alphonsus de Estrada*, quo tempore Mexici imperium tenebat, in urbem *S. Alphonsi de los Zapotecas* colonos deduxit. Abest ab Antequera leucis 20, versus Mezen, altissimis cincta montibus. Ex gossypio, Mayzo, auriq[ue] fossione victum sibi quæritant. Tributum ei pendunt plus quam 900. Indi. *Sant Iago de Nexapa* 20. ab Antequera leucis Ortum versus, ad viam quoque Chiapæ & Guatamelæ sita est.

Sant Iago de Nexapa

Civitas *del Spiritu Sancto* in Provincia de *Guazacoalco*, ad oram Septentrionalis Oceani in finibus Tabasco posita est, 20. ab Antequera leucis. Coloniam fecit *Gonzalo de Sandoval*, Anno 1522. Pagos Indorum penè 50. numerat. Sita est ad ripam fluminis in parte Chiapæ, quod ex montibus *de los Mixes*, & *Chontales* labitur, propè *Tercoantepeque*, & una cum rivis alijs provinciarum ad Chiapæ territorium pertinentium in mare Septentrionale excurrit. Naves admittit centum vasorum capaces.

Univerfus hic Episcopatus nullum fluvium habet, qui aurum non ferat. nec solliciti de annona & comætu sunt Indi, modo labores non defugiant, cum quæ ad victum & amictum necessaria sunt abundè suppetant. Fructum habent Cacao nomine, amygdalorum instar, qui pecuniæ ipsis officium præstat.

Ex eodem fructu vinum colligunt, & eodem tosto vescuntur. Cœli amœnitate, benignitate & salubritate gaudent. Olim hic sericum tractabant indigenæ, artem à Castellanis edocti, ex quo papyrum quoque conficiebant. Tanta autem hujus in locis hisce colligitur copia, ut si decimas ejus solverent Indi, quinque Episcopatibus constituendis annuus earum reditus sufficerent. Nunc soli eas pendunt Castellani, concessa earum indigenis immunitate.

Indi decimas non pendunt.

In hoc Episcopatu pagi supputantur 350. quos primarij nominis Indi incolunt. Atque in his, uti & in 300. alijs habitaculis (*Hispanus Estancias* vocat) numerantur Indi tributarij plus quam 50000. adhæc 120. Cœnobia Dominicanorum, maxime verò Clericorum. Hujus Episcopatus oræ ad mare Septentrionale, initium sumunt à flumine *de Alvarado*, ex montibus *de los Zapotecas* scaturiente. Excurrit ad provinciam usque *de Chinantla*, & reflexo in transversum alveo in Oceanum Atlanticum inter flumina *de Guazacoalco* & *S. Iohannis de Ulva*. Occurrit quoque hic fluvius *Angualulco*, cujus ostium portus officium præbet: necnon bifido cacumine rupes, terræ cuspi, è montibus *S. Martini* prominens, quam deprehenderunt naves tempestatibus vel viæ errore in latentes hic aras & littoris scopulos impactæ. E regione hujus rupis ad oram maris Pacifici fluvius est *Guatulco* amplissimus & commercijs frequens, altitudine grad. 15. cum dimidio. Hanc provinciam *Guatulco* subegit Admiralius *Petrus de Alverado* Estque que huic vicinus portus *Tecoantepeque*, commodus satis, cujus pagus celebris est cancorum aliorumque piscium capturâ, quos in *Guaxacam* deferunt.

In via quoque regia *Cuyztata* fodina est cristalli berilli. *Tecoantepeque* 45 ab Antequera leucis distidet per medios montes *de los Chontales*, *Nixapa*, & *Mexalpeque* diffunditur, quò loci hic terminatur Episcopatus. Plurimos sibi subditos habet pagos ad maris oram positos.

Episcopatus *de Mechoacan* (provincia est inter Archiepiscopatum *Mexicanum*, & *Novam Galiciam* interjecta) juxta oram Oceani Australis, latitudinem habet 80. penè leucarum, 60. verò versus intimas terræ partes, comprehensis unâ tractus Borealis fini-

Episcopatus Mechoacan.

D

lis fini-

D E S C R I P T I O I N D I Æ

lis finibus. Referuntur ad hunc provinciæ de *Zacatula*, & *Colima* ad littus maris del *Sur* sitæ.

Valladolid. Civitas *Mechoacan* alias *Pazcuazo*, poli elevationem habet ad gradus plus quam 19, & 47. a *Mexico* leucis sita est, via plana & æquabili. In *Guayangareo*, dicta *Valladolid*, sedem habet Cathedralis suffraganeus Mexici, necnon Cœnobium duo Franciscanorū & Augustinianorum. *Mechoacan* condidit *Maesse del Campo*, *Christophorus de Olid*. Ac primum Cathedralis sedes fuit *Zinzonza*, mox Anno 1544. in *Pazcuazo* commigravit. Habet in hac urbe Cœnobium Franciscanorum, & alterum Augustinianorum Episcopus *D. Basco de Quiroga*. A *Mechoacan* orientem versus 6. leucis distat.

Guanaxoato. Fodinæ de *Guanaxuato* 28. leucis a *Mechoacan* distident, qua Boream & *los Zacatecas* montes spectant, quibus continentur penè 600. Castellani, idque in duobus *Regalibus*, quæ incolunt sub imperio Prætoris cujusdam supremi. Regale, sedes est & politiæ quædam forma inter minerarum fossores constituta.

S. Michael La Concecion de Salaya. Vrbs *S. Michaelis* in provincia *Mechoacæ* sita est; 35. à *Pazcuazo* leucis, versus mare, solo horrido & inculto: Necnon urbs de *la Concecion de Salaya*, exstructa à *D. Martino Enriquez*, jussu Vicarij regij Anno 1570. ad securitarem viæ de *los Chichimecas*.

Vrbs S. Philippi. Item urbs *S. Philippi*, 50. à *Mechoacan* leucis Arctum versus, & à *Mexico* 62. Mezen versus, Cœnobium habens Monachorum ordinis Augustinianorum. Sita est regione sterili & frigida, conditaque est ad tutelam viæ de *los Zacatecas*.

Zacatula. Provincia & urbs *Zacatula*, ad oram Maris pacifici altitud. habet grad. 18. paulò plus. A *Mechoacan* recedit leucis 40. versus *Zephyronotum*, fundata à *Johanne Rodrigues de Villafuerte* & *Simone de Cuenca*. à *Mexico* distat 90. leucis.

Colima. Provincia & urbs *Colima*, ad gradus 18. paulò altius, elevatur, ad littus quoque maris Australis, & *Novæ Galiciæ* confinia, 50. à *Mechoacan* leucis versus *Zephyronotum*. Præturam habet amplissimam, Regionis tractus calidus est & copiose *Cacao* profert, uti & *Cannam fistulam*, & aurum. Populus ab humanitate & morum civilitate commendatur. Condidit eam *Gonzalo de Sandoval* Anno salutis 1522.

Cacao fructus est nucis instar, nunci loco Indis inserviens, ex quo portionem conficiunt dicta Chocolate. *Mexicana* regio non tantum *Novæ Hispaniæ*, sed universæ etiam *Americæ* fertilitate soli præstat. Affluit tritico, *Mayzo*, & omni frugum fructuumque Castellanorum genere. Piscibus quoque & omni animalium genere abundat, uti & grano tinctorum, & gossypio. Incolæ industrij sunt, solertes, & ad labores nati.

Sub hoc Episcopatu pagi numerantur 11. quorum 90. primarij scholas habent. Ad oram usque Oceani Atlantici non excurrit. ad latus Australe flumina habet plurima, maximè in Occidentali provinciæ parte. Penè in *Novæ Galiciæ* tractu portus est *Narvidad*, altitudine graduum 90. commodus admodum & frequens navigationibus: unde in *Philippinas* itur. Vltcrius Orientem versus propè portum *Sant Iago* plurimæ sunt & laudatæ aris fodinæ, ex quo propter mollitiem, & flexibilitatem Indi vasa fabricant. Alia quoque hic aris species est durior, qua terram scindunt, sulcant, & subigunt, ferri loco; quam domandæ telluris rationem antea ipsis inusitatam, à Castellanis acceperunt.

Provincia & Præfectura *Yucatan*, nomen hoc sortita est, quo tempore eam detexit dux *Franciscus Hernandez*: necnon *Nuestra Señora de los Remedios*, quo tempore *Cozumel* aperuit *Johannes de Gryalua*. primum insula esse credita est, quia mari penè undique cingitur, ut peninsulam vocare liceat.

Peridromus ejus plus quam 250. est leucarum, longitudo ab Oriente in Occiden-

cidentem penè centum leucarum, & tantundem quoque à Septentrione in Austrum patet, à littore Arctum respiciente, ad eam usque partem, quæ provincijs de *Guatemala* est affinis. Vnde in obliquum ad 25. pene leucas excurrit.

Aëre fruitur calido, sed humidior. Fluvios & torrentes nullos habet. Verum putei aquâ ad summos penè margines repleti, & latentes hic illic conchæ, necnon depressa littoris ora, occasionem præbuere suspicandi mare hic aliquando fuisse. Montibus undequaque interclusa est. Frumenti sterilis est, aliorumque seminum Castellanorum, uti & auri omnisque prorsus metalli. Unde videre est hallucinari illos, qui aiebant se in his regionibus reperisse Cruces ex *laton*, (metalli species est) quod in nulla Indiarum parte invenitur. Venatio hic felicissima est, præcipuè porcorum & ferarum agrestium. Magnus gallinarum quoque proventus. Gossypium & *Anil* copiosè sufficit. Indigenæ fœcundi sunt & longævi. Virum hic vixisse perhibent Nestoris ætatem. Equos habent laudatissimos & diversissimi generis pecora.

In hac Præfectura, exclusa præfectura de *Tabasco* huic contermina, pagi sunt à Castellanis habitati 4. Episcopatus unicus. quos pagos fundavit primus gubernator sive Admiralius *D. Franciscus de Montejo*. Civitas *Merida* in altitudine 20. graduum posita est, ferè in totius provinciæ umbilico, propè mare *del Nort*, 12. tamen à mari leucis. Resident hic Gubernator, alijque redituum & ærarij regij Officiales, necnon Cathedralis suffraganeus *Mexici*. Cœnobium habet Franciscanorum. *La Merida* vocarunt, propter amplitudinè suam & priscam ædificiorum faciem, ad similitudinè *Meridæ Castellanorum*. Mirum meritò videri potest cum provincia hæc metallum nullû ferat, qua ratione tantæ molis saxa ædificijs aptari potuerint, in quibus insuper nudas hominum formas insculptas videre erat, aures annulis, quos in aures Latini vocât, perforatas habentes. Ex quibus colligere est, templa hic fuisse, & regionem hanc aliquando floruisse.

Urbs *Valladolid* 31. pene leucis à *Merida* versus Euronotum penè sita est, Cœnobium habens Franciscanorum sumptuosum & splendidum: Tributum illi solvunt 15000. Indi. Urbs & portus *S. Francisci de Campeche*, ad gradus 20. assurgit, ad oram quæ novam Hispaniam spectat, penè 50. à *Merida* leucis, Occidentem versus, in Austrum nonnihil inclinans. Portus sic satis idoneus est, quanquam minus profundus recipiendis navibus.

Urbs *Salamanca*, ita dicta ab Admiralijs patria, in provincia *Bacalar* & *Chetemal*, 70. à *Merida* leucis ad Austrum & Aquilonem sita est, prope Occasum & insuper 70 à *Valladolid*, non longè à littore sinus de *Honduras*. Decem hæc provincia habet Franciscanorum fratrum Cœnobia, & præterea scholas clericorum.

Tam longè totius hujus provinciæ littus in mare excurrit, ut paucis in locis anchora minus quam 4. aut 5. à terra leucis, defigi possit. Portus non nisi minoribus navibus patent, cœscitq; ac decrescit circa hanc oram magis Oceanus, quam in ullo totius Novæ Hispaniæ tractu. Sunt autem portus hi: *Cicla*, *Telichaque*, *Cical* & *Cauquil*, fluvius geminû habens ostium; adhæc *Campeche*, in littore, quod Novam Hispaniam respicit, promontorium habens *Delgado*; A quo loco littus Orientem versus reflecti incipit. ac propè ejus cuspidem Insula est *la Desconocida*, scopulis obsessa, & ad Occidentalem ejus plagam leucis penè ab ea 18. alia sita est nomine *la Zarza*, & præterea ternæ insulæ *el Triangulo* vocatæ, vicinæque alteri Syrtibus immeris. Insuper 16. à *Cabo Delgado* leucis insulæ *de Arenas* & *de Bermeja* jacent, & ab eodem promontorio 25. leucis Boream versus alia insula, uti & tres illæ quas *Negaillos* vocant, vadosæ undique, ad Orientem 35. penè à *la Barmeja* leucis sitæ, ad hæc *los Alacranes* viginti

D E S C R I P T I O I N D I Æ

*Cozumel
locus ad-
orationi dis-
catus*

à littore leucis ad Austrum & Septentrionem, respectu Meridæ & promontorij *de Cotoche*, Orientalioris cuspidis prouinciæ *Yucatan*; sequuntur 4. insulæ quas de *Mugerez* appellant, vicinæ littori, propè quod etiam posita est Insula *de Cozumel*, celebris imaginis alicujus adoratione, quæ istic religiosè asservabatur, & ad quam omnes totius circumjacentis regionis indigenæ peregrinatum ibant. 4. leucis in mare excurrit, ubi incipit sinus *de Honduras*, situ penè respectu civitatis *Valladolid* opposito. Vltterius in sinu dicto tres insulæ sunt vadosæ, in eadem ferè linea cum lacu mediterraneo *de Bacalal*, qui 30. à lacu *de Chetemal* leucis distat, ad oram insulis conspersam *Salamancam* usque, quarum prima *Pantoja*, vadis adjacet, quæ *Quitafuenio* vocant, secunda verò *Zazatan*, tertia *Lamanan*, postrema *Yllob* dicitur.

Tabasco.

Provincia de *Tabasco*, pars præfecturæ *Yucatan*, ad oram Oceani Septentrionalis sita, in Novæ Hispaniæ sinu, ab Oriente in Occidentem porrigitur, 40. penè à limitibus *Yucatan* leucis, usque ad limites de *Goazacoalco*, cui jungitur à parte Orientali, & totidem quoque à mari Septentrionali abest, ad fines *Chiapæ* excurrentis. Scætet uniuersa regio lacubus, stagnis, & sinibus, per quos scaphis, quas *canoas* vocant, discurrent. Humida est & calida, ideoque copiosè pabula pecori sufficit. Magna quoque *Mayzi* & *Cacao* hic est ubertas, ex quibus maximè rem faciunt indigenæ. Vnicus in hac provincia pagus est *Tabasco*, alio nomine appellata urbs de *nuestra Señora de la Victoria*, propter insignem quam hic de Indis victoriam reportavit *D. Ferdinandus Cortesius*, Anno 1519. Solvunt hic pro tributo Indi 2000. *Xiquipiles* (mensuræ genus est) de *Cacao*; habetque *Xiquipil* 8000. amygdalorum, una verò *Carga*, tres habet *Xiquipiles*, sive *Tercios*. In ora hujus provinciæ præter alia flumina & lacus occurrit quoque lacus de *Xicalango* sive *Regius* portus, amplus & patens, in cuius ostio duæ jacent insulæ. hujus provinciæ motus composuit dux *Ludovicus Marin* mandato & jussu *D. Ferdinandi Cortesij*.

Inferatur hic Tabula 5.

C A P. X I.

De territorio Præfecturæ de Guadalaiara.

Territorium Præfecturæ *Novæ Galiciæ* sive de *Xalisco*, quam *Nunius de Guzman* a se detectam perhibet, sed majori jure *Ferdinandus Cortesius*, aut ejus nomine *Gonzalvus de Sandoval* missus ad tranquillandos *las Colimas*, limitibus suis attingit novæ Hispaniæ præfecturam, propè portum *de Navidad*, & lacum *Chiapala*, versus *Mezen* tendens. Ad Boreales tractus & partim ad Occidentem, ubi rota detecta nondum est, patent ejus fines. Quicquid ejus cultum habitatumque est ab utraq; parte 100. circiter leucas conficit, quibus continentur provinciæ *Guadalajara*, *Xalisco*, *los Zacatecas*, *Chiametla*, *Culiacan*, *Nova Bisquaya*. & *Cinaloa*, & tanquam vicinæ regiones *Cibola* & de *Quibira*.

*Guada-
laiara.*

Ære hæc Provincia & circumjacens regio *Guadalajara* optimo gaudet. Tellus ipsa tritici, *Mayzi*, aliorumque leguminum Castellanorum ferax est. Multos habet Castellanorum pagos, & argenti fossorum numerum maximum. Civitas totius regni caput est, in quam incolas deduxit *Nunius de Guzman* Anno 1531. eamque patriæ suæ nomine insignivit. A Meridiano *Toletano* 106. gradibus cum dimidio abest, itinere 1780. leucarum. Ab Æquinoctiali polum versus altitud. habet 20. graduum & tertiæ partis. 87. à *Mexico* leucis Meridiem & Occidentem inter, magis tamen ad Occidentem vergens.

Camera

Camerae hic sedes est, ac aërii regij, eorumque, qui redditum regionum curam habent: adhuc Cathedralis suffraganei civitatis Mexicanæ idque ab Anno 1570. cum statutum prius esset ut Compostellæ resideret. Cœnobium habet Franciscanorum, & aliud Augustinianorum. Condidit quoque idem *Nunius de Guzman* urbem *S. Spiritus* El Spiritus *in Tepique*, & aliam *Sanctæ Mariæ de los lagos*. 30. ad Austrum leucis abest à *Guadalajara*. S. Sancta Maria. Prætozem supremum habet. Extructa est ad defendendos hos limites adversus Indos *Chichimecas*, qui inter Septentrionem & Orientem habitant, gens barbara, sparsim in agris, speluncis, ac desertis locis more ferarum degens, legum omnium ac humanitatis expers. Venationibus sibi victum quæritant, & fructibus vescuntur agrestibus. Nulla illos opum cura, nulla voluptatum tenet. Nudi incedunt, quidam tamen pellibus ferarum induti. Arma ipsorum sunt arcus & sagittæ. Robusto sunt corpore, magni belluones. Vinum ex radicibus conficiunt, quo se strenuè inebriare norunt. Chichimeces Indi.

Provincia *de Xalisco* mayzi, quàm ovium, fertilior est, Equos nullos habet. Vnica in hac civitas est ad mare sita *Compostella*, 33. à *Guadalajara* leucis Occidentem versus, hic primum imperij fuit sedes ad Annum usque 60, mandatumque ut hic Cathedrale templum exstrueretur. Sed postmodum translata ea fuit in *Guadalajaram*. Vnicum habet Cœnobium fratrum ordinis S. Francisci. Colonos quoque accepit à *Nunio de Guzman* anno 1531, qui biennio eas regiones, quas magnam Hispaniam vocant, peragravit, idque æmulatione quadam D. Ferdinandi Cortezij, quo toto tempore nihil de illo in urbe Mexico auditum fuit. Vrbs *de la Purification* ad Zephyronotum *Guadalajaræ* 30. ab ea leucis, propè portum *de Navidad*, in confinibus territorij istius Camerae, regione sita est calida, & insalubri. Circa finem Anni 1531. leucas terræ 150. detexit *Nunius de Guzman* juxta littora *de Xalisco*, sita in altitud. grad. paulo plùs, 22. Xalisco.

Provincia *de los Zacatecas* argenti fodinarum dives est, verum aquarum, tritici & Mayzi inopia laborat. Pagos Castellanorum habet tres, & quatuor sedes celebres fodinarum. Præcipuæ sunt eæ, quas *de los Zacatecas* vocant, 40. à *Guadalajara* leucis Arctum versus, & 80. à Mexico. Castellani hic commorantur plus quàm 500. mancipia itidem 500, equi & muli 5000. Cœnobium habet Franciscanorum, semperque in eâ residet aliquis ministrorum regionum, *de Guadalajara*. In hac quoque regione fodinæ sunt *de Avino*, & *S. Martini* 26. à *los Zacatecas* leucis, versus Mezen, in quibus versari solebant ferè 400. Castellani: adhuc *Xerez de la Frontera* 30. à *Guadalajara* leucis Septentrionem versus, 10. verò à fodinis *de Zacatecas*. In harum viâ alia loca sunt inferius posita, quorum, cum nihil memoratu dignum habeant, non fit mentio. Vrbs *Erena* & fodinæ *del Sombrerete*, 25. à *Zacatecas* leucis versus *Thrasciozephyrum* abeunt, vicinæ fodinis *S. Martini*, ad Septentrionem, aliisque istius territorij. Urbs *de Nombre de Dios*, 68. leucis à civitate *de Guadalajara* abest, 10. verò à fodinis *S. Martini* versus Septentrionem. Cœnobium habet Franciscanorum. Affluit tritico & Mayzo, & optimarum fodinarum dives est. Vrbs *Durango* in ditione fodinarum *S. Martini* & valle *S. Salvador* 8. à *Nombre de Dios* leucis distat. Regio saluberrima est, multisque insignis fluminibus, quorum inundatio tritici, Mayzi, aliarumque ad vitæ præsidium necessariarum frugum messem adauget. Huius territorio fodinæ continentur *de S. Lucas*, necnon laudatæ aliquot salinæ. Multis huius regni locis arma sumpserant Indi, & *Chichimecæ* & *Guachachiles* in viâ quæ *Guadalajaram* ducit, populabantur, infestique incolis *de las Zacatecas* hostiliter eos tractabant: quod bellum vehemens & magnis paratum impensis confecit Vice-rex Marchio *de Villamaurique*. Divisi sunt huius territorij Indi in 100. & 4. ordines sive tribus. Los Zacatecas. Xerez. Nombre de Dios. Durango.

DESCRPTIO INDIÆ

*Nova
Vizcaya.*

Provincia *Novæ Vizcayæ*, ad *Thrasciozephyrum* ferè de *los Zacatecas*, 50. ab his leucis, regio est com meatu omni abunde instructa, pecorum ad hæc multitudine & optimis argenti fodinis celebris. Continet incolas de *Hindeze*, *Santa Barbola*, & de *S. Ivan* necnon provinciam de *Topia*. quas & detexit & colonis instruxit *Franciscus de Ybarba*. Provincia *Chiametla*, longa & lata 20. leucas, ad oram *Maris del Sur*, 20. penè à *Xalisco* leucis, fodinis argenteis scatet, sitaque hic est *S. Sebastiani* civitas, à Castellanis inhabitata, quæ primum Mexicanis paruit, altitudinem habens paulò plus 22. grad. *Culiacan* Præfectura est ad littus Oceani Australis versus Orientem, ad Occidentalem *Chiametla* plagam, solo sita uberi & frugum omnium feraci, necnon argenti fodinis consperso. Regale (Hispanus *Real* vocat) habet valde populosum, quod de *las Virgines* vocant. Urbem *S. Michaëlis*, 80. à *Compostella* leucis, & 103. à *Guadalajara* coloniam fecit *Nunius Guzmanus* Anno 1531.

Chiametla.

Culiacan.

Cinaloa.

Provincia *Cinaloa* postrema & maximè omnium ad Septentrionem vergens, 42. à *Culiacan* leucis, à *Guadalajara*, qua Arctum spectat, 150. colonos Castellanos accepit quadam sui parte; quæ colonia *S. Iohannis de Cinaloa* dicta fuit, sed servari hæc non potuit. Aperuit regionem primus *D. Antonius Mendosa*, *Novæ Hispaniæ* pro-rex. Ferunt civitatem in ea esse ex ædificijs lateritijs & tabulata habentibus constructam, quàm *Granada* vocant, Indosque hujus tractus bellicosissimos esse, & magna regionem omnem annonæ copia affluere.

*Quibira.
Cibola.*

Quibira altitudo est grad. 40. sita est regione temperatâ & fertili. *Cibola* à *Culiacan* Septentrionem versus 30. leucis, contra *Quibira* à *Cibola* ortum versus 200. abest. Indigenæ pauperrimi sunt & inopiâ gossypij, pellibus ferarum & suæ regionis vaccarum vestiuntur. Habentque hæ naturæ proprietate gibbosum quid supra spinam medullarem, & promissos anteriore corporis parte pilos, sed cornua ipsis nostratibus breviora. Præcipua opum vis hoc pecorum genere æstimatur, ex quorum tergoribus vestes, calceos & funes conficiunt. Carne vescuntur, & ex ossibus instrumenta sua formant. Et quia rariora sunt horum populorum inter se commercia, accidit, ut varijs loquantur linguis.

California.

California, magna est telluris cuspis in mare excurrens, in maxime Occidentali *Novæ Hispaniæ* parte, altitudine grad. 22. à quâ versus *Thrasciozephyrum* porrigitur ad leucas circiter 200. quanquam portus & insulæ sinus *Californiae*, qui intet jam dictam cuspidem, & sinum *Novæ Hispaniæ* situs est, non plenè cogniti sint. In introitu ac ipso sinus hujus aditu insula est longa valde, sed angusta, juxta littus sita, cui nomen est *Guayaval*, extenditurque à fluvio de *nuestra Señora*, sive *S. Sebastiani de Bora* usque ad fluvium *Pascua*, in regione *Culiacan*. Fluvius urbis *S. Michaëlis Ciguatlan* appellatur, & ulterius versus novam *Hispaniam* occurrit fluvius de *Pastla*, è cujus regione Insula jacet *Disferta*, quam sequitur Insula *Spiritus S.* & portus de *Xalisco*. Ad Australem verò cuspidis *Californiae* plagam insula est *Anjublada*, & *S. Thomæ*, & de *Flores*, aliæque *las Monias* dicta.

Inferatur hic Tabula 6.

C A P.

CAP. XII.

De territorio Camera de Santjago de Guatemala.

Avdientia sive Camera de Guatemala, primitus dicta fuit Camera confinium, de los Confines, quia mandatum fuerat, ut ea in confinibus provinciarum de Nicaragua & Guatemala erigeretur, sine certâ alicuius loci designatione. Ab Oriente in Occidentem 240. leucas continet, & à gradibus Meridiani 84. usque ad 98. longitudo eius exporrigitur, à Septentrione verò in Austrum latitudo patet 180. leucis, à gradibus altitud. 9. aut 10. usque ad 18. aut 19. Quibus quoque continentur Provinciæ de Guatemala, Soconusco, Chiapa, Suchitepeque, la Verapaz, Honduras, Ycalcos, San Salvador & San Miguel, Nicaragua, Chuluteca, Taguzgalpa & Costarica. quæ singulæ propria utuntur lingua, quod, uti autumant Ecclesiastici, Sathanæ astu accidere videtur, quò perpetuæ inter illas vigerent discordiæ, nec coalescerent unquam sanguinis avidi & vindictæ studio flagrantis populi.

Provincia & præfectura de Guatemala ad oram maris Australis longa est 70. circiter leucas, lata 30. Aër temperatus est, regio copiose Mayzum, gossypium, triticum aliasque fruges profert, sed semina prioris anni in sequentem non asservantur. Magna aquarum est parcitas, quæ ab imbribus, qui Martium inter & Octobrem decidunt, supra modum augentur. Venti hic spirant Australes & Boreales, sed non ultra 15. aut 20. dies flat Aquilo, verum frigidissimus is & vehemens. Quinque pagos habet Castellano-
rum, fundatore D. Petro de Alvarado gubernatore, idque annis 1524. & 1525. Civitas Sant Iago de Guatemala, (cujus ditio Cachequil vocatur, quod Aquilam sonat, quia nationis istius Generalis ad bellum profectus vertici cristæ loco Aquilam imposuit) totius imperij est metropolis, & Camerae sedes. Altitudo ejus est grad. 14. cum semisse, à Meridiano Toletano gradibus 93. abest. hoc est 1600. leucis, à mari 12. Incolunt eam Castellani 600. Sedem hic fixere redituum regionum administri, & Cathedralis suffraganeus de Mexico. Cœnobium habet Dominicanorum & Mercenariorum, necnon Xenodochium, & domum fusoriam. Subsunt ejus jurisdictioni Indi tributarij 25000. Situs ejus est in valle peramœna, omnis generis frugibus, & commeatu commendabili.

Civitas de S. Salvador, quæ Indorum lingua Cuzcatlan vocatur, 40. à S. Iago leucis recedit versus Euronotum. Cœnobium habet Dominicanorum. Vrbs de la Trinidad, quam Indi suo idiomate Conzonate appellant, 26. à S. Iago leucis versus Zephyronotum distat, 4. à portu de Axacutla leucis. Prætura hic suprema est, titulo regie Majestatis insignis, necnon Cœnobium Dominicanorum. Ager ejus peramœnus est, & Cacao magna copia proferens. Indi huius loci Jurisdictioni de S. Iago subditi sunt. Locus est commercijs & vario mercatu celebris, portumque habet in quem se recipere solent naves è Peru & Nova Hispania advenientes. Vrbs de S. Miguel 62. à S. Iago leucis distat, à S. Salvador 22. versus Zephyronotum, à mari duabus, & pari intervallo à sinu de Fonseca, qui portus loco illi est. Ditione sua continet 80. pagos. Vrbs Xerez de la Frontera, Indis Chuluteca dicta, in confinibus Guatemala, & Nicaragua, 80. à S. Iago leucis, à S. Miguel 20. versus Euronotum, territorio suo multum gossypij & Mayzi colligit. Non procul ab hac mons est Guatemala flammivomus longè lateque celebris. Habet India plures istiusmodi montes, sed maxime nobiles sunt ij, quos habet Guatemala, qui sæpissimè magno accola-

Præfectura
Guatemala.Sant-Iago
de Guate-
mala.S. Salva-
dor.

S. Miguel.

Xerez de
la Frontera.

D E S C R I P T I O I N D I Æ

accolarum & circumjacentium locorum damno, ignes, saxa, cineresq; evomunt. Habent istiusmodi montes *Arequipa, Tlascala, Quito*, aliaq; regiones. Sunt & hic loci aquæ ferventes, variæque indolis, & coloris. Balsama insuper optima suppeditat, ab ipsis Castellanis sine Indorum ope observata, quanquam autor quidam secus sentiat. Fert adhæc liquidam ambram, anime, *Copal*, & *Suchicopal*, aliosque succos & gummi, nec non ea animalia in quibus lapis, Bezoar dictus, generatur. Multum hic *Cacao* colligitur, unde non levererum suarum compendium faciunt indigenæ. Arbor est mediocris magnitudinis, fructus castaneorum instar, sed majores paulò. Singulis mensibus florem & fructum fert, magisque humiditate quam Sole gaudet. quæ causa est, quod non nisi locis umbriferis plantari soleat. Fert quoque solum hoc mala aurantia.

Cacao fructus.

Hujus imperij portus ad mare Australe, præter jam dictos, sunt; sinus *de Fonseca*, vicinus urbi *S. Michaelis*, altitudine 12. graduum cum semisse. Nominis author fuit *Ægidius Gonzales Davila*, Anno 1522, jussu Episcopi *Johannis Rodrigues de Fonseca*, præsidis in supremo Indiarum Concilio. Interius in ipso sinu Insula est *Petronila*, à nomine sororis Episcopi sic dicta. Portus *de Axacutla* propède *Trinidad*, altitudine grad. 12. istius imperij nobilissimus est, maxime inserviens ijs, qui è *Peru* & *Nova Hispania* solvunt. Hinc 12. leucis dissidet sinus *Guatemala*, & ab hoc 7. leucis Occasum versus abit fluvius de *Xicalapa*. Ad Septentrionem nulla littora attingit hæc provincia, cum non nisi 40. à mari leucis abeat, ad locum usque, ubi naves exonerantur, qui portus *de golfo dulce* vocatur, ubi merces *Castella* advectæ per sinum *de Honduras* in loca mediterranea in *Guatemalam*, in *Salvador* & *la Trinidad* transportantur. 12. à *Guatemala* leucis in via regia, quæ *Mexicum* ducit, magnus est lacus *Atitlan*, ambitu 10. leucarum, latitudine 4. profunditate immensa.

Soconusco.

Provincia sive imperium *de Soconusco* maxime Occidentalis *Guatemala* regio, ad litus jacet maris *del Sur*, longitudine & latitudine leucarum circiter 34. Celebris est mercatu *Cacao*, quem copiosè sufficit, uti & alia quælibet sata, tritico excepto. Vnicus in illa est Castellanorum vicus *Guevetlan*, fundatus à *D. Petro de Alvarado*, & Gubernatoris hoc tempore sedes. Ora ejus ad mare Australe posita 7. à flumine de *Ayutla* leucis versus Occidentem initium sumit, quod proximè sequuntur *Coatlan*, *Capanaercalte*, *Celattel*, *Hartatlan*, *Amatituc* & *Quizatatlan*.

Chiapa provincia.

Episcopatus & provincia *de Chiapa* mediterranea est, medio inter *Soconusco* Austrum versus, & *Novam Hispaniam* Occasum versus, situ, ad Septentrionem verò & Orientem inter *Tabasco* & *la Verapaz*, longa ab Oriente in Occidentem penè 40. leucas, & aliquot minus lata. Affluit tritici, Mayzi, aliorumque seminum, adhæc pecorum quoque copia, exceptis ovibus; quas pauciores nutrit. Pagus in ea est Castellanorum, quem *Ciudad Real* vocant, 70. à *S. Iago de Guatemala* leucis, versus Mezen, quem certis privilegijs donatum ordinarij regunt prætores. Cathedrale templum habet, una cum Cœnobio Dominicanorum, & ditione sua plurimos ab Indis inhabitatos pagos continet. Præmarium vocant *Chiapa*, totius regionis nomine. Incolæ equorum cura excellunt, qui indolis generositate eos longè vincunt, quos *Nova Hispania* nutrit. Musici sunt & pictores, & idonei maxime addiscendis artibus, ac istiusmodi opificijs, quæ ingenij solertiam & industriam requirunt. Fuere olim *Nicaraguenses*. Exstructa est civitas ista à *Diego de Mazariegos* Anno 1531, in planitie, figura rotunda, situ mirabili, Altitudo ejus est grad. 18 cum dimidio, distantia à mari Arctoo 60. leucarum, & totidem ab Australi.

Provincia de la Verapaz.

Provincia *de Verapaz* nomen accepit à religiosis Ordinis *S. Dominici*, propterea, quod eam concionibus suis pacaverint. Mediterranea quoque est interjecta inter fines de Soco-

de *Soconusco*, *Chiapa*, *Yucatan*, *Honduras*, & *Guatemala*, diameter ejus 30. leucas habet, totidemque à *S. Iago* recedit. Regio humida est, ideoq; ferendo *Mayzo* magis idonea, quod duplici quotannis messe agricolam beat. Minus feliciter triticum fert & gossypium & Cacao. Plurimæ hic aves sunt, quarum plumæ pictoribus interserviunt, ex quibus harum provinciarum incolæ quæstum magnum faciunt, cujus emolumenta ad reges Mexicanos redeunt. Nihil istis preciosius habent, & nefas grande credunt, si quis istiusmodi aves occidat, quanquam plumas ijs detrahare licitum sit. Non nisi unicum hic cernitur Cœnobium Dominicanorum, cum pago Indorum, in quo adolescentes sunt 17. qui eo convenerunt jussu religiosorum, quo cōmodius institui possent. Antea enim tanquam agrestes & culturæ omnis humanioris expertes hic illic sparsi vivebant, nunc verò ad Christianam religionem vitam componunt, & in secularibus certum politiæ ordinem servant. caret hæc regio Governatore, solo contenta Prætorum summo, quem designat dicta Camera. Intersecat hanc medius fluvius *Zacatula*, & ad sinum usque dulcem, *Golfo dulce*, exspaciatur, in quem omnes istius provinciæ fluvij se exonerant. quorum fluxu, uti & aquarum ex altissimis rupibus decidentium lapsu, nimia humiditate tellus perfusa fuit, usque adeò, ut peream in agris computruerit *Mayzum*, verum ijs delapsis jam emendata est temperies. Leones, tigres, damas magnà nutrit copiâ, quarum carnibus licet prædulces sint & flaccidæ vescuntur. Vocatur *Golfo dulce*, quia ab aquis fluviorum per illum sinum in mare excurrentium edulcatur. Pisces habet magnos, præcipuè eos quos *Manati* vocant, Latini *Taurum* marinum. Tam leniter aquas secat, ut magnus quamvis nullum tamen in aquis edat strepitum. insequentes pisces dum fugit, in profundum se dat. Verum cum se quæri sentit immani aquarum impulsu & agitatione contra luctatur. Caro ejus crassitiem carnis vaccinæ adæquat.

CAP. XIII.

De Honduras, Nicaragua, & Costarica provincijs.

Provincia & præfectura de *Honduras* juxta oram Septentrionalem exporrigitur ad *Honduras*. leucas plus 150, latitudinem verò si spectes à mari excurrit usque ad confinia *Costarica* & *Guatemala* leucas 80. Regio montosa est & ferax *Mayzi*, tritici, omnisq; generis pecudum. Argenti & auri fodinas aliquot hic reperire est. Episcopatum habet & Castellanorum pagos 6. Primus in ea Episcopatum tenuit Frater *Johannes de Taravèra* Prior de Prado, ordinis *S. Hieronymi* in Hispania.

Civitas de *Valladolid* Indorum idiomate vocata *Comayagua*, elevationem habet grad. *Valladolid* plus 16. & 60. leucis a *Sant Iago de Guatemala* abest, orientem versus, & 40. penè à mari Septentrionali. Sedes hic est Governatoris & Ecclesiæ Cathedralis, quæ anno 1558 à *Truxillo* huc translata est. Cœnobium unicum habet Mercenariorum. Dux *Alfonso de Careres* jussu *Petri de Alvarado* hanc regionem in provinciæ formam redegit. Inter duo maria sita est, quæ 50. leucis à se invicem distant, à portu de *Cavillos*, qui ad mare del Norte est ad sinum usque de *Fonseca*, qui ad mare est del Zur. Atque hanc viam mandato Regis exploravit *Baptista Antonelli*. Statuebant utique hac viâ facilius à mari Septentrionali ad Australe transferri posse merces. Verum maximis hoc iter difficultatibus obsessum esse comperit.

Urbs *Gracias à Dios* 30. à *Valladolid* leucis penè ad Occidentem Anno 1530 colonia *Gracias à Dios* facta

E

facta

DESCRPTIO INDIÆ

facta est à duce *Gabriele de Roias*, idque propter auri fodinas, quæ in hoc erant tractu. Varios hic Indorum insultus idem dux sustinuit, qui sæpius ipsum, etiam intra propugaculi mœnia, hostiliter adorti sunt. Quod ipsum tandem, cum opem non ferrent gubernatores *de Honduras & Nicaragua* deserere coactus fuit. Anno 1536. altera vice in urbem hanc colonos deduxit dux *Gonzalo de Alvarado*. Urbs *S. Pedro* 30. à *Comayagua* leucis distat, Septentrionem versus, nonnihil ad Occidentem declinando, 11. verò à portu *de Cavallos* in qua sedem habent Officiales regij. hic propter portus incommoditatē expediuntur naves. Fundator hujus fuit *D. Petrus de Alvarado* classium præfectus, Anno 1536.

S. Pedro.

S. Iuan.

Urbs *S. Iuan* sive portus *de Cavallos*, altitudinem attingit grad. 15. 11. à *S. Pedro & Comayagua* leucis. Colonos habet partim mercatorum procuratores & iustitiores, partim Æthiopus sive nigros. Vocatur portus *de Cavallos*, quia in illum demersi sunt equi aliquot nimia tempestatis ventorumque vehementia.

Truxillo.

S. Iorge de Olancho.

Civitas *Truxillo* 60. leucis à *Comayagua* distat versus ortum solstitialem, *Plinius Mezen* vocat, & 40. à portu *de Cavallos* versus Orientem. Fuit hic Cathedralis Ecclesiæ sedes. Portum habet non incommodum, qui *Ian Gillis* vocatur, ad quem primum appellere solent classes, quæ *Guatemalam* abeunt. Colonos in hanc deducere occœpit *Franciscus de las Casas* Anno 1524, qui cum omnes essent *de Estremadura*, urbi nomen *Truxillo* fecit. *Ferdinandus* autem *Cortesius* postremum eò colonos deduxit, cum propè *Ybueras* esset. Urbs *S. Iorge de Olancho* 40. à *Comayagua* leucis abest versus Orientem, cives habet 40. territorij verò sui ambitu Indos tributarios 16000. Multum adhæc auri fert, præcipuè in fluvio *Guayape*, qui 12. hinc leucis abest. Hæc convallis *de Blancho* amænissima est & aurifera, quæ causa fuit, quod ob hanc contentiones aliàs natæ sint inter provinciarum *de Honduras & Nicaragua* gubernatores, dum quisq; eam suæ jurisdictioni & præfecturæ addere studet. Hac quoque de causa *Ægidius Gonzalez Davila* à *Ferdinando de Soto* accepit 120000. pesos auri, & populum, quem à *Pedraria Davila* in sui defensionem acceperat, missum fecit. Hic aditum *Gonsalo de Sandoval* præclusit *Gabriel de Roias*, quem ab urbe *Truxillo* *Ferdinandus Cortesius* mittebat. Hic quoque ab Indis cæsus occidit *Iohannes de Gryalva*, dux celebris alijque complures. Hujus provinciæ ora tota mare Septentrionale spectat & sinum *de Honduras*, qui inter hanc & provinciam *Tucatan* interjacet donec coeant in *la Verapaz*, circa quem tractum vocatur *Sinus* sive *Golfo de Guanajos*. Prima cuspis est illa, quam Hispani *punctam de Ybueras* vocant. Altitudinem habet grad. 16. nec longè abest à *Golfo dulce* portus *Guatemala*, quo loci colonos accepit *S. Gillis de Buenevista*, propè promontorium *de Tres puntas*, ad Orientale latus *Golfe dulce*, fundabatq; eam, Anno 1524 *Gillis Gonzalez Davila*. Ulterius verò Orientem versus occurrunt fluvij *Piche & Baxo*, & *de Vlva*, qui alias *Balahama* dicitur, antè portum *de Cavallos*, cujus altitudo gradibus 15. mensuratur, quæ excipit fluvius, & cuspis *de la Sal & Triumpho de la Cruz* promontorium, tres habens cuspides, quo loci *Christoval de Olid* colonos accepit à *Maesse de Campo*. Anno 1524. Post quos fluvius se offert *Hulma* sive *de Xagua*, & ad ostij partem Borealem insula *Utila*, & versus *Mezen* insulæ *Guayata*, *Helen*, *Guanaya* & *S. Francisci*, una cum cuspide *de Truxillo*, quæ omnes insulæ sunt *de Guanajos*. Vocatur alio nomine dicta cuspis *Cabo Delgado* sive *de Honduras*, à quo usque ad promontorium *del Camaron* fluvij sunt 12. Exitque circa hoc promontorium maximus in mare pulvinus aut vadum, longitudine plus 20. leucarū, in cujus medio non longè à littore insula jacet magna satis, quam *de los Baxos* vocant. aliaq; ad latus Septentrionale nomine *San Millan*. Mox prætergressis hunc scopulum sinus *de Cartago* conspicitur & alius *Honda* dictus, antequam ad promontorium *Gracias à Dios* perveniatur.

quod

quod ad gradus 15. & tertiam gradus partem elevatur, ad cuius latus Septentrionale insulæ jacent tres *las Vitiosas* dictæ, necnon *Quitafvenio* & *Roncador* scopuli periculosissimi. Promontorio huic proxime succedit sinus de *Nicuesa*, nomen habens à *Nicuesa*, qui hic loci perijt, Anno 1510. Sinum excipit fluvius de *Tare* altitud. 13. graduum, ubi præfecturæ de *Honduras* & *Nicaragua* concurrunt. Insulas de *los Guanajos*, quarum jam statim facta fuit mentio, aperuit primus Admiralis *Christophorus Columbus*, Anno 1502 postrema sua in Indiam hanc navigatione, cum *Terram firmam*, circa littora *Veraguæ* detegeret. Vnde videre est, quam infeliciter ei hæc navigatio successerit. Nam si positus in *Veraguá* ab alia quoque fuisset parte Novam omnem Hispaniam aperuisset.

Provincia & præfectura *Nicaragua*, quam *D. Diego Lopez de Salzedo* Novum Legionis regnum vocabat, ad Occidentem *Guatemala* jungitur, ad Arctum provinciæ de *Honduras*, ad Austrum *Costarica*, ab Oriente in Occidentem excurrit leucas 150. à Meridie in Austrum, 80. Abunde fert *Mayzum*, cacao, gossypium, & varij generis pecora. tritico & ovibus caret. Pagos habet Castellanorum 5. Legio *Nicaragua*, à *Santiago Guatemala* 104. leucis abest, ferè ad Euronotum sita, à mari australi recedit leucis 12. vicina lacui de *Nicaragua*. Sederit hic fixere provinciæ Gubernator, officiales regij, & Ecclesia Cathedralis. Primus hic Episcopatu functus est *Diego de Alvarez Ossorio*. Quinq; habet collegia Mercenariorum, & Indos tributarios 20000. Vrbs *Granada* 16. à Legionem leucis distat, à duce *Francisco Hernandez*, uti & Legio, condita est Anno 1523. Sita est *Granada* ferè ad Zephyronotum ad ripam magni lacus, à portu *Realejo* abest 24 leucis. Præterea in ora istius lacus est *Lindiri*, & mons *Massayatan*, perpetuo ardens. In lacu hoc maris adfluvium & refluxium aquarumque incrementa & decrementa percipiuntur. Multis conspersus est insulis ad mare usque Septentrionale, ad fretum usque dictum *el Desaguadero*. Abundat piscibus & *Caymannis*. 2. hinc leucis, à *Granada* verò 7. mons spectatur ardens *Mombacho* dictus, miræ altitudinis, arboribus frugiferis, quibus tota luxuriat regio, consitus. Iudicabat sacerdos quidam materiam ignis perpetuò in monte *Massaya* ardentis esse aurum. Ideoq; confecto artificiosè lebe & longiore catena ad exhauriendam auri massam eundem in intimas montis partes demittebat, verum priusquam latentem ignis focum attigisset, flammæ vi liquefactus lebes instar plumbi diffluebat. Nova *Segovia* prima colonia *Pedrarie* 30. à Legionem versus Arctum leucis recedit, totidemque à *Granada*: Hujus ditio magnam auri copiam suppeditat. *Jaen* urbecula 30. à mari Septentrionali leucis distat, sitaque est, qua parte lacus magnus de *Nicaragua* desinit, seq; in eundem lacum exonerat fluvius *Desaguadero*. Merces hac de vehi solent in tribus, quos *Canoas* vocant, quas ex urbe *Nombre de Dios*, nunc vero è *Porto Belo* asportant.

Vrbs *Realejo* una leuca à portu de *Possession* abit. Altitudo ei est graduum 11. cum semisse. Portus est omnium, quos ista ora habet, commodissimus & tutissimus. Naves hic exstruunt idoneas à lignorum copia & bonitate instructi. Multi in hac præfectura supputantur pagi Indorum, quos frequentes incolunt tributarij. In limitibus verò præfecturæ & *Costarica* & *Nicoya* 48. à *Granada* leucis juris dicundi sedes est, quæ uti & insula de *la Chira* istinc 8. in mare excurrens leucas, habet plurimos tributarios Indos, antea *Camæ* sive Audientiæ *Panama* subditos, usq; ad annū quo Castellanorū Regis sceptrum addita fuit *Costarica*. Hujus gubernator alium suo loco substituit. uti & Episcopus *Nicaraguarum* vicarium. Portum habet sic satis commodū. ad oram quoq; maritimā, quæ mare del Norte spectat, fluvius est *Tare*, quo interlabente à provincia de *Honduras* hæc regio separatur. Post hunc alius sequitur *Tairepa* nomine, quem excipiunt in eadem orā fluvius & portus de *S. Iuan*, quem de *Desaguadero* vocant, alijque complures *Costaricam* irrigantes.

DESCRPTIO INDIAE

Ad oram Australem versus *el Realejo* portus est *S. Iago*, ante portum *de la Chira & de Pairo*, è regione *Nicoya*, idque in sinu dicto *Golfo de Salinas*, ante portum *de San Lazaro &* promontorium *de Borica*, ad cuius latus Orientale infulæ occurrunt *S. Maria, S. Martha, Cobaya, & Sebaco*, propè fines *Veraguæ* *Costaricæ* finibus conterminos. Anno 1529. colonia facta est urbs *Brufelas* ad oram *Nicaraguæ*, qua Meridiem respicit, verum *D. Diego Lopez de Salcedo* colonos eisdem alio traduxit, propterea quod in eam recepissent *Petrum de los Rios* gubernatorem *Castelle del Oro*, cum ad suscipiendam *Nicaraguæ* præfecturam huc contenderet, cui ab eodem *Salcedo* præfectus fuit. Anno 1524, in eam colonos deduxerat dux *Franciscus Hernandez*, sitaque est, in regione de *Uritina*. ab una sui parte mare adspectabat, ab alterà camporum planitiem, & aliqua sui parte montes fodinis celebres. Nec ullus Novi orbis populus linguæ Castellanae peritior est *Nicaraguensium* gente.

Costarica. Provincia & præfectura *Costaricæ* regionum Indiae Borealis maximè ad Orientem vergens, necnon Camera *Guatemala* longitud. habet ab Oriente in Occidentem 90. leucarum, à finibus *Veraguæ* usque ad fines *Nicaraguæ*, cui ad Septentrionem & Occidentem jungitur. Pagi in hac sunt bini. Regio est vasta, multas habens auri arrugas, & nonnullas etiam argenti. Unus istorum locorum est urbs *Aranirez* 5. leucis ab Indis *Chomes* distans, qui populus sunt ad jurisdictionem *Nicoya* pertinens.

Carthago. Civitas *Carthago* 40. à *Nicoya* leucis, 20. verò à maris littore penè in regionis umbilico est. Habet hæc portum, unde naves solvunt in mare Pacificum & *del Norte*, necnon flumina aliquot inter *Nicaraguam & Veraguam*, & sinus aliquot, nempe sinum de *S. Hieronymo & de Caribaco* in confinibus *Veraguæ*.

Inferatur hic Tabula 7.

CAP. XIV.

De India Australi.

Indiae pars *Australis*, perperam *America* dicta, totum illum terræ tractum continet, qui ab urbibus *Nombre de Dios & Panama* de Meridiem versus patet, cui includuntur *Terra firma*, regna *Peruvia, & Peru Chili*, Indis *Chille* dicta, provinciarum freti *Magellanic*, & fluminis istius celebratissimi *de la Plata, & Brasilia*. Audientias sive Cameras habet quinque, nempe eam, quæ est in *Panama* de, in novo regno *Granatensi*, in *S. Francisco de Quito, Lima, & los Charcas*. Præfecturæ hic recensentur undecim. Pars oræ à mari Atlantico alluitur, pars ab Australi, in quibus ut plurimum dominantur Austri & Zephyro-noti, qui cum præter indolem suam placidiores hic sint, horum locorum calorem temperant, & terram habitabilem esse faciunt. Nullis irrigantur imbribus, nec ullâ instantur grandine, præterquam in exigua distantia. Intersecant Indiam hanc montes *Cordilleras* dicti, qui in duplici sunt differentia, licet ad eandem poli altitudinem assurgant: quidam sylvis & nemoribus confiti sunt, & perpetuos percipiunt imbres, situ aëris calidiore; alij arboribus omnibus prorsus carent, temperie aëris cum per æstatem tum per hyemem frigida. Hi montes *Cordilleras* alio nomine *Andes* sive *Sierra* vocantur, fastigijs hic illic altissimis, parique tractu ac serie in 1000. leucas protensi. Uarij generis animalia in his nutriuntur; quæ verò parte patent, convalles habent habitationi perquæ idoneas, quales sunt *Xauxa, Andaguaylas, & Tucan*. In montibus quoque *Andes* dictis, diversæ

diversæ speciei pecora magnâ fœcunditate generantur, quâ verò supra urbem *Cusco* excurrunt, amplissima occurrit planities, quæ provinciam de *Collao* constituit, infinitis fluminibus irriguam, multisque insignem lacubus, & pascuis, sed soli vicio sylvis & arboribus carentem, quantumvis aère fruatur saluberrimo, & habitatorum abundet frequentia. Post hanc de *los Charcas* provinciam, *Sigue* jacet, miræ fertilitatis regio, cœli temperie calida, collibus & rupibus aspera, auri-fodinis locuples. Figuram huius Indiæ præmissa exhibet Tabula.

Inferatur hic Tabula 3.

C A P. X V.

De districtu ac limitibus Audientia sive supremæ curiæ urbis Panamæ sive Panamæ.

Audientia sive Camera *Panama*, quæ primum *Castella del Oro*, hoc est, *Castella aurea* dicta fuit, & postmodum *Terræ Firmæ* nomen accepit, angustis valdè limitibus coërcetur. Sedes hic est ipsius Cameræ sive supremæ Curiæ, idque ad expediendas classes & mercès quaslibet, quæ in *Peru* comitant & remeant. Longitudo ejus ab Ortu in occasum leucarum penè est 90. à confinibus præfecturæ *Cartagena* & *Popayan*, ad usque *Castillo de Veragua*. Latitudo vero à mari Pacifico ad mare usque Septentrionale versus occasum leucarum est 60. & amplius. at inter *Nombre de Dios* sive *Portobelo* & *Panamam* 18. Regio omnis montibus & rupibus præruptis aspera est, paludosa, temperie calida & humida, quæ multorum morborum à Majo ad Novembrem usque grassantium fœcunda est parens. Solum sterile est, & cum parcè admodum *Mayzum* ferat, multarum rerum inopiâ laborat. pascua tamen vaccis alijsque pecoribus lætissima præbet. Sub huius Cameræ districtu præfectura *Veraguæ* continetur, & ad hanc, uti & ad præfecturam *Panamæ* sequentes referuntur urbes.

Urbs *Panama* in ipsa ora maris Pacifici sita est, latitudinem habens gradum 9. longitudinem verò à meridiano *Toletano* grad. 82. à quo rectâ lineâ abest leucis 1560. Civis habet 600. magna ex parte mercatores & negociatores. Resident hic præter Curiam ipsam, reddituum regionum officiales, & gaza regia, quæ statim ab advenientibus classibus excipitur. Cathedralis insuper Ecclesiam habet, sed suffraganeam Archiepiscopatus *de los Reyes*, cœnobia tria, *Dominicanorum*, *Franciscanorum* & *Mercenariorum*. Portus illi sic satis opportunus est, hærentibus tamen subinde in vado ejus sub maris refluxum navibus, quæ æstatis tempore ad ipsam portus actam sive crepidinem appellunt, rigente verò brumâ in portum *Perico* duabus ab urbe leucis se recipiunt. Primus in eam colonos deduxit *Pedrias Davila*, cum gubernatoris titulo *Castelle aureæ* præesset, invitis civibus veteris *S. Mariæ del Darien* Anno 1519. post quæ statim tempora Cathedralis hic ecclesia constituta fuit, loco non usque adeo salubri & idoneo, idque propter maris Australis commercia.

Urbs *Nombre de Dios* condita demum est Anno 1510. à *Diego de Nicuesa*, & postmodum jussu *Pedriæ* à *Diego Albitez*. Portum ejus deprehendit primus Admiralius, posteaque in *Portobelo* translatus est, quod nomen illi indidit, propterea, quod salubrior & onerandis exonerandisque classibus aptior esset futurus, magisque navium stationi idoneus.

DESCRPTIO INDIÆ

idoneus. Ex nova urbe *S. Philippe* arcem & propugnaculum fecit *Baptista Antoneli*, & in ulteriore portus ripa aliud quoque munimentum ad aditus custodiam & tutelam designavit. Duplici via merces à *Portobelo* in *Panamam* devehuntur, unâ terrestri *Carouanibus* 18. leucarum intervallo, quæ facilior est eâ viâ quæ per *Nombre de Dios* instituitur: altera per mare & fluvium *de Chagre*, cuius ostium 18. à *Portobelo* abest leucis Occasum versus, & hinc porrò *Carouanibus* itur *Panamam* usque 5. leucarum itinere.

Naua. Urbs *Nata* 30. à *Panamaide* leucis versus Occasum recedit ad oram quoque maris *del Zur*. Colonis eam donavit *Franciscus Compagnon*, ex mandato *Pedrarie*, ut in bellis, quæ cum *Cazique Urraca* gerebantur, propugnaculi loco esset. Acla colonia fundari cœpta est à Duce *Gabriele de Rojas* ejusdem *Pedrarie* jussu, ad littus maris *Atlantici* & initium sinus *de Uraba*, è regione insulæ *de Pinos*. Verum huius memoria prorsus interiit, ex quo tempore diem suum hic obiit dux famâ celebris & maris præfectus *Basco Nuniez à Balboa*, cuius immortale erit apud posteros nomen. In hiatibus ac fissuris montis *Almagro*, & circa fluminis *Chiepo* principia aurum reperitur, quod superioribus temporibus copiose hic eruebatur. Abundant flumina omnia *Caymannis* piscibus, qui primis harum regionum detectoribus multum negocij facessiverunt, & homines aliquot devoraverunt. Accidit forte, ut, cum navem conscendisset quidam prope aulam regis *Panamae*, à *Caymanno* retractus fuerit à navis puppi, qui cum prædam in rupem subvexisset & jam ad discerpendam eam se comparasset sclopeto ictus concidit, & morituro jam jam homini hoc reliquum fecit, ut non nisi accepto Ecclesiæ Sacramento è vivis excederet.

Veragua. Provincia *Veragua* altitudine grad. 10. *Costaricæ* ad Occidentem contermina est, longitudine ab ortu in occasum leucorum 50. latitudine 25. Regio omnis montosa est vastissimis cincta nemoribus & vepretis; verum hortis, pecore, tritico, & hordeo carens. Parum habet *Mayzi* & herbarum hortensium. Mimeris auri passim perfusa est. auri fodinas habet in fluvijis & montium fissuris prædivites, necnon Indos armis & bellis exercitatos. Est in eâ urbs *de la Conception*, 40. à *Nombre de Dios* leucis Occidentem versus, in qua sedem habent gubernator & officiales, qui hodie à Curia *Panamensi* designantur. Urbs *Trinidad* 6. à *la Conception* leucis à mari tribus recedit. Ad eam, cum terra iter neget, non nisi per mare pervenire datur. Vicinus urbi *la Conception* est fluvius *Belen*.

Santa-Fe. Urbs *Santa Fe* 12. à *Conception* sita leucis versus meridiem domos habet fusorias, & Officialium procuratores. Urbs *Carlos* ad oram maris *Australis* 30. à *Santa-Fe* leucis versus occasum sita est. Quotquot huic præfecturæ subsunt Indi cum Hispanis bellum gerunt. Nullum insignem habet portum tum *Septentrionalis* tum *Meridionalis* hujus præfecturæ ora. Fluvios, portus & promontoria hæc habet: Sinum *de Carabaco* sive *S. Hieronymi* ad oram maris *Atlantici* & fines *Veraguæ*, versus latus ejus *Orientalis*: fluvium *de la Trinidad* & *de la Conception*, & jam supra nominatum *Belen*; quò loci primus *Admiralius* colonos primum deduxit in *Terram Firmam*, Anno 1503. sed non ita diu post aliò translatus; insulam *de Escudo* imminentem urbi *la Conception*: fluvium *de Chagre* & una leuca ulterius versus *Orientem de Portete*, quousque in hujus oræ detectione pervenerat eodem anno *Columbus*: portum *Langostas* 12. à *Nombre de Dios* leucis ad occasum; portum *de Gallinas* grad. 9. portum *Buenaventura* 6. grad. Portum *Belo* 5. grad. altit. è regione vero insulas *de las Miras* & *de Bastimentos*; hæc post duabus à *Nombre de Dios* leucis *Orientem* versus fluvium *de Sardinilla*, quatuor vero leucis fluvium

fluvium *de Sardinilla*, quatuor vero leucis fluvium *de Sardina*, necnon fluvium *de Mayz*, & *de Culebras*; octo leucis fluvium *de Francisco*: & Sinum *de Vraba*, in quo *Bacchiller Enciso* Anno 1509. condidit urbem *de Sancta Maria* sive veterem *del Darien*. Fuit autem hic *Bacchiller Enciso* idem iste, qui perhibebat in *Castella aurea* loca esse & tractus, in quibus aurum retibus captum exciperetur, quæ res plurimos movit ut in Indiam proficiscerentur sub ductu *Pedraria Davila* Anno 1514. Verum Anno 1513. discessit ex urbe *Darien* maris præfectus (*Adelantado* vocant Hispani) *Basco Nuniez de Balboa*, quæsiturus mare Australe, quod & ipsius studio & inquisitione detectum est. Cuspis insulæ *Cativa* posita est antè scopulum *de S. Blas*, & insulam *Comagre*, & *de Pinos*, ulterius in ipso sinu *de Vraba* jacentem. In intimis verò sinus hujus partibus portus est *de Nilcos*, propè ostium fluminis *del Darien*; quo limites hujus præfecturæ à limitibus præfecturæ *de Cartagena* separantur. Estque hic *Culata de Vraba*, quo loci *Alphonsus de Oieda* coloniam fecit *S. Sebastiaen de Vraba*. Sinus hic altitudinem habet gradum 8. 14. verò leucis intra terras se abdit. qua incipit 6. leucarum habet latitudinem, ulterius progrediendo 5. qua vero terminatur 4. At 5. leucis à sinus ripa quondam fuit urbs *S. Mariæ*, sive vetus *del Darien*.

Ad oram Meridionalem promontorium spectatur *S. Mariæ*, & Cuspis *de Guerra*, & priusquam Panamam venias, sinus *de Parita* sive *Paris*, ubi urbs *Nata* sita est; Cuspis adhæc *de Chiame*, regio *de Carique Chiapes*, amicissimi præfecto *Basco Nuniez de Balboa*, cujus opera in terrarum harum detectione usus fuit. Panamam si prætereas fluvius occurrit *Coquirá* sive *Chepo*, & alius *de la Blasa*, sive *cogos*, in intimis ac profundissimis partibus sinus *de S. Miguel* ad plagam Australem & Borealem insulæ *de Perlas*; cuspis insuper & portus *de Piniar*, in ipso sinus introitu est ad meridiem, qui 50. à Panama leucis abest, ab Vraba vero 20; denique portus *Quemado* propè promontorium *de Co-rientes* altitudine graduum 50.

Inferatur hic Tabula 9.

C A P. XVI.

*De districtu ac finibus Cameræ Santa-Fe de Bogotâ,
sive novo regno Granatensi.*

Territorium Cameræ *Nove Granadæ* ab Oriente in Occidentem 300. leucis pro-
tenditur, & totidem à Meridie in Septentrionem, quibus includuntur Provinciæ
Novi regni, præfecturæ *S. Martæ* & *Cartagenæ*, necnon pars regionis *Popayan*, &
in confinibus Provinciæ *del Dorado*, sive *nove Estremaduræ*. Provincia *novi Regni*, quæ
Cameræ imperio subest 14. leucas longitudinis suæ numerat, 80. latitudinis. Regio est
plana, maximamque ejus partem valles & montes constituunt. A pascuorum bonitate
commendatur, ut & à pecorum omnis generis multitudine. Varijs tractibus Mayzum
triticum, fructusque alios Castellanos profert. Aurum quoque suppeditat, idque pu-
rissimum, æris insuper & coloris cœrulei fodinis celebrata. Indigenæ agiles sunt, ne-
gociatores strenui, vestibus ex gossypio contextis induti. Urbes hæ ferè in eâ suppu-
tantur: Urbs *Santa-Fe de Bogotâ*, condita ad montis *Bogotæ* radicem, ita dicta à *Santa-Fe*
Carique, cui nomen erat *Bogotæ*, in quam colonos deduxit *Gonzalo Ximenez de Que-* *de Bogotâ.*
sada

DESCRPTIO INDIAE

Sada Thalassiarcha, qui cum natione esset Granatensis nomen quoque & urbi & regno dedit; licet partem quoque ejus detexissent Thalassiarcha *Belalcazar* & *Nicolaus Federman*. Longitudinem habet grad. 72. cum dimidio, à Meridiano Toletano, hoc est leucarum 1440. & quatuor versus Arctum ab Æquinoctiali gradibus abit. Cives habet plus quam 600. Residentque hic Camera, Officiales reddituum regionum, ararium, domus fusoria, Cathedralis & Metropolitana Ecclesia, cui suffraganeæ sunt, *Popayan*, *Cartagena*, & *S. Martha*. Cœnobium habet Dominicanorum & Franciscanorum, & Indos tributarios plus quam 50000. lacum adhæc *de Guatavita*, quo in loco Idolis honorem divinum exhibebant Indi, magnasque auri gazas in sacrificium ipsdem obtulisse creduntur.

S. Miguel. Urbs *S. Michaëlis in Santa-Fe* territorio 12. ab eâ leucis ad Septentrionem sita, hoc consilio condita est, ut ex eâ commode commerciorum societas iniri posset cum Indis *Panches* dictis, qui climate viventes calidiore non sine valetudinis manifestâ noxâ in urbem *Santam-Fe* climate sitam frigido negotiatum ibant. Urbem *Tocayma* 15. à *Santa-Fe* leucis distitam versus Occidentem declinando nonnihil ad Septentrionem coloniam fecit Dux *Ferdinandus Vanegas*. Sita est ad ripam præstantissimi fluminis *Pati*, qui in fluvium *de la Magdalena* se exonerat. Cœnobium habet unicum Dominicanorum. Aurum non fert, nec rore nocturno adspergitur, omniumque est calidissima. Nullo communi idiomate utuntur hujus *Novi regni* incolæ, quamquam maximè vigeat illud, quo Indi *Panches* utuntur in Provinciâ *los Musos* & *Colimas*, quam alio nomine *Canapes* vocant, longitudine leucarum 25. & latitudine quæ versus Mezem extenditur 13. Regio est inculta, salubris, pascuis dives, auro & smaragdis abundans. Urbs *Trinidad* duplicem coloniam constituit, & 20. à *S. Fe* leucis distat versus *Thrasciozephyrum*. Incolas accepit à Duce *Lodouico Lanhero* Anno 1582. quo tempore cum Indis *Moscas* dictis bellum gereret, hominibus vaftris ac timidis. Hæc jurisdictio locupletem habet fodinam smaragdorû, plurimosque Indos nondum sceptris regis Hispaniarum subditos.

La Palma. Urbs *de la Palma in los Colimas* calidæ magis quam frigidæ temperiei 15. à *S. Fe* leucis versus *Thrasciozephyrum*, condita est Anno 1572. à Duce *D. Gutiere de Orvalle* in Provincia *de Tunia*, quæ nomen habet à suo *Cazique*, rectâ ferè ad Septentrionalem *Bogota* plagam, & 22. uti & *Tunia* urbs à *S. Fe* leucis remota. Exstructa hæc fuit in altissimo monte, ut in bello, quod adversus Indos gerebatur, propugnaculi loco esset. Ducentos hæc urbs ad bellum mittit equites, & commeatus omniumque rerum ad vitæ humanæ sustentationem necessariarum abundantiam alijs regionibus longè præcellit. Nulla totius hujus regni parte magis fervent mercaturæ studia, quàm hac ipsa in urbe. Cœnobia habet duo, Dominicanorum unum, Franciscanorum alterum. Colonos in eam deduxit Dux *Gonzala Xuares Rondon* auspicijs *Gonzali Ximenez de Pulsada* Thalassiarchæ. Urbs *Pamplona* 60. à *Santa-Fe* leucis versus Mesem sita cœnobium unum habet Dominicanorum. Auri & pecorum est feracissima. Exstructa est jussu *Michaëlis Diaz de Armendariz* licentiati. Urbem *de S. Christoval* 13. à *Pamplona* leucis Septentrionem versus coloniam fecit Dux *Franciscus de Cacirès*, in confinibus regionis *de la Grita*, cujus nominis origo hæc est: quod his in locis Indi ex montibus profilientes impetum in Castellanos fecissent, magno in eos irruentes clamore & strepitu. Alendo pecori perquam est idonea, licet aurum ferat parcius.

Belez. Urbs *Merida* in finibus sita est præfecturæ *Venezuelæ* & *Novi regni*, regione fœcundâ tum auri tum tritici proventu. Urbs *Belez* 13. à *Santa-Fe* leucis ad Boream & 15. à

Tunia

Tunia, cœnobium unum habet Franciscanorum. Colonos accepit à Duce *Gonzalo Ximenez Rondon*. Olim tonitruorum hic strepitus & fragor audiebatur frequens, sed nunc infrequentius, quia huic naturæ malo peculiari virtute occurrit Sacramentum altaris. Mons hic est perpetuo ardens lapidesque & saxa evomens.

Urbs *de Mariquita de Ybague*, alias *S. Sebastiaen del Oro* dicta, 40. à *S. Fe* leucis versus *Thrafciozephyrum*, colonos accepit anno 1551. à Duce *Pedroso*, sitaque est in campi planitie ad montium radicem, temperie aëris calidissima. S. Sebastiaen del Oro.

Urbs *Ybague* 30. à *S. Fe* leucis pene ad Occidentem, prima est Novi regni colonia, contermina *Popayan*. Colonos in eam deduxit *Andreas Lopez de Galarza* anno 1551. jussu *Supremæ Curia*, ad occurrendum excursionibus Indorum, quibus cives *Tocayma* & *Cartaginis* infestabant, utque tutus pateret aditus in præfecturam *Popayan*. Cœnobium in eâ unicum est Dominicanorum. Ybague.

Urbs *de la Victoria de los Remedios* 50. leucis à *Santa-Fe*, versus *Thrafciozephyrum*, auri fodinis ditissima est. La Victoria de los Remedios.

Urbs *de S. Iuan de los Llanos* 50. à *Santa Fe* leucis versus Meridiem auro locuples est. Colonos ex urbe *Tudela*, quæ in hac quoque præfectura est sita, abduxit Dux *Petrus de Ursua*, jussu *Michaëlis Diaz de Armendariz* licentiati, hac de causa, quod hostiliter agerent cum Indis *Moschas* dictis. Septem ad hanc Novi regni Cameram pertinent loca præfecturæ *de Popayan, Santa-Fe del Antiochia, Caramanta, Arma, Anzerma, Cartago, S. Sebastiaen de la Plata, & S. Vincent de los Pazos.* S. Iuan de los Llanos. Tudela.

Devehuntur in Novum hoc regnum merces per flumen maximum *de la Magdalena*, à *Malambo*, jurisdictionis *Cartagena*. Detectum fuit hoc flumen auspicijs *Garcie de Lerma* gubernatoris *de Santa Martha* Anno 1531. Tanta aquarum rapiditate & fluxus impetu in mare excurrit, ut nisi longius ab ejus ostio recesserint prætereuntes naves, maximum discrimen incurrant. Sita est in ejus faucibus insula. Navigabile est ad leucas 150. & amplius, & plus quam 300. leucis in loca mediterranea diffunditur. Ex duobus fontibus supra *Popayan* originem ducit, qui 40. à se invicem leucis distant, moxque coeuntes flumen hoc faciunt. *Madalene* nomen accepit hac occasione, quod festo *S. Madalene* detectus sit ejus aditus, altitudine grad. 12. A *Cartagena* abest 26. leucis. Fluvium la Magdalena.

Provincia & præfectura *S. Martæ* ad oram *Terre Firma*, inter *Cartagenam* & fluvium *de la Hache* ad leucas 20. extenditur. Ferax est *mayzi*, & *Batatas*. aurum & æs copiose suppeditat, necnon smaragdos aliosque pretiosos lapides. Quinque habet Castellano- rum pagos, indigenas plurimos, eosque belli studijs exercitatos. Præfectura S. Martæ.

Urbem maritimam *S. Martæ* coloniam fecit *Bastidas* classium præfectus, Anno 1525. altitudine grad. 10. longitudine 74. à meridiano *Toletano* 1420. leucis abit. Sedes est gubernatoris & Officialium regionum, & Ecclesiæ Cathedralis suffraganeæ Novi regni. Portum sic satis commodum habet. Quatuor hæc præfectura habet provincias, *Poziguam, Beronam, Chemicam, & Tayronam*, quod, si interpretaris, *fornacem* significat, quia in hac provinciâ incredibilis est copia metallorum, & maximi precij lapidum. Urbs S. Martæ.

Tenerife propè fluvium *la Madalena* sita est, 40. à *S. Martha* leucis penè ad *Zephyro-* notum. Colonos in eam deduxit *Franciscus Henrici*, jussu *Gonzalvi Perez* qui ex mandato *Thalassiarchæ Lugo*, *Santæ Martæ* imperium tenebat. *Tamalameque* sive civitas *de las Palmas*, 65. à *Santa Martha* versus meridiem leucis à *Tenerife* 25. duobus ferè à fluvio *Magno* colonos accepit Anno 1561. à Duce *Bartholomæo Dalva*. Urbs *de los Reyes*, in valle *Upari* sita respectu *S. Martæ* ad *Euro-notum* 50. ab ea leucis, 30. verò a fluvio *la Hache*, ferax Tenerife. Tamalameque. De los Reyes.

D E S C R I P T I O I N D I Æ

Mayzi pecorum, & omnis generis commeatus, etiam æris. colonia facta est à Duce *Santana*, jussu *Michaëlis Diaz* licentiati. Antè hanc *la Ramada* colonos acceperat, primum dicta *Nova Salamanca*, 40. à *Santa Martha* leucis Orientem versus, 8. à fluvio *La Plata* leucis, ad torrentes montium *Nevada*, in valle *Upari*. Tanta hic æris, quanta lapidum est copia. Merces hujus præfecturæ in Novum regnum deferuntur per lacum hujus urbis 8. ab eadem leucis versus mare & 12. à *Melambo*.

Ocania. Sita quoque in hac præfectura est *Ocania*, antea dicta *Santa Ana*, in quam anno 1572. colonos deduxit *Franciscus Hernandez* militum dux. In ora quoque hujus præfecturæ fluvius est *Bubia*, propè *Ramadam*, aliusque *Piras* dictus, uti & fluvius *de Palamino*, in quo mersus perijt dux quidam ejusdem nominis. Sunt in eadem promontoria *los Ancones de Buritaca & del Aguia*, propè *Santam Martam* ex adverso montis *Bonda*, & fluminis *de Gayra* versus Occidentem.

Cartagena. Provincia & præfectura *Cartagena* ad oram Terræ Firmæ & maris Atlantici longitudine sua ab Oriente in Occidentem excurrit, à fluvio *la Madalena* ad fluvium *del Darien*, 80. verò leucis à Meridie in Septentrionem, totidemque ad confinia usque *Novi Regni*, quanquam distantia hæc adhuc major esse credatur. Regio montosa est, & rupibus aspera. Valles habet altis arboribus confitas. Aërem habet pluvium & humidum. Sata Castellana semen non ferunt. Nec tritici nec auri ferax est, nisi in quibusdam tractibus. Magna hic resinæ & aromatici gummi, nec non aliorum succorum copia ex arboribus colligitur. Adhæc sanguis draconis, balsama fragrantissimi odoris, maximarumque facultatum.

Civitas *Cartagena* mari vicina duabus à cuspide *de la Canoa* versus Occidentem leucis abest, latitudine grad 10. longitudine 76. à *Toleto* leucis 1470. Cives habet plus quam 500. interque eos muliebris sexus supra 200. Sedes est Gubernatoris, eorumque qui redivisibus regijs præfecti sunt, nec non gazophylacij, & Ecclesiæ Cathedralis suffraganeæ novi Regni. Cœnobium habet Dominicanorum. Sita est in planicie ac peninsulâ Septentrionem contra. Littus est vastum & vadofum valde, & parte quadam brachij instar in mare excurrit, ita ut lacum efficiat *de Canapote*, qui uti maris æstus ipsdem horis adfluit & refluit. E civitate per pontem itur in ipsam continentem, qui instar viæ strætæ aditum & exitum præbet, longitudine 250. circiter passuum. Fundata est loco arenoso, sinusq; habet & maris diverticula, in quibus dulces aquas reperire est. Temperies aëris subinde insalubrior est, quanquam minus, quam ora urbis *Nombre de Dios*, idque propter fœdos stagnorum & lacuum halitus, qui dolorum morborumque causa sunt. Portum habet cum alijs Indiæ totius portibus commoditate certantem, quanquam majorum navium statio paulò ab ipsa urbe remotior sit. In ipso urbis aditu insulam adspicit similem insulæ *Escombrera* in *Cartagenâ Castellanorum*. quæ causa fuit, quod urbem hanc *Cartagenam* quoque vocaverint, insulam verò, *de Codege*, hodie *de Carex*. Longitudo duarum est leucarum, latitudo unius aut paulò amplius. Sedem hic olim piscatores Indi fixerant. Aqua caret. Primus *Carthagenam* detexit *Rodrigo de Bastidas* Anno 1502. & anno 1504. terram conscendit *Iohannes de la Cosa*, reperitque ibidem *Lodovicum Guerra*. qui primi bella gesserunt cum Indis, hominibus superbis ac audacibus. Pugnabant hic non viri solum, sed & fœminæ, quibus arma erant venenatæ sagittæ, quibus læsos crudeliter enecabant. Postea huc reversus est *Alphonsus de Oieda* comitatus *Ioanne de la Cosa* supremo navium ductore, & *Americo Vesputio* nauta, & paucis post annis colonos in eam deduci curavit *Gregorius Hernandez de Obiedo*. Anno 1532. colonis hos tractus auxit *Petrus de Heredia* natus *Madritij*, magnamque harum regionum partem subdidit, quanquam

magnis

magnis laboribus & non sine astu & vario stratagemate. Negotium siquidem illi erat cum gente bellicosa, in quâ fœmina erat 18. circiter annorum, quæ, antequam se in manus hostis sui dabit octo Castellanos arcu suo straverat.

Urbs *Sant-Iago de Tolu* sex à mari leucis jacet versus Zephyronotum si Cartagenam respicias, à qua leucis recedit 12. Ad eam partim mari itur, partim per loca paludosa & montes. Regio est aëre gaudens saluberrimo, ab agrorum cultura, pecorum fœcundâ propagatione & seminum Castellanorum ubere proventu laudata. Colonos accepit à Thalassiarcha *D. Petro de Heredia*. Urbs *Maria* 32. à Carhtagena leucis versus Austrum colonis instructa est Anno 1534. ab eodem *Petro de Heredia*. Urbs *Santa Cruz de Mopox* 70. à Cartagena leucis ad ripam fluminis *de la Madalena*, sita est, tractu minus salubri, idque propter stagna & paludes, quibus undequaque cingitur. Colonos in eam deducebat dux quidam *Petrus de Heredia* Anno 1535. *Bachiller Enciso* colonos deduxit in *Santam Mariam veterem del Darien* in eadem sitam præfecturâ Anno 1599. abductis è *Sinte Sebastiaen de Buena Vista* colonis, quos eo deduxerat eodem anno Dux *Alphonsus de Oieda*, in sinu *de Uraba*, eosdem reducente in *Sinte Sebastiaen*, Duce *Alphonso de Heredia*, sitaq; erat hæc urbecula *S. Sebastiani* in parvo colle dimidia penè à mari leucâ. Anno verò 1537. magnam militum manum ex eadem deducebat *Ioannes de Vadillo Licentiatus* & gravissima passus, dum per præruptas rupes & longos montium tractus transit, in urbem *Antiochiam* venit sitam in præfecturâ *Popayan*. Militum unus ab hac pedestri itinere in urbem *de la Plata & los Charcas* pervenit, spatio 1200. leucarum.

La Barranca de Melambo domus est, ad quam exonerantur naves ad solvendum portorium, Iurisdictioni Cartagenæ subest, ad ripam Magni fluvij, (*Rio Grande*) 30. à *Cartagena* leucis, 20. à *Santa Marta*, à mari 6. ubi naves merces suas exponunt, quæ terrâ in Novum regnum adsportantur. A *Baranca* in fluvium ipsum vehuntur lintribus *Canoas* dictis. Infrâ *Mopox* flumen *Cauca* in fluvium *de la Madalena* excurrit, cujus origo supra *Popayan* est. Ulterius Cartagenam & Occidentem versus *Morro* occurrit & *Cuspis Zamba*, & *Buhio el Gato*, sive *Arboleda* & 7. *Buhios*, necnon cuspis *Canoa* duabus à Cartagenâ leucis, & in ipso portus aditu cuspis *de los Ycacos*, è regione insulæ *Carex*, adhæc cuspis *de la Nao* oram Terræ firmæ. Ad aliud portus latus pene ad Boream insula est *Sardina*. Circa littora *Tolu* insulæ *de Baro* jacent, numero 6: atque in ipso ostio sinus *de Uraba* sex aliæ de *San Bernardo* è regione fluminis *Zenu*; penitius in ipso sinu insula jacet *Fuerte*, & *la Tortuga*. Portus *Zenu* 25. à Cartagena leucis distidet. Sinus est amplus satis, in quem aditus patet ad plagam Orientalem, isque tutus & periculi expers. Multum hic salis conficitur, nomenque habet à pago *Zenu*, qui in ipsa fluminis ripa situs fuit.

Provincias *del Dorado* sive novæ *Estremaduræ*, quæ ob vicinitatem ad districtû *Cameræ* Novi Regni pertinent, ingressi sunt militum Duces plurimi allecti vana magnarum opum & thesaurorum spe. Sitæ hæ sunt ad ulteriorem ripam fluminis *S. Iuan de las Amazonas*, aliter dicti *Orellana*, quod quidam perperam credunt esse *Maranjon* flumen. Irrigant has fluvius *Oronico* aliaque majora flumina, necnon sinus *de Paria*. Quin spectare hic est insulam *de la Trinidad*, & ostia *de la Sierpe* ac *Drago*, quorum nominum author fuit primus *Admiralius*, cum se istic loci in maximo discrimine ac præsentis periculo versari videret, propter conflictum & arcanas inimicitias aquarum dulcium & falsarum, quæ antea incognitæ fuerant. Circa hos verò tractus æstus maris crescere & assurgere alius incipit ad fretum usque *Magellanicum* & porrò per oras *Peruanas* & *Novæ Hispaniæ*.

DESCRPTIO INDIÆ

Peru sive Peruana regio.

Provincia *Peru*, quarum nomen latius nunc, quam solebat, patet, totum Imperium *de Tngas*, & amplius, ambitu suo continent. Cum primum debellatum esset, in duas Præfecturas divisum fuit, nempe in eam cui præerat *Franciscus Pizardus*, dictaque *Nova Castella*, à *Quito* ad usque *Cusco* excurrentes 60. infra *Chincam* leucis: & eam quæ *D. Diego de Almagro* cessit, dictaque est *Nova Toletana* à *Chinca* ad fretum usque *Magell.* ad 200. leucarum longitudinem extensa. Ac distinctæ quidem fuere hæ præfecturæ, donec *Camera de los Reyes* constitueretur, eique præficeretur pro-Rex regnorum *Peru*. Continentur hoc Imperio *Camera S. Francisci del Quito*, *Camera de Lima*, sive *de los Reyes*, aliaque *de los Charcas*, præfectura *Chile*, & ad fretum *Magellanicum* sitæ regiones: insulæ insuper *Salomonis* ad Occidentem sitæ, & propter vicinitatem *Provincia del Rio de la Plata*, aliaque loca, quæ ex certa limitum definitione ad imperium *Vice-regis* pertinent. Longitudo ejus à Septentrione in Meridiem leucis plus 1000. mensuratur, ab Oriente verò in Occidentem abit per eos omnes tractus, qui inter mare *Atlanticum* & *Pacificum* detecti sunt. Omnes *Peruani* imperij *Provincia* à montibus *Cordilleras* intersecantur, quique *Andes* dicuntur ab Austro in Boream excurrunt, à *Provincia Popayan*, aut, uti quibusdam placet, à *Terra Firma* & *Nova Hispania* ad Fretum usque *Magellanicum*: alij verò montes à *Quito* ad *Chile* usque juxta maris littus porriguntur, quanquam 12. adhuc ab eodem distent leucis, paulò plus minus.

Duo Cordilleras India Australis.

Duplex, Peruvia via.

Per montes ipsos duplex abit via. Prior *de los Tngas* appellatur, transitque per *Andes* à *Pasto* ad *Chilen* usque, longitudine 900. leucarum, strataque est lapide pedes 25. & singulis quatuor leucis ædificia occurrunt splendida, quæ *Tambos* vocant, in quibus ea quæ ad victum & amictum pertinent reperire est, quin singulis semileucis veredarios offendas, mandata litterasque sibi invicem perferendas tradentes. Posterior verò per ipsam abit planitiem juxta oræ longitudinem extensa, lataque 25. pedes.

Peruvia omnem Indiam Australem non complectitur.

Notandum est sub nomine *Peru* non comprehendi omnes *Indiæ Australis* regiones, quia, uti jam dictum, eas solummodo terras complectitur, quæ à *S. Francisco del Quito* initium sumunt, idque infra æquatorem, juxta *Chilen*, ultra *Tropicos* ad leucas 600. excurrentes, latitudine leucarum 50. & ad *de Chachapoyas* usque pertingunt. In tres partes dividitur; in planitiem, quæ 10. leucarum habet latitudinem, licet minorem quibusdam in locis ad maris oram; in *Montes*, 20. leucarum latitudine, interjectis hic illic vallibus, & in *Andes* similiter 20. leucarum, qui montes sunt & sylvæ densissimæ, & in tam exigua distantia penè 50. leucis pari ferè intervallo ab *Æquatore* & *Polo* absunt. Tanta est in his partibus aëris diversitas, ut in quibusdam semper ferè, in alijs rarè aut nunquam pluat, quod circa maris oram accidere solet. In tertiâ verò parte, hoc est, in montibus interjectis inter alias duas extremas quibusdam anni temporibus pluit, quibusdam non, quia eadem hic, quæ *Castellæ*, æstatis & hyemis est ratio. Causam hujus rei, cur nempe in *Andibus* pluat, circa oram verò minimè in *historiæ* hujus limine exposuimus.

Inferatur hic Tabula 10.

C A P.

CAP. XVII.

De districtu Camerae S. Francisci del Quito.

Territorium ac Iurisdictio Camerae, quae in *Quito* sedem fixit, ad Boream contermina est Camerae *Panamae* in portu *de la Buena Ventura*, ad Mezen *Novo Regno*, ad Meridiem Camerae *de Lima*. Longitudine sua extenditur juxta oram Australem penè ad 200. leucas, à portu *de Buena Ventura* in sinu *Panae*, usque ad *S. Michaelis* sive *Payta* portum ad littora *Peru*, atque hinc obliquo ductu usque ad fines *Popayan* 200. insuper leucis exporrigitur, exclusis limitibus Orientalibus. Continet praefecturas tres excepta Camera, praefecturam nempe *Popayan*, *los Quixos* & *la Canella*, unamque *S. Iohannis de Salinas*, *de los Pacamoros*, & *Gualfongo*, divisam in duos Episcopatus.

Provincia & Praefectura *del Quito*, cui Camera imperat, longa est leucas 80. vicina *El Quito* Aequatori. Quamquam autem sub ipsa linea Aequinoctiali sita sit, tamen eadem hic ferè est aëris temperies, quae Castellae. Est enim is serenus, purgatus minimeque nebulosus, magis frigidus quam calidus; ac quibusdam in locis perpetuae toto anno deprehenduntur nives. Ab Octobri ad Martium usque, quod tempus ipsis hyemis est, pluvius est aër, reliquis mensibus graminis messem colligunt, quae quamquam non usque adeò sit luculenta & opima, tamen sufficit in pabulum pecori, cuius magna satis hic est copia. Tritici, hordei, & quibusdam in tractibus, auri quoque est ferax. Vivitur hic pancreaticè & placidè, cum nihil homini volupe sit magis, quam aëre frui temperato & salubri. Nulla hos tractus affligit, aut frigoris per hyemem, aut caloris per aestatem inclementia. Coloniae hae sunt:

Civitas *S. Francisci del Quito*, quae *Athaualpa* Caesari *Petuviae* natales praebuit, sita est altitudine gradus dimidij ab Aequatore, à Meridiano *Toletano* gradibus abest 82. sive 1686 leucis, à mari *del Sur* 60. Cives habet 500. Sedes hic est Camerae ad forensium controversiarum decisionem, praefectura siquidem ipsa ad Proregem pertinet. Resident ibidem quoque Officiales reddituum, gazophylacium regium, & Ecclesia Cathedralis Episcopatus, suffraganea Archiepiscopatus *de los Reyes*: tria Cœnobia, Dominicanorum, Franciscanorum, & Mercenariorum. Iurisdictioni ejus parent pagi *Indorum* 87. Eo ipso, in quo civitas haec loco est constructa, diversorium fuit amplum satis, aedificatum à rege *Topaynga*, & à filio exornatum, qui nomen illi *Quito* imposuit, unde appellationem urbs ipsa sortita est. Colonos in eam deduxit *Thalassiarca* (Hispani *Adelantados* vocant) *Sebastianus de Belalcazar*, qui sub *D. Francisco Pizarro* stipendia meruit, fidemque suam Regi probavit; factumque id mandato *D. Diego de Almagro*, maris praefecti, qui post sopitas cum *Adelantado D. Petro de Alvarado* lites eundem *Sebastianum* gubernatorem huic Provinciae praefecit.

Riobamba in Provincia *de Purvaes* sita est. Castellae similis est regio, si aëris temperiem, si graminis, florum aliarumque rerum indolem spectes. Pagum habet unicum pastorum, ab urbe *S. Francisci del Quito* 25. leucis versus *Zephyronotum* abest, in viâ qua ad *los Reyes* itur. Magna hic pecorum frequentia est, quae 40000. hic supputantur, sed oves potissimum. Habuerunt ibidem *Inges* hospitium regale, & feliciter hic cum *Indis* conflavit *Adelantados Belalcazar*, victoriâ potitus. Eodem quoque in loco

DESCRPTIO INDIÆ

prælio decertarunt. *D. Diego Almagro*, & *D. Petrus de Alvarado*, ibidemque prima urbis *Quito* fundamenta jacta sunt.

Cuenca. Urbs *Cuenca*, condita jussu Marchionis *de Caniete*, Peruvix proregis, alio nomine dicta fuit *Bamba*, & 51. leucis à *Quito* Austrum versus distat. Prætorium hic est ad curam Proregis pertinens. Cœnobium habet Dominicanorū, & Franciscanorum. Sunt in hujus territorio opulentissimæ auri fodinæ, nonnullæ argenti, complures argentivivi, æris, ferri & lapidis. *Azufre*.

Loxa. Urbs *Loxa* alias *Zarca* dicta 80. à *Quito* leucis versus Meridiem, à *Cuenca* 30. abest. Locus est judicialis Vice-regis. Cœnobia habet Dominicanorum & Franciscanorum, & in via, qua à *Curco* ad *Quito* itur, posita est, idque in valle amœnissima *Guxibamba* inter duos fluvios. Condidit eam Anno 1546. *Antonius de Mercadillo*, ad indigenarum tranquillitatem.

Zamora. Urbs *Zamora*, quam *de los Alcaydes*, vocant, 90. à *Quito* leucis penè ad *Euconotum* sita est, prætereundo *la Cordillera de los Andes*. Locus est judicialis ad curam pertinens Vice-regis. Unicum habet Franciscanorū Cœnobium. Nulla hic tritici colligitur messis, propter nimiam soli humiditatem. Auri fodinis locuples est, in quibus auri grana particulæq; quatuor librarum reperiuntur. Dux *Mercadillo* coloniam eam fecit Anno 1549. consentiente Duce *Benavente*. A *Loxa* 20. abest leucis ultra montes *Cordilleras*, qui torrentes & fluenta in mare Australe excurrentia, ab ijs separant, quæ in mare Atlanticum se exonerant. Indi *Zamoram* vocabant. Loci situs & regio *Poronuca* vocatur, quod *Indos Bellicosos* significat. Copiosè hic aurum eruitur, ita ut oblata aliquando fuerint Regi grana 12. librarum. Salinas adhæc habet aquæ falsæ.

Iaen. Urbs *Iaen* à *Loxa* 55. leucis, à *los Chacapayas* 30. condita est à Duce *Diego Palamino* Anno 1549 in provincijs *de Chuquimayo*, in *Charaynga*.

S. Michael de Piura. Urbs *S. Michaelis de Piura* in provincia *Chiles* 120 à *Quito* leucis penè ad *Euronotum*, 25. verò à portu *de Payta*, in quo jurisdictio Camerae istius terminatur. Locus est judicialis, ad curam Proregis pertinens. Cœnobium habet Mercenariorum, & quam pluvijs non irrigetur, rore tamen copioso humectatur, qui in causa est, quod solum hoc ubertim triticum, *Mayzum*, seminaq; & fructus Castellanos fundat. Sub hujus urbis jurisditione est portus *de Payta*, altitudine grad. 5. ad Australem æquatoris plagam, qui ab amplitudine, commoditate & securitate commendatur. In hunc se recipere solent naves, quæ à *Guatemala* in *Peru* abeunt. *Franciscus Pizardus* hujus conditor fuit Anno 1531, fuitque omnium coloniarum in his regnis prima. In qua primum quoque honori Dei Opt. Max. & Ecclesiæ Romanæ dicatum fuit Templum.

Tota Provincia & Jurisdictio vallium *de Tumbes* sicca est temperie, viaque regia ab *Ingas* per valles *de Piura* transit, arboribus hinc inde confitas. In præcipua verò planitie ac valle duo aut tres concurrunt fluvij. Primitus fundata fuerat urbs in *Tangazala*, unde propter tractus intemperiem alio traducta est, interq; duas valles posita. Via omnis insalubris est, & oculos potissimùm afficit, propter ventorum vehementiam, æstatis fervorem, nimiamque hyemis humiditatem.

Guayaquil. Urbs *Sant Iago de Guayaquil*, alias *Culata*, 60. à *Quito* leucis, à mari 15. recedit, versus Zephyronotum. Iuris dicundi locus est ad curam Proregis pertinens. Condidit eam *Adelentadus Belalcazar*. Molientibus autem defectionem Indis, multisque hic extinctis Hispanis, novis colonis eam auxit Dux *Franciscus d'Orellana*. Regio est placidissima, nulli fertilitate cedens, passimque in arborum cavitatibus mellis favos habens. Fluvij istius aquæ, quæ ab ipsa ferè æquinoctialilinea initium sumunt adversus morbum Gallicum

simi.

similesque affectus conducunt. Magna hominum ad hunc fluvium valetudinis recuperandæ causa confluit multitudo, propter radices *Sarsaparilla*, quas copiosè hic reperias. Nec tamen usque adeò magnus est fluvius. Quæ verò in mare Pacificum se exonerant fluentia, minora sunt ijs, quæ in mare Atlanticum excurrunt, quia minus spatij conficiunt; sed ea ipsa majori undarum rapiditate & aquarum defluxu propter labentes ex montibus aquas feruntur. Varijs modis ac artibus Indi hos fluvios trajiciunt. Quibusdam in locis transmissio per flumen fune, viatorem impositum corbi, quem funi alligant, per ipsas aquas ad se trahunt. Alijs locis videre est, Indum nobilem rate ac schediâ stramineâ viatorem divaricatis tibijs coxis suis impositum transvectare. Alijs in locis viatores sarcinasque excavatæ cucurbitæ imponunt, ipsique Indi alligati funi more equorum natando flumen trajiciunt. Vicinus est urbi portus, propter fluvij amplitudinem, quem superato mari conscendunt naves, ad transportandas postmodum in *Quito* terrestri via merces. Anno 1568 colonos in urbem *Castro* introduxit Dux *Contero*, sitam in planicie ac valle de *Vili*, quo tempore regnorum *Peru* imperium habebat *Lope Garcia de Castro* licentiatus.

Vili in Provincia de *Bunigando*, *Imdinono* & *Gualaya* jacet, quam provinciam *Smaragdorum* vocant. Gubernator supra dictus profectus in *Guayaquil*, terras omnes à *Passao* ad flumen usque *S. Johannis* in mare Australe se exonerans, aperuit.

Urbs de *Porto Viejo*, 80. penè à *S. Francisco del Quito* leucis abest, ad Occidentem, verum via non planâ sed aspera & præruptâ, alijsque insuper 50. à *Santago de Guayaquil* ad quam à *Quito* urbe itur. In hujus ditione est *Passao*, primus *Peruvia* portus. A fluvio verò *Sant lago* initium sumit præfectura *Francisci Pisardi*. Cum autem tam vicina sit *Æquatori* hæc regio, utpote à quo unico gradu recedit, multorum judicio insalubrior creditur. Verum in alijs regionibus pari ab *Æquinoctiali* distantia disitis, magna est aëris salubritas, terræ ubertas, omniumque rerum ad humanæ vitæ usum necessariorum abundantia, contra quam opinati sunt veteres. Minus longævi sunt in hoc tractu Indi, multisque in facie, naso, alijsque corporis partibus rubræ nascuntur verrucæ, faciem deturpantes. Ex piscium quorundam esu eas contrahi autumant. In hoc districtu est *Munta*, cujus coloni magnam opum vim ex locis mediterraneis corraferunt. Certo constare creditur, esse hic loci fodinam optimorum quos mittit India *Smaragdorum*. In ipsis lapidibus cristalli instar crescunt, & uti marmor, tractari se sinunt ac subigi; sensimque expoliendo perficiuntur. Colonos in eam deduxit *Franciscus Pacheco* Anno 1535, jussu *D. Diego de Almagro*. Multos habet Indos bello ac militiæ aptos. Cœnobium quoque Mercenariorum. Nulla hic tritici colligitur messis, propter perpetuas easque octomestres pluvias, sed mineras habet auri laudabiles.

Ad oram hujus præfecturæ hi sequentes sunt portus, insulæ, promontoria: de *Ancon* de *Sardinas*, antè sinum de *Sant lago*, qui 15. à cuspide de *Manglares* versus Austrum leucis situs est; quem proximè sequitur sinus *S. Matthæi*. Hunc verò promontorium *S. Francisci* excipit, & post *los Quiximies* quatuor occurrunt flumina, antequam ad *Portete* perveniat, quo loci *Æthiopes* aliquot & nigri è navi naufraga servati, Indis se junxere, unaque cum ipsis pagum constituere. Hinc *Passao* cuspis ac portus Indorum conspicitur, per quem lineam *Æquinoctialem* transire aiunt, in confinijs montium *Queaque*: post hanc sinus *Cara* est, antè *Puerto Viejo*, uno ab *Æquatore* versus Austrum gradu, ac quinque hinc leucis promontorium se offert *S. Laurentij*, propè quam insula est de *Plata*; hinc portum *Callo* & *Calango* cernere est, ante cuspidem *S. Helena*, altitudine grad. 2. & post hanc fluvium *Tumbes* 4. grad. altitud. Insulæ adhæc *la Pruna*, & *Santa Clara*, quarum hæc

Promontoria & portus hujus præfecturæ.

D E S C R I P T I O I N D I Æ

rum hæc quam prior longius à littore recedit. Promontorium quoque *Blanco* 15. à *Tumbez* versus Meridiem leucis, uti & cuspis *Parina*, occurrit. Ad Austrum insula *Lobos* jacet 4. à portu *Payta* leucis. Moxque *la Silla*, ante cuspidem *Aguia* & portum *Tangora* conspicitur.

*Gigantes
cuspis
S. Helena.*

Narrant hujus regionis indigenæ, superioribus seculis in eam trans mare venisse, cratibus ex lignorum & trabium strue arte quadam contextis, homines, tam monstrosæ magnitudinis, ut solius tibiæ ad genu usque longitudo hominum aliorum staturam æquaret, eosque effodisse ingentem, in rupe quadam, puteum, qui hodie adhuc aqua recenti & dulci plenus visitur, in e uspide *S. Helena*: verum propter scelerum immanitatem delapso cœlitus igne periisse. Ad hujus rei fidem hoc facere videtur, quod in his locis portentosæ magnitudinis ossa reperiantur, dentesque humani ponderis 14. unciarum. In *Nova Hispania* quoque, & *Tlascala* territorio ejusdem quantitatis ossa reperiuntur. Habet cuspis *S. Helena* mineras & scrobes picis, idoneæ picandis navibus, quæ ferrens adhuc ex scrobibus istis extrahitur.

C A P. XVIII.

*De provincijs Popayan, los Quixos, en la Canela, Pacamoros,
& Gualsongo, quæ reliqua erant ad districtum Au-
dientia del Quito pertinentia.*

Popayan. **P**raefectura de *Popayan* 120. leucis à finibus psovinciæ *del Quito* abest, eique recta à Septentrione Austrum versus opponitur. Subest Æquinoctiali & ad *Cartagenam* usque versus Septentrionem extenditur, alijsque insuper leucis 100. à *Novi Regni* limitibus Orientem spectantibus ad mare usque Pacificum excurrit. Pagos aliquot habet Castellanorum, ea parte, quæ ad *Cameram del Quito* pertinet. Quæ verò regio *Novi Regni* pars est, aspera & horrida est, ideoque parvè mayzum, parcius triticum fert. Raræ hic pecudes sunt, sed opulentissimæ auri fodinæ. Urbes continet sequentes.

*Civitas
Popayan.*

Civitas Popayan ad Borealem Æquatoris plagam, altitudinem attingit graduum 2½, longitudinem habet à Meridiano *Toletano* grad. 68, sive leucarum 1580. Residet in ea Vicarius gubernatoris, Ecclesia Cathedralis, & Cœnobium Mercenariorum. *Sebastianus de Belalcazar* Thalassiarcha colonos in eam deduxit Anno 1537. Indoles incolarum hujus Provinciæ multum diversa est ab eorum indole, qui *Peruviam* incolunt, sive ingenij dotes, sive morum civilitatem humanitatemque respicias. His enim alijsque virtutibus Peruvianos superant. Habitant in *Caravanibus*. *Popayan* vocatur, de nomine *Caziques*, Domini sui. Pars ejus ad oram Australem jacet, montesque habet versus Orientem protensos, & parte alia *la Cordillera de los Andes*. Atque ex his partibus fluvij funduntur, inter quos est *la Magdalena*, qui in mare Septentrionale se exonerat. Hujus præfecturæ incolæ aërem habent frigidum saluberrimumque, qui in alijs tractibus calidus est & morborum ferax.

Cali.

Cali urbs in altitudine 4 graduum est posita, 22. à *Popayan* leucis, à mari Pacifico 18. Colonia facta est Anno 1537. à Duce *Michaele Munioz*. sed antè ipsum in pagos *los Gorriones* colonos deduxit *Sebastianus Belalcazar*. In vallis planitie sita est, ad montis radicem, aëreque fervido torretur. Sedes est Gubernatoris, Officialium reddituum Regis, domus fusoriæ, Gazophylacij sive ararij Regij, Cœnobiumque habet Mercenariorum, & Augu-

& Augustinianorum. In hujus ditione portus *de Buenaventura* jacet, altitudine grad. 3. cum dimidio, in quo ad excipiendas merces cives nonnulli commorantur. Indi hujus urbis *Cali* bonæ indolis sunt, & Christianismo addicti. Quem olim habuit Dominum, *Lisupete* dictus fuit.

Urbs *Santa Fe del Antiochia* plus 100. leucis à *Popayan* distat, versus *Mezen*, in littore fluminis *Cauca*, & sub districtu *Camere Novi Regni*, & Episcopatu *Popayan*. Dives est auri fodinis, propè colliculum *Buritaca*, sic dictum, quod aurum haberet. Sita est in planitie. Indigenæ indolis sunt laudatæ, corpore vegeto & candido, aëris ea temperies, ut extra ædes sub dio securi, sine valetudinis noxâ, dormiant. Pecorum & fructuum lata fecunditate gaudet, lacusque habet piscibus refertos. *Caspar de Rodas* militum dux, colonos in eam deduxit jussu *Adelantadi Belalcazar*; Anno 1541.

Urbs *Caramanta* 60. aut 70. à *Popayan* leucis versus *Mezen*, propè fluvium *Cauca* jacet, sub territorio ac districtu *Novi-Regni*. Abundat præfectura & Episcopatus *Popayan mayzo*, alijsque fructibus, tritico excepto. pecorum quoque inopia laborat, exceptis suis, quarum magna hic est copia. *Antiochiam* spacio 5. aut 6. horarum, juxta fluminis ripam, itur, quo tempore ob fluminis rapiditatem 50. leucæ conficiuntur. Colonia est *Adelantadi Belalcazar*.

Urbs *Sant Iago de Arma* plurimas habet auri fodinas, & 50. à *Popayan* leucis distat, versus *Mezen*, nonnihil ad Orientem declinando. Ad *Cameram Novi Regni* pertinet, & præfecturam *Popayan*. Triticum nec semina Castellana fert, licet sua & quæ regionibus hisce propria sunt & nativa abundanter ferat. Idem *Belalcazar* huc colonos deduxit, & in hac urbe decollari jussit *Georgium Robledo*, ab *Anzarma* 60. abest leucis. Tanta est indigenarum immanitas & crudelitas, ut vivi mortuorum esse sepulchra non horreant, & maritus conjugem, frater sororem, filius patrem voret. Quin accidit hic, ut jussu Domini saginatum captivum & cantu multo ac trepudijs in lucem productum, membratim dissecuerit Indorum aliquis, cujus membris calidis adhuc & spirantibus ingluviem ferinam explebant. Ex quo tempore verò colonos accepit *Arma*, plus octo mille Indos voraverunt; & mansit hæc quoque fors Castellanorum nonnullos.

Urbs *de Sant Ana de Ancerma* quinquaginta à *Popayan* leucis versus *Mezen*, ad ripam fluminis *Cauca* jacet. Ad præfecturam & Episcopatum *Popayan* pertinens. Tritici & pecorum expers est, sed tonitribus quam maximè infestatur. Conditor ejus fuit *Georgius Robledo*, jussu *Lorenzo de Aldano*. Hujus quoque indigenæ antropophagi sunt, & nudi incedunt, nulla habentes simulacra, nullas, quas adorent, imagines. Auri fodinas optimas habet hæc jurisdictio, aëra calidum, sed tonitruum ictibus frequenter turbatum.

Urbs *Carthago* viginti quinque à *Popayan* leucis, ferè ad *Mezen*, ad *Cameram Novi Regni*, ad præfecturam verò ac Episcopatum *Popayan* pertinet. Nulla hic tritici, nulla feminum Castellanorum messis. Regio est temperata, parum habens auri, sed quam frequentes irrigant pluviae. Nullum pecudum genus præter vaccas & hircos nutrit. Montes habet plurimos, in quibus leones, tigres, boves, damæ pascuntur. Vnicum habet Franciscanorum Collegium. Colonos accepit à Duce *Georgio Robledo*, qui *Carthaginem* vocavit, hanc ob causam, quod coloni omnes essent *Carthagenâ* oriundi.

Urbs *Timana* 40. à *Popayan* leucis versus *Euronotum* distat, 60. à *Santa Fe de Bogota*,
G

DESCRIP TIO INDIÆ

gota, 30. à provincijs *del Dorado*. Imperat hic Vice-gubernator aliquis, qui idem oppido *S. Sebastiani de la Plata* præest. Indi hujus loci barbara crudelitate infames sunt, utpote qui captorum hominum carnes in facellis publicis precio divendant. Sita est, ubi initium sumit vallis de *Neyva*, aëreque fruitur calido. Habet ditio hæc collem è quo

*Vbi magnes
reperiatur.*

Magnes eruitur. Accolæ ejus sunt Indi *Pæzes & Pixaos*, de *Caribum* gente.

Urbs *Guadalajara de Buga* 15. à *Popayan* versus *Mezen* leucis, in territorio *Camera del Quito* sita est, sub prætura de *Popayan*.

*S. Seba-
stian de la
Plata.*

Urbs *S. Sebastiani de la Plata*, in finibus istius præfecturæ, 25. à *Popayan* leucis recedit, à *Santa Fe* 30. versus *Zephyronotum*. In Ecclesiasticis subest Hierarchiæ urbis *Popayan*. Auri fodinas habet plurimas, & territorio suo viginti quatuor continet Indorum classes ac tribus. A portu *Onda* 3. abest leucis ad fluvium magnum *do la Madalena* posita, ubi *Cartagenâ* advectæ naves exonerantur. Sita est in planitie propè fluvium *Guali*. Terræ motibus obnoxia est regio hæc, & de hyeme, plus calet quam friget. Decrescit indies hominum numerus, qui à Caribis antropophagis, quos *de Rincon* vocant, vorantur. Hi ipsi quoque vendundis carnibus humanis facella aperiant, cui gentis feritati occurri nulla ratione potest. Colonos in urbem hanc deduxit Thalassiarcha *Belalcazar*.

Almaguer.

Urbs *Almaguer* 20. à *Popayan* versus *Euronotum* leucis, mayzi, tritici, aliorumque fatorum, pecudum quoque & auri ubertate commendatur. Colonos accepit ab *Alphonso de Fuenmaior*, jussu licentiati *Brizenij* gubernatoris & judicis in *Popayan*. In monte *Zabana* sita est, aëris temperie frigidior, incolæ togis ex gossypio confectis induti incedunt.

Truxillo.

S. Juan de Truxillo, aliter dicta *Yscance*, triginta à *Popayan* leucis jacet versus *Euronotum*.

Madrigal.

Urbs *Madrigal* sive *Chapanchica* 35. à *Popayan* leucis penè ad Austrum posita est. Regio inculta est & horrida, in qua nulla tritici messis colligitur, licet mayzum bis quotannis ferat, & quia gens inconditis est moribus difficulter in ordinem cogi potest. Pecora non nutrit.

Agreda.

Urbs *Agreda* & *Almaguer* auri fodinas habent. *Agreda*, alio nomine *Malaga* dicta, 45. à *Popayan* leucis versus *Zephyronotum* sita est.

*S. Juan de
de Pasto.*

Urbs *S. Johannis de Pasto*, ita dicta est, quod pratorum & pascuorum copia luxuriet. A *Popayan* versus *Zephyronotum* 50. leucis distat, à *Quito* 100. agro sita est laudabili, aëre fruitur salubri, mayzum, aliaque, quæ ad com meatum faciunt, abundanter profert. Auri fodinas quoque habet, & 24000. sub unicâ præfecturâ Indos, sed non de *Caribum* gente, verùm oculorum vitio laborantes, sordidos & incomptos. Cum sub paganismo viverent, nullas habebant imagines, quin exacto hujus vitæ tempore, se in locis quibusdam amœnioribus ac *Elysijs* campis suaviter victuros credunt. Fluvius *Caliente*, qui inter *Pasto* & *Popayan* labitur, aquas habet dulcissimas, & in ulteriore ejus ripa mons est, ad quem usque *Gonsales Pizardus* sequutus est Vice-Regem *Blasco Nunez Vela*, & ad fluvium usque *Angasmayo*, qui provinciam istam permeat, pervenisse dicitur Rex *Guaynacapa*.

*Causa
fontium
ardentium.*

Ultra fluvium *Caliente* in rupe excelsâ mons est ignivomus, qui uti perhibent indigenæ, jam à multis retro annis exhalationes & fumos copiosè eructavit. Philosophi, dum in causas hujus arcani inquirunt, affirmant, uti terra certis locis vapores attrahit & colligit, eosque in aquam mutat, quæ fontium perennium est materia: ita loca quædam esse, quæ nativa quadam proprietate fumos exhalationesque calidas & siccas attrahunt, quæ

quæ mutata in ignem & flammam vi sua crassiore materiam eructant, quæ ipsa in cineres ac saxa abit. Atque hanc montium perpetuò ardentium causam esse volunt. Habet urbs dicta Cœnobia Dominicanorum, Franciscanorum & Mercenariorum. Sita est cœli climate frigido, com meatu omni ac annona abundas, uti & fructibus soli nativis. Sacchari habet varias species, necnon seminum ac leguminum Castellanorum copiam. Colonos accepit à Duce *Lorenzo de Aldana* Anno 1539, qui eam *Villam Viciosam de Pašto* vocabat. A mari Pacifico 50. abest leucis versus Insulam *Gorgona*. Abrogatae sunt in hac provinciâ urbs *Antioquia*, urbs *Neyva* in valle *Neyva*, 20. à *Tumana* leucis, idque propter crudelitatem Indorum *Paezes* & *Pixaos*, & *Manipos* in valle *Saldania*: : necnon oppidum *S. Vincentij de los Parzes*, 60. à *S. Iuan de los Llanos*, in finibus *Popayan*, cujus conditor fuit *Dominicus Lozanus*; denique urbs *S. Angelorum*, (*de los Angeles*) 22. à *Tocayma* leucis, 9. verò à *Neyva*.

Ad oram Australem hujus præfecturæ, à promontoriò *de Corrientes*, posito in altitudine grad. 5. versus Boreale Æquatoris latus; fluvius est *de Salinas*, inter promontorium *de Corrientes* & insulam *de las Palmas*, in altitudine graduum 4. & tertiæ gradus partis. Ad oram verò quæ ad *Gorgonam* usque se extendit, fluvius est *S. Iohannis*, qui una cum alijs pingui illuvie ac limo agros facundat, cujus ostium adspicit ex adverso insulam *Gorgonam*. Hujus autem ambitus duarum est leucarum, & in hac *Franciscum Pizarandum* aliosque tredecim deseruerunt socij sui. Fluvius *S. Lucar*, & *de Nicardo* antè fluvium *de Zedros* duabus ab Æquinoctiali leucis recedit, ad quem insula jacet *de Gallo*, & post hanc portus *de Cruz*, & cuspis *de Manglares*, à qua initium sumit ora *del Quito*.

De præfectura *de los Quixos & la Canela*, nihil aliud constat, quam quod principium sumat ex Orientali parte provinciæ *del Quito*, & ex parte Australi versus præfecturam *S. Iohannis de Salinas*. Tres habet Castellanorum pagos, & Governatorem à Vice-Rege *Peruvie* creatum, ac in spiritualibus ad Episcopatum pertinet *del Quito*. Regio est aspera & montosa, tritico carens, mayzum parcè ferens, arboribus hic illic cinnamomo non dissimilibus consita. Primum oppidulum est *Baeza* 18. à *S. Francisco del Quito* leucis penè ad Zephyronotum, in quo residet Governator.

Urbs *Archidona* 20. leucis longius à *Quito* abit. Urbs *d'Avila* ad Borealem plagam *Archidona* jacet.

Præfectura & provincia *de Pacamoros & Ygualsongo*, sive *S. Iohannis de Salinas* limitibus suis 300. continet leucas, qui partim in Orientem excurrunt, partim 20. leucis ulterius ab urbe *Zamora* in montibus *Cordillera de los Andes*, totidemque in Austrum & Meridiem. Regio est, à soli bonitate, ab aëris temperie, à tritici, aliorumque seminum, à pecorum insuper fecunditate laudata. Auri fodinis ditissima est, in quibus grana magna reperiuntur. Quatuor habet Colonias ad Episcopatum *del Quito* pertinentes, quas condidit Dux *Iohannes de Salinas*.

Urbs *Valladolid* altitudine grad. 7. à *Loxa* 20. leucis distat, versus Zephyronotum, è regione montium *Cordillera de Peru*.

Urbs *Loyala* sive *Cunbinania* 16. leucis à *Valladolid* versus Orientem sita est.

Urbs *de Sant Iago de las Montanas* quinquaginta à *Loyala* leucis abest, penè ad Ortum. In districtu suo multum habet auri, & quidem maximi valoris. Quantum verò hoc metallum attinet, certè de ejus precio & excellentia agere necessum non est, quum summas in hoc Universo vires exercent: tribus modis in India eruitur. Primus est in *Pepite*, hoc est, cum solidæ auri massæ effoditur,

D E S C R I P T I O I N D I Æ

*Quot mo-
dis aurum
eruitur.*

absque alterius metalli commixtione, ita ut igne purgari ac secerni opus non sit. Grana ejus magnitudinem adæquant nuclei *de Calabasse*, interdum majora sunt. Sed parcius hæc auri species datur. Secundus modus est, cum è lapide eruitur, quales lapides reperiuntur in præfecturâ *S. Johannis de Salinas*, magnæ molis, auri fibris conspersæ: quidam etiam dimidia sui parte purum putum aurum sunt, qui in puteis & fodinis reperiuntur, ac non nisi magno labore subigi se patiuntur. Tertius modus est, cum è pulvere ac arena eruitur, & quidem majore, quam duobus alijs modis, copia. Invenitur in fluminibus, aut torrentibus, præcipuè verò in regnis *Chiles & Quito*, & Novo regno *Granatensi*. Et cum primum detectæ essent hæc terræ, copiosè in insulis *de Barlovento* inveniebatur. Preciosissimum aurum dat *Carabaya* in *Peruvia*, & *Baldavia* ac *Chile*, quod cum dimidio *quilaten* ac amplius valet.

Inferatur hic Tabula 11.

C A P. XIX.

De districtu suprema Curia sive Audientia delos Reyes.

Districtus *Camerae delos Reyes* propriè & speciatim *Peruvia* dicitur, & ab *Æquatore* versus *Austrum* ad 7 gradus altitud. exporrigitur, hoc est 220. leucas, quamquam, si iter faciendum sit, terræ leucas 300. numerent. A cuspidè *Aguya* incipit, quo loci confinis est *Camerae del Quito*, usque dum urbem *Arequipam* superaveris, ubi initium est regionis *de los Charcas*. Pars *Camerae* habitata ad leucas 100. extenditur, ab ora *Australi* Orientem versus, ubi limites patent ad provincias usque fluminis *de la Plata & Brasiliam*, quæ à *Cordilleras* incipit, ubi in perpetuos imbres dissolvitur aër. Ab his ad mare usque planicies *Peruvia* vocatur, quam nulla irrigat pluvia, nullum infestat tonitru. Cujus rei causa est montium altitudo, qui planitiem ipsam quasi operiunt, nec eam à ventis mediterraneis perflari sinunt, atq; hinc fit, ut è mari flantes venti imperium hic teneant; & cum aliorum ventorum occursum non repellantur, exprimuntur sublatis in altum vapores, pluviae futura materies, ita ut montes oppositi impediunt vaporum condensationem, & defectu materiae tanta est vaporum raritas circa hanc oram, ut præter nebulam humidiorè nihil gignat, quæ sata & frugum fecunditatem promovet, quæ sine nebula hac propter nimium roris madorem cassæ sunt & inanes. Regio omnis arenosa est, exceptis, quæ ad fluminum è montibus labentium ripas jacent, vallibus. Magnus hic roris beneficio est proventus panis, vini, olei, sacchari, factorum, & tum nativorum, tum *Castellanorum* fructuum. In montium præcipitijs pascua sunt lætissima. Aëris temperies alia atque alia est, quia summæ partes frigent, infimæ calent, mediæ de natura extremorum suorum plus minusve participant. Hujus *Camerae* præfectura, uti & *del Quito & los Charcas* ad curam *Pro-Regis* pertinet. Sub hujus *Camerae* districtu hæc sunt urbes:

*Civitas de
los Reyes.*

Urbs *de los Reyes* sive *Lima*, à nomine vallis sic dictæ, quæ à suo *Caxique* nomen habuit. Est hæc omnium vallium inter *Tumbez* ad hunc usque locum maxima & lætissima. Propè mare *Australe* jacet 12. ab *Æquatore Meridie* versus gradibus, & à *Meridiano Toletano* 82, sive leucis 1820. Cives habet plus quam 300. fundavitque eam *Marchio Franciscus Pizardus* Anno 1533. quia futurum suspicabatur, ut ad oram *Austro-*

se reci-

se reciperet Adelantadus *Petrus de Alvarado*, cum Guatemalæ esset una cum exercitu. Propè urbem ad Orientalem ejus partem fluvius labitur, qui & incolis aquam sufficit, & hortos ipsorum irrigat, in quibus eximij fructus Castellani nascuntur, alijque regionis proprii & domestici. Aëris bonitate nullis orbis terrarum tractibus cedit, neque enim aut fames ulla terram hanc premit, aut pestis affligit, aut pluvia, aut tonitru, aut fulmen, verum perpetuâ semper serenitate nitet cœlum, nullis vicibus ac alterationibus obnoxium. Residet hic pro-Rex, aula, officiales regij & regis gazophylacium, curia S. Inquisitionis, eodem constituta tempore cum curia Inquisitionis in novâ Hispania. Eratque in istis regnis Inquisitor generalis, Cardinalis D. *Diego de Espinosa* Episcopus de *Siguenza*, qui ordinem istum, uti & alia ad promotionem sanctæ & Catholicæ fidei & religionis Christianæ spectantia constituit. In eadem urbe Academia est, in qua & humaniores disciplinæ, & variæ Indorum linguæ traduntur, idque præcipue cura & industriâ patrum Iesuitarum, qui Evangelij propagationi non segniter his in locis incumbunt. Sedes quoque est Metropolitanæ Archiepiscopi, cujus suffraganei sunt Episcopi de *Chiles*, *Charcas*, *Cuzco*, *Quito*, *Panama*, *Nicaragua*, & fluminis *de la Plata*. Tres habet parochias, & quinque Cœnobia quatuor Ordinum, & Iesuitarum, duo verò monialium. Portus ejus *Callao* est, duabus ab eâ remotus leucis, amplitudine & commoditate suâ laudabilis, necnon ædificiorum multitudine. Prætozem habet & Telonium, templum adhæc & Cœnobium Dominicanorum. Hic loci aqua ac vinum lagenis & utribus inclusum ad refrigerium aquis marinis exponuntur, unde colligitur, Oceano inesse vim ac virtutem temperandi immodicum calorem. Affirmant multi esse in hac civitate 12000. mulieres omnis nationis, & 2000. Æthiopus sive nigros.

Urbs *Arnedo* in Valle *Chancai*, 10. à *los Reyes* leucis, à mari semileucâ, Cœnobium *Arnedo.* habet unicum Dominicanorum, vineisque abundat. Conditor ejus est *Conde de Nieva*.

Urbs *de la Parzilla* sive *Santa*, sic dicta est propter vallem, in qua sita est, 55. à *los Reyes* leucis, & 15. à *Truxillo* distat, propè mare, non longè à fluvio quodam insigni. portum habet commodum, in altitudine 9. graduum, in quem se recipiunt naves circa oram Peruvix navigantes. *Santa.*

Urbs *Truxillo* in Valle *de Chimo* posita est, cujus primum ichnographiam concepit D. *Truxillo.* *Diego de Almagro*, postea vero condita est à marchione *Francisco Pizarro* Anno 1533. Vineis luxuriat, fructusq; Castellanos & triticum fert abundanter. Rore humectatur regio, & saluberrimo cœli tractu gaudet. Poma fert aurantia justæ magnitudinis, & gallinas nutrit copiose. Altitudinem attingit graduum 7½. & à *Lima* 80. abit leucis, mari vicina est, cœnobiaque habet Dominicanorum, Franciscanorum, & Augustinianorum, & aliud Mercenariorum, Officiales regios curæ Vice-Regis commissos. Sub jurisdictione sua habet Indos tributum pendentes 50000. in vicis ac tribubus 42. Portus duabus hinc leucis abest, situs in sinu ac maris diverticulo, quod non sine periculo adire licet.

Urbs *Miraflores* in Valle *Zana* jacet, 95. à civitate *los Reyes* leucis, ad plagam Borealem propè mare. *Miraflores.*

Urbs *de Chachapoyas*, sive *S. Iuan de Frontera*, 120. penè leucis ab urbe *los Reyes* versus Mezen sita est. Cœnobium habet Mercenariorum, aliudque Franciscanorum. *Chachapoyas.*

Territorio suo triticum, mayzum, & linum fert. Auri fodinis locuples est, sibi que subditos habet Indos tributarios 20000. qui longo tempore fortiter ac animosè se opponebant *Ingis*, libertatis tuendæ studio, à quibus tandem victi in urbem *Cusco*

DESCRIP TIO INDIÆ

translati sunt, collemq; inhabitantur dictum *Carmenga*. Sunt *Inges* Indorum gens vultu candidiore, magisque humanitate & civilitate exulta, quin & à forma & venustate, supra alias, commendantur mulieres. Provinciam hanc invasit *Alphonsus de Alvarado*, Anno 1536. jussu marchionis *Francisci Pizardi*, eamque sub potestatem suam redegit, quin & colonos in urbem jam dictam deduxit, loco situ munito, quem *Levanto* vocant. Hinc porrò in provinciam *de los Guancas* perrexit.

Sant-Iago de los Valles.

Urbs *Sant Iago de los Valles* sive *Moyobamba*, plus 100. à *los Reyes* leucis recedit, ferè ad *Mezen*, & 25. à *S. Iuan de la Frontera*, loco sita pluvio, & pecorum fœcunditate nobili.

Leon del Guanuco.

Urbs *de Leon del Guanuco* 500. à civitate *de los Reyes* leucis ad Septentrionem jacet, propè viam regiam *de los Ingas*, nonnihil ad Orientem declinando. Cœnobijs plurimis insignis est, nempe Dominicanorum, Franciscanorum, & Mercenariorum, ac jurisdictione sua 30000. tributarios Indos continet. Anno 1539. missus huc est à *Francisco Pizarro* Dux *Gomez de Alvarado*, ad retundendam vim tyranni *Yllotopa*, qui bellis hos tractus infestabat. Idem dux colonos in eam deduxit, & postea abduxit. Verum restauravit eam *Petrus Barrosus*, & post conflictum *de Chupas*, Licentiatus *Vaca de Castro* misit Ducem *Petrum de Puellas*, qui factæ transactionis articulos exequeretur. Situs ejus loco est commodo & peropportuno, aère salubri, commeatu omni & pecorum copia affluente. Argenti fodinas habet, incolas civiles & perhumanos. tritici uberem messem colligit, quia agriculturæ artem edocti sunt indigenæ, cum antea vix triticum, hordeum, panicum, milium, aliaque femina, e quibus panis conficitur Europæus, haberet. Nullum ipsis granorum genus notum præter radices *Mayzi*, quæ per universam fere Indiam reperiuntur. Vescuntur ijs indigenæ. non ea est vis ac efficacia *mayzo*, quæ tritico, quanquam & crassius & calidius sit. sanguinem gignit, & in arundinum cannis crescit, quæ modo unam, modo geminam aristam protrudunt. Vescuntur etiam illo Castellani, aliarum frugum penuriâ.

Guamanga.

Urbs *Guamanga* sive *S. Iuan de la Victoria* 60. à *Lima* leucis, versus Euronotum, in viâ, quæ ad *Ingas* ducit, sita est. Episcopatus est *de Cuzco*, cœnobioque habet Dominicanorum, Franciscanorum & Mercenariorum, & unicum monialium, Indos verò tributarios plus quam 30000. Tritici ac vini fœcunditate gaudet, necnon argenti fodinis. Fundavit urbem *Franciscus Pizarro* Anno 1539. ac primum in vico quodam Indorum *Guamanga* eam constituit, propè magnos *Cordilleras de los Andes*, vicariumque sibi delegit *Franciscum de Cardenas*, postea verò in eum, in quo nunc est, locum translata est, in planiciem nempe, propè loca montosa ad Australem plagam, non longè à rivulo ac torrente. In hac urbe ædes cernas lateritias, quibus splendidiore non habet Peruvia. Loco sita est salubri, cui neque Solis radij, nec aëris intemperies, nec frigus, nec æstus, nec humiditas quicquam incommodant. Reperiuntur in ejus ditione magnæ molis structuræ ac ædificia, quæ Indi ab hominibus candidi coloris & hirsutis, qui antè *Ingas* hæc loca incolebant, constructa affirmant, formâ planè diversâ ab ijs ædificijs, quæ *Inges* fabricant. Præcipuam indigenarum partem faciunt, *Mitimaes*, hoc est, si interpreteris, *transplantati*. Morem enim hunc habebant *Inges*, transferendi de loco in locum incolas, de quorum in patriam fide dubitabant, idque ad majorem regnorum suorum ac imperij securitatem. *Guamanga* 60. à *Cuzco* leucis distat, & circa hanc viam in planitie *de Chupas* tauros venari solebant, quo loci inter se conflixerant *Vaca de Castro*, & *D. Diego de Almagro junior*. Ulteriùs paulò in via regiâ occurrunt ædificia *de Vilca* in *Andabaylas*, 11. à *Guamangá* leucis, qui locus medi

tullium

tullium est Novi regni *de Ingas*. Fuit hic magnum templum Solis. Provincia hæc *de los Andabaylos* opulenta est & proventu dives. Armenta & greges alit magna copiâ, adhæc ædificia & domos habet plurimas. Hinc ad fluvium *Abancay* pervenire datur, 9. propius ad *Cuzco* leucis, quo loci *Adalantadus D. Diego de Almagro* lenior prælio vicit & captivum abduxit *Alphonsum de Alvarado*, præfectum Marchionis *Francisci Pizardi*.

Hæc post magnus fluvius *Apurima* sequitur 8. à jam dicto flumine distans leucis. Quem proximè situ excipit mons *de Vilcacongâ*, quo loci insignem de Indis victoriam reportavit *Adalantadus* sive *Thalassiarcha Almagro*, idque ante expugnatam civitatem *Cuzco*. Huic vicina est vallis *de Xaquixaguana* inter ipsos *Cordilleras* jacens, nec longa valde nec lata. Hic loci præses *Pedro la Casca* adjutus fortitudine & militari prudentiâ præstantissimorum Ducum *Inoiosa, Petri de Valdivia, Gabrielis de Royas, Alphonfi de Alvarado*, aliorumque, de quibus suo loco dicetur, prælio fudit & captivum abduxit *Gonzalum Pizardum*. Distat ab urbe *Cuzco* vallis hæc leucis 5. Pecudum multitudine & tritici proventu celebris est.

C A P. X X.

*In quo reliqua, quæ ad Cameram de los Reyes
pertinent loca, recensentur.*

Octo aut decem circiter ab urbe *Guamangâ* leucis ferè ad *Thrasciozephyrum* celebres fodinæ *Guancabeiica* occurrunt, quas *el Assiento de Oropesa* vocant, prope quas plus quam 300. habitant Castellani. Eruuntur ex ijs lapides, quorum coloribus Indi sub paganismo ad bellum profecturi corpora sua pingere & inungere solebant. Sunt autem lapides coloris subrufi, Hispanus *Bermellon* vocat, nos *Cinnabarin*. Accidit autem, ut imperante in Peruvia Licentiate *Lope Garcia de Castro* Anno 1566. Lusitanus quidam *Henricus Garces*, observaverit ex illo lapide argentum vivum extrahi, qui factò experimento rem ita se habere comperit. Romani metallum hoc è *Castella* lapide supradicto contentum Romam avexerunt, extracto inde argento vivo. Magnum inde faciebant quæstum, verum Indos latuit hæc res, qui non aliud quam ipsum *Cinnabarem* quærebant. Præcipuus argenti vivi usus hic est, quod ejus virtute argentum à terræ, plumbi, æris, aliorumque, quibus connascitur, metallorum admistione vindicetur & purgetur, uti & à stanno, ferro, & plumbo. Sunt & aliæ ejus vires, præter quas, suas quoque ad faciendam medicinam partes confert, Pellibus aut lapideis vasis inclusum asservant.

In tractu *de Guania Velica* fons est, cujus aqua scaturiens in petram aut saxi mollioris duriciem rigescit, è quibus petris domos exstruunt. Quotquot verò de hac aquâ bibunt, emori necesse est, quia in ipso quoque corpore humano lapidescit. In balneis, quæ de *Inga* vocant, prope *Cuzco*, duo sunt canales sibi invicem vicini, quorum alter fervet, alter friget, quos ad mutuam temperiem divina providentia hic conjunxit. Est quoq; in eodem imperio fons, cujus aqua inter fluendum in salem candidum mutatur. Prope hunc locum, relictâ in medio planicie, *Cordilleras* montes divelluntur & hiatum faciunt. Ista autem planicies provincia *Callao* dicta est, in quâ multi sunt fluvij & magnus lacus *Titicaca*, agrorumque & pascuorum vasta spatia. Quanquam verò æquabile sit solum, tamen hic illic collibus suis & clivis assurgit, eadem qua loca montana in-

temperie

DESCRIPŦIO INDIÆ

temperie laborans. Nec sylvas nec ligna habet. Pro pane incolis sunt radices, quas *Papas* vocant, qui per universam Peruviam crescunt. Regio est populosissima & mira aëris salubritate gaudens. Pecorum adhæc fœtu & pastu nobilitata. Lacus *Titicaca* peridromum habet 80. leucarum, & quibusdã in locis profundus est cubitos 80. ideoque propter fluctus ventis sublato maris sinus esse videtur, à quo 60. abest leucis. In hunc 12. aut 13. excurrunt fluvij, ac torrentes plurimi. Vnus verò ex eo originem ducit fluvius, qui in alium lacum, quem *los Aulagas* vocant se exonerat. Et quia sub terris aquarum meatus deprehensi sunt, autumant lacuum istorum aquas per subterranea loca, viam in Oceanum affectare. Sunt in lacu hoc insulæ, & ad ripam ejus pagi plurimi & agrorum vasti tractus. Atque hic loci, quæ pretiosissima habebant Indi, majoris securitatis gratia asservare solebant.

Cuzco. Magna civitas *Cuzco* regia est sedes *Ingarum*, & regni metropolis, nunc vero regnorum Peruvix, quem titulum à regibus Castellæ ac Legionis habet. Ad altitudinem grad. 13. & $\frac{1}{2}$ ascendit, & longitudinis gradus 78. supputat, à civitate *de los Reyes* versus Euronotum 125. abest leucis. Cives Castellanos plus mille habet. Fundata fuit à Marchione *Francisco Pizarro*. Parochias habet 8. quatuor monasteria Dominicanorum, Augustinianorum, Franciscanorum, & Mercenariorum, nec non unum Iesuitarum & Monialium. Residet hic Cathedralis Ecclesia suffraganea Archiepiscopatus *de los Reyes*. Hæc urbs jam inde ab *Ingarum* tempore in quatuor excurrit vias regias secundum quatuor mundi plagas distinctas. Primam vocant *Chinchafuyo*, quæ Septentrionem versus ad planiciem & provinciam *Quito* abit. Secundam *Condesuyo* vocant, quæ Occidentem & mare spectat. Tertiam *Collaosuyo*, quæ Meridiem & *Chilem* spectat. Quartam *Andesuyo*, quæ ad *Andes* abit, & montium declivia. Aëris hic summa est temperies, moderatè frigida, salubris adhæc & corporibus conveniens. nulli hic venenati vermes ac insecta noxia. Quin omnium fructuum Castellanorum, florum fragrantissimorum & herbarum quavis anni tempestate abundantia affluit. In hujus districtu vallis est *Toyma*, aliæque, quæ *Cocao* copiose ferunt, & auri, argenti ac argenti vivi arugijs abundant. Indos habet tributarios 100000. Familiare est per universam Indiam indigenis mandere radices, ac herbas has vel illas. Maximus autem in Peruvia usus est *Coca*, quam dentibus attritam & mansam famem profligare ajunt, & vires spiritusque agilitate quadam & vigore perfundere, quanquam ob inveteratam potius consuetudinem ac receptum cacoethes hoc ab illis factitari perhibeant. Hæc herba *Coca* plantata in fruticem assurgit, studiose & tenerè colitur, baccaisque, quales *Myrtus* habet, profert, quæ mox exsiccatæ corbibus ac calathis in foro magno precio divenduntur.

S. Francisco de la Vitoria. In valle *Vilcabamba* sita est urbs *S. Francisci de la Vitoria*, in *Andesuyo*, inter *Cordilleras de los Andes*, 20. ferè à *Cusco* leucis Orientem versus. Gubernatorem habet, à Vice-rege designatum. Ad Episcopatum *Cusco* pertinet, tractu horrido ac montibus altissimis aspero posita.

S. Juan del Oro. Urbs *S. Juan del Oro* in provincia est *de Carabaya*, 80. à *Cuzco* leucis versus Vulturinum, & 30. Orientem versus à lacu *Collao*. *Del Oro* vocatur, quia magna in hujus territorio auri copia reperitur.

Arequipa. Urbs *Arequipa* in altitud. 16. graduum sita est, 130. à *los Reyes* leucis, ferè ad Euronotum secundum tractum littoralem, 60. à *Cuzco* abest. Ad Episcopatum *del Cuzco* pertinet. Monasteria hic sunt Dominicanorum, Franciscanorum, & Mercenariorum. Indos habet tributarios 50000. Aëris temperie omnibus alijs Peruvix locis antefertur.

Multum

Multum hic vini colligitur, multum tritici. Portus est in ipso fluminis *Chile* aditu, qui propè urbem ipsam labitur, quo loco naves merces suas reddere & in terram exponere solent.

Sita est *Arequipa* in valle *Quilca* 14. à mari leucis, & jurisdictionis suæ limitibus continet provinciam *de Condesuyo* & vicos *de los Hubinas, Collaguas, Chiquiguanita, & Quimistaca*. Condidit eam Anno 1534. Marchio *Franciscus Pizardus*. Terræ motibus subinde, uti omnes Indiæ tractus, præcipuè maritimi, concutitur. Anno 1582 tam vehemens accidit terræ-motus, ut ipsam ferè urbem subverterit; & hac tempestate alius quidam accidit, uti & montis cujusdam fissio ac disruptio, de qua mira narrant. Anno 1586, 9. Julij in urbe *de los Reyes* terræ motus fuit, qui juxta oram maris ad leucas 160 percipiebatur, & 50. versus tractus mediterraneos. Urbem omnem subvertit funditus, sed nullo hominum, qui in agros confugerant, periculo. Cessante autem terræ motu mare ad 14. ulnarum altitudinè intumescens terras omnes operuit. Similis fuit terræ motus sequenti Anno 1581 in *Quito*, in urbe *la Paz*. Rupes excelsa obruit Indos quam plurimos præstigiatores, & ad sesquileucam subversum fuit terræ ipsius solum. Etiam in *Chile* accidit terræ motus, cujus vi & montes & valles subversæ, occlusi fluminum rivi & fontes, & laxatæ maris ad leucas aliquot habenæ, diruti pagi, magna que hominum extincta fuit multitudo. Tradunt philosophi terræ motum accidere vi Solis aliorumque corporum cœlestium, attrahentium ad se non solum exhalationes è terræ superficie, sed & intimis terræ locis ac visceribus, quæ exhalationes dum propter terræ incumbentis crassitiem ac densitatem penetrare nequeunt, hac illac viam affectant, & tandem, uti accensus in cuniculis pulvis tormentarius, qua data porta ruunt, & terræ molem concutiunt; idque tanto vehementius, quo major est exhalationum & ventorum in occultis terræ meatibus ac cavitatibus copia.

Urbs *S. Michaelis de la Ribera* 6. à mari abest leucis in valle *de Camana*, à *los Reyes* 113. *S. Michael de Ribera*. ab *Arequipa*, 22. ad plagam Æquatoris Australem, ad Episcopatum *del Cuzco* pertinens.

Urbs *Valverde* in valle *Yca*, 35. à *los Reyes* leucis distans, 10. verò à portu *de Sangalla*, *Valverde*. sub jurisdictione est *de los Reyes*, & Archiepiscopatus. Territorium ejus triticum, mayzum, aliosque fructus, uti & vina, copiosè profundit.

Urbs *Canjete* sive *de Guarco* in valle quoque posita, 25. à *los Reyes* leucis versus Austrum abest, à mari sesquileuca. Optimum fert panem, quem in farinas redactum magna copia in *Terram Firmam* mittunt. *Caniete*.

Priusquam ad hanc vallem perveniatur, aliæ valles occurrunt *de Chilca & Mala*. Prior *Vallis Chilca* nec imbribus, nec fluvio aut rivulis ullis rigatur. Aquam quam bibunt ex puteis hauriunt. Solo cœli rore adspargitur, qui fœcunditatem pratis agrisque largitur. Copiosa hic est piscium, quos *Sardinas* vocant, piscatio, quos una cum granulo mayzi sulcis abdunt, atque hac humiditate gaudent sata. *ca*.

In valle *Mala* ad dirimendum obortas controversias convenerant *Diego de Almagro*, *Vallis Mala*. *Franciscus Pizardus* & Pater *Bovadilla* ordinis Mercenariorum, sequester & arbiter litis. Magnus eam intersecat fluvius, è quo multa ad com meatum & victum petuntur. Quinque verò ulterius leucis fluvius est *Guarco*, cujus hinc inde vallis fructuum omnis generis feracissima est. Hujus etiam indigenæ quadriennium totum cum Ingis bella gesserunt, & ad tutelam majorem sui ac dictæ vallis, urbem condiderunt, *Cuzco* vocatam, quin in victoriæ æternum monumentum in colle arcem extruxerunt, cujus gradus & fundamenta fluctibus suis ferit Neptunus. Sex à *Guarco* leucis vallis occurrit *Chincha* amœnitate sua & rerum omnium proventu celebris.

D E S C R I P T I O I N D I Æ

In locum templi Solis Indis sacri, Cœnobium exstructum est Dominicanorum, necnon alterum *de las Virgines*.

Vallis Yca. Hanc proximè sequitur *Vallis Yca*, quæ nec magnitudine nec fœcunditate prioribus cedit. Hæc valles & fluvios *de la Nasca* de se fundit. Illarum præcipua est *Caxamalca*, quæ optima vina profert. A vallibus his ad vallem *Hacari* itur, suntque hic *Ocaina*, *Camana*, & *Quilca*; portus urbis *Arequipa*. Has sequuntur valles *de Chuli* & *Tampobolla*, & *Deylo*, uti & *Tarapaca*, fluvij argenti fodinis opulenti, propè mare. Indi, qui insulas *de Lobos Marinos* inhabitant, avium fimo ac excrementis agros stercoreant, & hac ratione sterilitati ipsorum medentur.

Portus, promontoria & fluvij. Quas jam recensebo Insulas, cuspides, portus, ad oram hujus Camerae sive Audientiae conspiciuntur, facto initio à cuspide *de Aguia*, quo loci confinis est Camera hæc Audientiae *del Quito*, in altitudine graduum 6. ad Australem Æquinoctialis lineæ plagam. Duæ hic insulæ jacent, *Lobos Marinos* appellatæ, altitud. grad. septem, quarum altera quatuor à littore abest leucis, altera longius. Post has alia sequitur, dicta *San Roque*, versus Zephyronotum, non longe à *Pazcamayo*; quam in littore excipit portus *de mal-Abrigo*, 10. ante *Truxillo* positus leucis altitudine graduum 7. Septem verò leucis ulterius portus *Guanape* occurrit, necnon portus *de Santa* altitudine 9. graduum. At quinque inde leucis versus Meridiem portus *de Casma*, octo leucis ulterius portus *Guarmay* se offert, in ostio fluminis, & 20. ab illo leucis versus Meridiem portus est *la Barranca*, & *de Gaura*, propè quem salinæ sunt nobiles. Hunc si prætereas, insula *de Lima* occurrit, in ipso portus *Collao* aditu, & 20. ulterius Austrum versus cuspis *de Guarco* prominat, & è regione ejus insula *de lobos Marinos*. Mox cuspis *de Chica* sequitur in altitud. 15. grad. posita, & huic vicinus fluvius *la Nasca*. Hinc cuspis *S. Laurentij* in valle *de Quilca*, non longè à fluvio *Arequipa*, & *de Caleta de Chulien*. Quæ post sequitur fluvius *Nombre de Dios*, ubi fines concurrunt districtus Audientiae *de los Reyes* & *de los Charcas*.

Inseratur hic Tabula 12.

C A P. XXI.

De districtu Camera, & Audientiae de la Plata, sive de los Charcas.

Districtus Camerae *de los Charcas* conterminus est Audientiae *de los Reyes*, altitudinem polarem habens graduum 17 cum dimidio versus Meridionalem Æquatoris plagam, propè fluvium *Nombre de Dios* & initium lacus *de Collao*. Longitudo ejus ad leucas 300 extenditur ad vallem usque *Copiapo*, à qua principium sumit provincia *Chile* altitudinem attingens grad. 28, quanquam iter facientibus 400. conficiendæ sint leucæ. Ab Oriente in Occidentem eas terras complectitur, quæ Australe & Atlanticum mare interjectæ sunt, quæ provincijs fluminis *de la Plata* ex adverso respondent. Nec tamen omnes ejus tractus explorati sunt, cum maxima hujus provinciæ pars montosa sit, magisque frigida quam calida. Hujus Audientiae præfecturam habet Prorex *Peruviae*, uti & *del Quito*, & *de los Reyes*. Duos habet Gubernatores, duos quoque Episcopatus, unum *de los Charcas*, alterum *de Tucuman*. Provincia *de los Charcas* ea vocatur, quæ confinis est Camerae *de los Reyes* & supra *Potosi* excurrit, longitudine ab Austro in Boream penè 150. leucatum, & totidem insuper ab Oriente in Occidentem.

Regio

Regio frugum minus ferax est, licet armenta & greges alat copiosissimè, præcipue in *Collao*, hoc est, à *Titicaca* ad usque *Charcas*, quo loci planè contrario ac in Europa modo se habent æstas & hyems. Affluit & scatet animalium frequentia, præcipuæ ovium, quarum lana à subtilioribus filis commendatur.

In hac provincia quatuor sunt Castellanorum oppida, ad eundem pertinentia Episcopatum: nempe vrbs *de la Plata*, quæ a Duce *Peranzurez* colonos accepit Anno 1583, jussu Marchionis *Francisci Pizardi*. Longitudinem habet grad. 72. à Meridiano *Toletano*, hoc est leucarum 1780, latitudinem verò 19. A *Cusco* 75 abit leucis versum polum Antarcticum, intra Tropicos, ad finem zonæ torridæ. Habet hujus urbis Iurisdicção in *Charcaras*, 800. cives Castellanos. Regio est frigidissima, cum habitatione altitudinis polaris, cui subjecta est, temperata esse deberet. Resident hic Camera, Ecclesia Cathedralis & Cœnobia Dominicanorum, Franciscanorum, & Mercenariorum, subditosque sibi habet Indos tributarios 60000, in 29. divisos classes sive tribus. Argenti fodinis locuples est, & Castellana semina liberaliter fert.

Urbs *de Nuestra Señora de la Paz*, alio nomine *Pueblo nuevo*, & *Chuquiabo* dicta, in medio provinciæ *de Collao* jacet, 100. à *Cusco* leucis, & à *la Plata* 80. Cœnobia habet Franciscanorum, Augustinianorum & Mercenariorum, uberemq; & vini & animalium proventum. Fundavit eam Dux *Alphonsus de Mendoza* Anno 1549, quo tempore Præsidis officio fungebatur Governator *Peruvie* Licentiatus *Petrus de la Gasca*, Episcopus postmodum *de Siguenca*. Provinciam *de Chicuito* in regione *Collao* penè ad *Mezen* respectu urbis *de la Plata*, à qua plus 100. distat leucis, Indi incolunt, sub Iudice Castellano. Ad Episcopatum *de los Charcas* pertinet. Cœnobium habet unicum Dominicanorum, sed pecorum infinitam multitudinem. Ad ripam lacus *Titicacæ* jacet.

Oropesa colonia est Pro-regis *Francisci de Toledo*, in valle *de Cochabamba*, 20. ab urbe *de la Plata* leucis. Magnum ejus incolæ ex tritico, mayzo & pecudum mercatu lucrû faciunt.

Civitas Imperialis *Potosi* in altitudine grad. 19. posita est, 18. ab urbe *de la Plata* leucis, & 8. ferè à lacu *Aullagas* Orientem versus, ad radicem montis *Potosi*, qui *Mezen* respicit. Domos Castellanorum 500. habet, quibus fodinarum commissa est cura, necnon mercatorum, & 50. millia Indorum ad argenti mercatum quotidie comitantium & remeantium. Quanquam verò civitas hæc sui sit juris, tamen politicum judicem alium non habet, quam judicem *de la Plata*. Sedes est ærarij regij, & Officialium regionum, propter divites montis *Potosi* fodinas, quas primum deprehendit Castellanus quidam *Villarroel*, non tamen absque Indorum operâ, Anno 1545. *Potosi* appellatur, quia hoc nomine montes & loca edita significare solent Indi. Tanta hic argenti fuit copia, ut Anno 1549 singulis diebus Sabbathi à 25. ad 30. mille pesos Realium excuderint. Mons æquabilem habet superficiem, habitationis loca sicciora, & frigida, totus sterilis, nec fruges nec gramen proferens. Nullus Indiæ locus populis frequentior est, ob argenti, quod hic reperire est, copiam. Ambitum habet duarum leucarum, in quo nihil, quod ad comestum faciat, & explendam delicatioris palati cupiditatem, desideratur, quæ omnia tamen aliunde huc rhedis & curribus deportantur. Terra montis colorem refert subrufum, figura verò ejus formam panis saccharicei in pyramidem ascendentis. Longè verò supra alios omnes vicinos montes excellit. Qua ad fastigium itur, asper est & horridus, & tamen equo vitam dat, ambitu unius leucæ. A fastigio ad radicem usque quartæ partis leucæ distantia est. Vnde quaque argenti venis perfusus est. Portus *Arica*, è quo merces omnes, & extracta è monte argenti pondera aliò mittuntur nonaginta hinc distat leucis versus Occidentem. Sex à monte dicto leucis, ad viam, qua

DESCRIP TIO INDIÆ

ad portum de *Arica* itur, mons de *Porco* conspicitur, antiquis argenti fodinis celebris. Ex hoc Indos Ingas argentum illud omne extraxisse ferunt, quod ornando templo Solis de *Curianche* consecratum fuit. Erutum hoc fuit iuxta viam magna copia, ubi & hodie adhuc abundanter eruitur.

S. Cruz de la Sierra. *Santa Cruz de Sierra* 100. à *los Charcas* abest leucis, versus Orientem, ad viam quæ à *los Charcas* ad *Assumption* in provinciam *del Rio de la Plata* ducit, quod intervallum 300. mensuratur leucis. Gubernatorem habet à Pro-Rege constitutum, necnon jurisdictionem Ecclesiasticam de *los Charcas*, & Cœnobium Mercenariorum. A quæ penuria laborat, & tamen tritici, mayzi & vini ubertate gaudet. Confinis undique est varijs regionibus Indorum sub paganismo adhuc viventium, & propter commercia vitæque societatem accidit, ut plurimi Indorum sacro baptisinate tincti Christianam religionem amplexi sint. Primus autem ritus sacros hic introduxit miles quidam Castellanus, qui supplicij metu huc confugerat. Is, cum magna aquarû inopia laborarent Indi, crucis eos signo signabat, & ut humili eam animi demissione ac cordis devotione adorarent, hortabatur. Quod dum facerent & precibus insuper pluviam à Deo poscerent, dissolutus est in imbres æther & incolarum vota explevit. Anno 1560 relicta urbe *Ascensionis* ad fluvium *de la Plata* contendit Dux *Nufflo de Charves*, ut regiones hæc exploraret detegeretque. Postquam verò in urbem *Santa Cruz de la Sierra* venisset, variosque harum regionum tractus patefecisset, à suis desertus est, & cum se propè *Peru* esse putaret, in urbem *de los Reyes* profectus est, quò loci Pro-regis munere fungebatur Marchio de *Canjete*, qui ipsum Vice-gubernatorem filij sui *D. Garcia de Mendoza* constituit, eique imperavit, ut reversus coloniam in istam urbem deduceret: quanquam à fluvio *de la Plata* discessisset alio fine, nempe ut provincias de *Dorado* detegeret.

Ad hujus Camerae oram, quæ ad gradus polares 17. elevatur, in ipso fluvio *de la Plata* sive *Tampoballa*, portus est *de Hilo*, non longè à fluvio, in altitudine 18. grad. cum semisse, & ulterius Meridiem versus, occurrit *Morro de los diabolos*. Portus verò *Arica* in altitud. graduum 19. cum dimidio, portus *Tacama*, in altitud. grad. 21. uti & cuspis *Tarapaca* ad Meridiem. Ulterius fluvius est *de la Pica* & alius *de la Hoia*, uti & sinus *de Montella*, & magis ad Austrum Cuspis *de Farollones*, sive *Morro Moreno* occurrit, antequam ad sinum & fluvium *S. Claræ* perveniatur. Amplius ad Meridiem fluvius *la Quebrada*, & cuspis *Blanca* & *Quebrada honda*, & fluvius *S. Clara* 30. penè à fluvio *Copiago* leucis, ubi desinunt limites *de los Charcas*, & initium sumit provincia *Chiles*.

Tucuman. Provincia & præfectura *Tucuman*, in mediterraneis terræ partibus sita est. Extenditurque ejus districtus à provincia *de los Chicas*, qui jurisdictioni Imperialis urbis *Potosi* parent, in eadem posita altitudine cum civitate *Assumption*, 100. penè à *Rio de la Plata* leucis, ad oram maris Pacifici contermina provinciae *Chiles*. Regio temperata est, sic satis fecunda, & auri ac argenti fodinarum, quod quidem constat, in hunc diem expers. Loca Castellanorum habet sub uno Episcopatu hæc, nempe civitatem *Sant Iago del Estero*, quam primùm *del Varco* appellarunt, altitudine grad. 28. à *Potosi* versus Meridiem 85. leucis, non nihil ad Orientem vergens. Sedes est Gubernatoris, Officialium regionum, ac ærarij regij, necnon Episcopatus & Cathedralis Ecclesiæ.

S. Maria de Talavera. Urbs *Santa Maria de Talavera*, 45. à *Sant Iago* versus Boream leucis distidet, à *Potosi* 40, altitudinem habens graduum 26.

S. Michael. Urbs *S. Michaelis de Tucuman*, 28. à *Sant Iago* abit leucis versus Occidentem, juxta viam *de los Charcas* posita, altitudine grad. 27. Colonos accepit, quo tempore pater *Don Garcia de Mendoza* Marchio de *Caniete* Vice-regis titulo imperabat. Sunt etiam hic alia

loca,

loca, nova *Londres*, & *Chalcaque*, quam novam *Corduram* vocabant, in provincia *de los Iurias* & *Draguitas*, quorum incolæ paucis retrò annis aliò translati sunt. Indigenæ hujus tractus laneas vestes gerunt, & interjecto corio affabrè elaboratas, ad modum tape-
torum Castellanorum. Magnam alit pecorum frequentiam, propter lanæ usum, ex qua quæstum uberrimum faciunt. Habitacula sua arctè conjungunt, nec sparsim, sed vica-
tim habitant, quanquam minores sint pagi, nec usque adeo frequentes. Cum verò sin-
gulis singulæ ferè familiæ contineantur, rubis ac sentibus vepretisque cinguntur, prop-
ter perpetua, quæ inter ipsos vigent, bella & similitates. Gens est indefessi laboris, nec
ebrietati, uti aliæ Indorum nationes, dedita. Septem flumina eaque majora provinciam
istam irrigant, & torrentes plus quam 80, ab aquarû bonitate laudati. Pascua insigni hic
amœnitate nitent, eaq; magnitudine vasta. Eadem hic, quæ Castellæ, est æstatis & hyc-
mis tempestas. Tractu jacet jacet salubri & temperato. Primi in eam ingressi sunt Du-
ces militum *Diego de Rojas*, *Philippus Gutierrez* & *Nicolaus de Heredia*, qui eam aperue-
runt ab istâ parte fluminis *de la Plata*, ad propugnaculum usque *de Gaboto*.

Inferatur hic Tabula 13.

C A P. XXII.

De districtu Præfectura Chiles.

ANno 1534 in urbe *Toletanâ* demandatum est *D. Diego de Almagro*, ut Guberna-
toris titulo præesset terræ tractui magnitudinis leucarum 200. quæ longius &
remotius esset sita, quam præfectura *Francisci Pizardi*, versus fretum *Magellanicum*.
Atque hic terræ districtus Imperium *Toletanum* dictum fuit. Postquam verò huc con-
cessisset *Diego* iste, ut in provinciæ formam eam redigeret, nec tamen perficere nego-
tium hoc posset, demandatæ sunt eæ partes Marchioni *Francisco Pizarro* Anno 1537.
qui eò misit *Petrum de Valdivia* comitatum 50. Castellanis Anno 1540. Quotquot
sub hoc Imperio continentur regiones ad latus Australe Æquatoris, majorem altitud.
habêt poli Antartici, quam regna *Peruvia*, sitæque sunt intra zonam torridam, ab Æ-
quinoctiali linea ad Tropicum usque Capricorni, qui per locum transit, è quo ablati
sunt coloni, dictum *Atacama*. Situs ejus est à 23, ad 26. gradus altitudinis polaris, ubi
initium sumit regnum *Chiles*, sive, uti Indi loquuntur, *Chilles*. Antequam verò ad terras
habitaras venias, fluvius occurrit *de la Sal*, altitud. grad. 23. ad Orientalem plagam mon-
tium *Cordillera*, versus Occidentem & mare *del Zur* excurrens, per vallem profundissi-
mam. Quanquam verò aquas limpidissimas & purissimas habeat, tamen ea adspersa &
adhærescens equorum pilis, qui eo se ad bibendum conferunt, in salis consistentiam
calore solis concrefcit, tamque est salsa, ut bibi non possit. Priusquam verò primam
provinciam *Chiles* ingrediaris, fluvius spectatur ad maris littus longus leucas 22. quo
loci *Xaguyes* reperiuntur, sive aquarum putei, quos solos toto hoc 22. leucarum tra-
ctu invenies. Situm est imperium hoc sive præfectura sub Zona, veteribus *Deserta*
appellata, & ab Indis candidi coloris frequenter colitur. Ad littora maris Pacifici sive
magni jacet, quod ipsum mare hujus provinciæ & *Chinensis* imperij littoribus inter-
cluditur.

Præfectura hæc longa est à Septentrione in Austrum leucas 500. & ad fretum usque
Magellanicum excurrit, à valle *Copiapo* incipiens, quæ altitudinem grad. 27. habet, ab

DESCRIPCIÓN DE INDIA

Oriente verò in Occidentem sive à mari Pacifico ad mare usque Atlanticum latitudinis suæ leucas, numerat à 400. ad 500. quæ tamen in angustum definit, usque dum à freto recurat ad leucas 90. aut 100. Pars hujus præfecturæ culta & *oixuèdym* 300. numerat leucas, juxta oram maris Borealis, latitudinem verò numerat 200. leucarum, quæ ad *Cordilleras de los Andes* minor est. Desinunt hi propè fretum, & in profundissimas intimasque Americæ partes excurrunt, perpetuis ferè nivibus operti. Regio est plana, nec ulla terrarum asperitate horrida, nisi qua parte *Cordillera de Peru* initium sumunt, qui ad 2 aut 3 leucas juxta littus ipsum extenduntur.

Quamquam verò harum provinciarum temperies varia sit, & vices suas ac vicissitudines experiatur, propter altitudinis polaris, quibus coextenduntur, varios tractus, tamen nulli Indiarum parti aëris ac cœli clementia cedunt, nulli habitatorum frequentia, & in eadem ferè cum Castella ex opposito grad. altitudine jacent. Quin comæatus omnis copiâ, rerumque omnium fœcunditate, fodinarum aliorumque metallorum opulentiâ, indigenarum robore & agilitate cum alijs Indiæ tractibus certat. Gens bellis assueta difficulter se in ordinem cogi passa est. Quin & hodie bella gerunt, qui montes, & ea loca inhabitant, ubi *Cordilleras* terminantur, in provincijs de *Arauco*, *Tucapel*, & valle de *Puren*, interjectâ inter urbem *Concecion* & *los Confines* & *la Imperial* civitatem.

Quinque hæc Præfectura pagos Castellanorum numerat. Gubernatorem illi præficit Pro-rex *Peruvia*, post abrogatam, quæ in ea fuit, Audientiam & Curiam. Episcopatum habet geminum, suffraganeos Archiepiscopatus de *los Reyes*.

Sant Iago. Habet Episcopatus de *Sant Iago* oppida quatuor. Quorum primum est *Sant Iago*, prima *Chiles* colonia, quam condidit Dux *Petrus de Valdivia* Anno 1541. Posita est in altitud. grad. 34¹, ac in longitudine grad. 77. leucis à Meridiano Toletano distans 1980, à mari 15, & 10 insuper à valle *Chiles*, quæ primùm *Neuvo-streno* dicta fuit. Sedes est Ecclesiæ Cathedralis, & Cœnobiorum ordinis Dominicanorum, Franciscanorû, & Mercenariorum. Loco sita est tritici, vini, aliarumque rerum feracissimo, necnon auri fodinis opulenti celebri. Indos tributarios habet plus quam 10000, in 26. vicos ac tribus distinctos. Inservit civitati huic portus de *Valparayso*, in ostio fluminis *Topocalma*, qui urbem ipsam præterlabitur. Colonos quoque in *Serenam* oppidum deduxit supradictus *Valdivia* Anno 1544, propè portum commodissimum. Primus est Castellanorum locus, ea parte quâ in *Chilen* itur, 60. à *Sant Iago* leucis distans, penè ad Septentrionem, versus Occidentem nonnihil deflectendo, non longè à mari in valle de *Coquimbo*. Cœnobia hic sunt Franciscanorum, & Mercenariorum. Rari eam irrigant imbres, nec nisi ter quaterve in anno hic pluit, & in regionibus cis eam positis nulla percipitur pluvia. Portus *Coquimbo* in altitud. grad. 32. positus, in quem à *Peruvia* venientes naves se recipere solent.

De Mendoza. In provincia de *Chucuito* ultra *Cordilleras de les Andes*, tractu frigido & sterili sita sunt oppida de *Mendoza* & *S. Juan de la Frontera*, in quæ colonos deduxit *Don Garcia de Mendoza*. Oppidum de *Mendoza* in eadem est cum *Sant Iago* altitud. 40. ab ea distans leucis, ad quam via patet per ipsos *Andes*, sed propter objectam perpetuò nivem molestissima. Urbs *S. Juan de la Frontera* ad plagam Australem urbis de *Mendoza* sita est.

S. Juan de la Frontera.
La Concepcion. In Episcopatu de *la Imperial* septem numerantur oppida Castellanorum. Urbs *la Concepcion*, altitudine graduum 37. à *Sant Iago* versus Austrum 70. distat leucis, in ipso maris posita littore. Colonos accepit Duce *Petro de Valdivia* Anno 1550. Resident hic Gubernatores, ex quo tempore abrogata est suprema Curia sive Audientia, quæ hic ab Anno 1567 ad Annum usque 1574 obtinuit. Cœnobia habet Dominicanorum, Francisca-

Franciscanorum, & Mercenariorum. Portus urbis situs est ac maris diverticulum, cui insula ad arcendas maris tempestates veluti pro vallo objecta est.

Urbem *Villanewvam de los Infantes*, sive *de los Confines*, coloniam fecit *Garcia de Mendoza*, quæ jussu Gubernatoris *Villagran, de los Confines* dicta fuit. Ab urbe *Conception* 16. abest leucis versus fretum *Magallanicum*, 8 verò à *Cordillera de los Andes*. Cœnobium habet Dominicanorum, & Franciscanorum. Contermini hujus urbis finibus sunt Indi, qui bello ac armis ditiones suas tuentur. Per mediam urbem labitur fluvius præstantissimus *Biobio*, alijque in hunc effusi, uti & fluvius *Nirvequeten*.

In civitatem *la Imperial* colonos deduxit *Petrus de Valdivia*, Anno 1551. Altitudinem attingit graduum 39, & à *Conception* 39 abest leucis, versus fretum *Magellanicum*, tribus à mari leucis, quò loci Cathedralis Ecclesiæ sedes est, uti & Cœnobij Franciscanorum & Mercenariorum. Ditionis suæ ambitu plus quam 80000 Indos habet, aliosque in his tractibus militiæ operam dantes. Præterfluit eam fluvius *Cauten*, per quem in ipsum mare navigatur, licet portum habeat minus commodum & securum. Colonos quoque in urbem *Villaricam* deduxit *Valdivia*, quæ ab urbe *la Imperial* 16 distat leucis, penè ad Euronorum, ab urbe verò *Conception* 44, vicina *Cordillera Nevada*. Cœnobium hic spectatur Franciscanorum & Mercenariorum. Regio frigida est, panis & vini sterilitate ingrata.

Urbs *Valdivia* duabus à mari distat leucis, ab urbe *de la Conception* 50, versus fretum *Magellanicum*. Coloniam eò deduxit dux *Valdivia*, uti & Cœnobia Franciscanorum, Dominicanorum & Mercenariorum. Tractu sita est fertili, & tritici aliorumque leguminum feracissima est. Pascuis insuper luxuriat, sed vino caret. Merces per fluvium *Valdiviam* devehuntur, qui propè eam labitur, in cujus ostio ac faucibus portus est, altitudine graduum 40.

Urbs *de Osorno* colonia *Garcia de Mendoza* 70. aut amplius à *la Conception* leucis recedit, versus fretum *Magellanicum*. 7 a mari leucis. Cœnobium habet Dominicanorum & Franciscanorum, necnon Monialium. clima frigidum est, nec commeatu abundans, sed auri feracissimum. Territorio suo continet Indos 200000.

In urbem *Castro* deducti sunt coloni, quo tempore regnorum *Peruviae* imperium habebat licentiatus *Lope Garcia de Castro*. Indica lingua *Chilue* vocatur, estque postrema provinciæ *Chiles* colonia, exstructa in una ex insulis, quæ in lacu aut sinu de *Ancud* sive *Chilue* jacent.

Archipelagus altitudinem habet 43 graduum, ab *Osorno* versus Meridiem abiens leucas 41. Cœnobium habet Franciscanorum, & in confinibus 12000 Indos. Insula longa est leucas 50, & lata à 2 ad 9 leucas, quam aliæ sequuntur longâ serie usque ad *Cordillera de los Andes*. Regio est montibus & collibus aspera, tritici, mayzique ferax, &, quod rarum est, in ipso littore auri & ceræ fodinas habet.

Gubernator *Villagran* abrogato nomine urbis *Canjete*, quàm coloniam fecerat *don Tucapel Garcia de Mendoza*, *Tucapel* eam appellari voluit, sed & postea abducti hinc coloni.

In hac præfectura positâ in altitud. grad. 22 portus est & fluvius *de Copeago*, à quo 8 leucis Meridiem versus fluvius *Guasco* abest, necnon fluvius *Coquimbo* altitud. grad. 32. quem excipit portus *de la Ligua* & *de Quintero* in ostio fluminis *de Concagua*, ante portum *de S. Iago* sive *Valparayso*: adhæc portus *Topocalma* in fluvio *de Maypa*. Post fluvium *Maule* portus sequitur *de la Herradura* in ostio fluminis *Itata*, ante portum *de la Conception*. In magno flumine *Bobio*, versus Boream insula est *Santa Maria*, e regione sinus *de Arauco*, quem portus excipit *Canjete* & insula *de Mocha* versus Austrum: portus insuper *de Cau-*

DESCRPTIO INDIAE

de Cauten, qui urbis *la Imperial* portus est, necnon locus, in quo naves exonerantur, fluviusque *de Tolten*, ante portum *de Valdivia*, quem prætervectis occurrit Cuspis *de la Galera*: magis verò ad Austrum sinus est magnus sive portus *de Osorno*, in flumine *de los Canoas*, 30 verò ab eo leucis versus Meridiem lacus *de los Coronados* occurrit, omnium hujus imperij fluviorum amplissimus. Præfecturam denique hanc claudit lacus *Ancud*.

CAP. XXIII.

De Provincijs Freti Magellanici.

PROVINCiarum *Freti Magellanici* nomine eæ regiones continentur, quæ a fluvio *de la Plata*, ad mare usque Australe porriguntur, inter limites præfecturæ *Chiles* & fretum ipsum, a gradibus altitud. 42 aut 43 ad gradus 52 & ultra. Quanquam verò hæ ab utriusq; maris littore frequentatæ fuerint sæpius, deprehensumq; sit eas inhabitari, in hunc tamen usque diem in provinciæ formas redactæ non sunt, nec ulla in has deducta colonia, præter eam, quam huc deduxit *Diego de Valdes*, in ipsius Freti ostio ad latus ejus Septentrionale Anno 1582; vocaturque colonia ista urbs *S. Philippi*, quæ tamen hic loci propter nimium, ob poli vicinitatem, frigus, servari non potuit. Estque periculosissima in has terras navigatio, propter perpetuas, quibus hi tractus infestantur, ventorum tempestates.

*S. Philippi
urbs.*

*Promon-
toria &
portus.*

Quanquam verò magnus ad utrumque freti latus portuum, cuspidum & promontiorum sit numerus, quorum aliqua quoque in ipsis tabulis notata reperias, tamen quibus fluminibus hæc littora hinc inde irrigentur, nondum exploratum plenè est. Maximè verò nota Promontoria, quæ inter oram *Chiles* & fretum ipsum occurrunt, 108 à *Valdivia* leucis versus Africum, hæc sunt: Promontorium *S. Andreae* altitud. 47. graduum, a quo ora rectà in Austrum reflectitur, versus fretum, usque ad promontorium *S. Roman* altitud. 48 grad. Et propè insulam *S. Catalinae* non longè a sinu magno, quem *Alcarchofada* vocant, in quo sinus est *de Nuestra Señora* & insula *S. Barbara*. Ulterius paulò altitudine grad. 48 portus *de Hernangallego* occurrit, necnon sinus *de los Reyes*, 18 a portu *Hernangallego* leucis, sinus adhæc *S. Iuan*, altitud. grad. 50 & $\frac{1}{2}$, mox promontorium *S. Francisci* altitud. grad. 51, quo loci in mediterranea loca excurrunt Canales aliquot; post hoc insula sequitur *de la Campana* 15 à *S. Francisci* urbe leucis, suos quoque habens canales, & Sinus *S. Lazari* altitud. 52 grad. sex insignis canalibus, iisque amplis satis & in penitiores terræ partes excurrentibus, sed nondum navigatis; necnon Archipelagus insularum, qui vulgo ad Australe latus Freti esse creditur, quod tamen *D. Richardus Aquinas* inficias it, qui in Meridionali orâ Freti nihil esse vult, præter insulas minores quatuor, unamque in medio positam, quæ ab ostio ipsius freti 6 ad minimum leucis recedant: ipsum verò Archipelagum ad harum latus esse. Asseverat idem ad plagam freti Meridionalem continentem non esse, idque contra receptam opinionem.

Fretum hoc transijt jussu pro-regis *D. Francisci de Toledo*, *Petrus Sarmiento*, & *Antonius Pablo Corso*, altitudine à 52 ad 53 gradus, in qua pars ejus Australior posita est, longitudine leucarum a 110. ad 115. latitudine modo unius, modo 10. leucarum. E mari Pacifico in Atlanticum per fretum primò navigatum non fuit. Piratas verò, qui ex Atlantico mari hac in Pacificum transiverunt, hac via remeasse non constat. Affirmat *Ri-*

chardus

chardus Aquines se per multos dies in hoc freto oberrasse, nec ab Australi parte continen-
tem esse, sed insulas complures, quæ ad gradus 56. excurrunt. Ad hanc enim usque alti-
tudinem navigando pervenerat, instituto per medias insulas cursu. Cum verò nihil præ-
ter mare occurreret, in fretum reversus est. Comprobant hujus rei veritatem varij maris
æstus & fluxus, quorum causa sunt Canales aditusque insularum quamplurimi. Populus
ipsuper hic degens è Boreali tractu huc se ad piscandû conferre solet, & certis anni tem-
poribus domum remeare. Ait idem, fixas se hic domos non invenisse, sed casas solum-
modo levi ab Indis exstructas brachio. Quod ipsum & *Franciscus Draco* affirmat, qui
Anno 1579 superato Freto eadem rursus via remeavit, vectus navi, cui *Fortuna* nomen
erat, & circumnavigato Atchipelago ad ostia usque freti denuò versus mare Pacificum
cursum instituit, angustiasque istas feliciter emensus est.

Præcipua, quæ occurrunt circa ostium freti Australe, sunt: promontorium *Desseda-*
do, altitudine grad. quinquaginta trium; *Canalis de Todos Santos* viginti duo ab ipso Quæ in
ostio Freti
occurrunt.
ostio leucis, amplus is & longus; portus *de la Trajcion*: necnon alius *Canalis* versus
Thrascio-Zephyrum excurrens: adhæc rupes vasta in medio ostio *Canalis*, dicta *la*
Campana de Roldam, nomen sortita à quodam expeditionis *Magellanicae* socio, qui
hunc *Canalem* deprehendisse creditur. Quam sequitur *Cuspis de la Possession*, quatuor
à promontorio *de las Virgines* leucis, in ipso maris Septentrionali aditu altitudine 52
cum dimidio grad. *Petrus Sarmjento* & *Antonius Pauli Torso*, cum in mandatis habe-
rent, hujus uti Freti situm, loca, transitumque explorarent, & speciatim quidem, num
facilius & commodius daretur iter in mare Australe, quam quod terrestri itinere in *Pa-*
namam instruitur, duas ad latus Freti Boreale deprehenderunt angustias; quarum al-
tera tam arcta visa fuit *Petro Sarmjento*, ut tormentis bellicis eam defendi posse ju-
dicaret, quod cum persuasisset, refragante licet Duce *Albano*, irrito eventu eò missa
fuit classis ductu *D. Diego Flores*. Observavit idem formidabilem hic esse maris flu-
xum, tantoque aquarum impetu in medio Freto maria hinc inde concurrere, ut qui-
busdam in locis ad altitudinem sex cubitorum attollantur, usque ad eò ut, ni firmis
anchoris defigantur naves, angustias istas superare non possint, quantumlibet gravi
sabburrâ onustæ.

Ad oram *Americæ*, quæ à Freto ad fluvium usque *de la Plata* 400. leucis exten-
ditur, idque versus *Mezen* & *Thrascio-Zephyrum*, fluvij occurrunt *de S. Jlesonso*, duo-
decim à promontorio *de las Virgines* leucis; fluvius *Gallego*; sinus *de Sant Jago*, qua-
draginta à fluvio *de Santa Cruz* leucis, altitudine quinquaginta grad. Propè cujus o-
stium insula est *de los Leones* dicta: Portus *de Sant Julian*, altitudine quadraginta gra-
dum: fluvius *de Iuan Serrano* versus Australem plagam insularum *de los Patro*, altitu-
dine quadraginta septem grad. fluvius *Cananor* altitud. quadraginta quinque grad. pro-
montorium *de S. Domingo*, & promontorium *de tres Puntas*: necnon terra *de los*
Humos altitudine triginta octo grad. Adhæc *Cuspis de Sant Helena*, & *Sant Apollonia*
altitudine grad. triginta septem, ante promontorium *Blanco*, in ipso aditu & ostio
fluminis *de la Plata*, ad latus ejus Meridionale.

DESCRIPTIO INDIAE

CAP. XXIV.

De Provincijs de Rio de la Plata, & Brasilia.

Fluvium *de la Plata* aperuit *Iohannes Diaz de Solis* Anno 1515, & *Sebastianus Gaboto* Anglus, cum Cæsaris mandato ac auspicijs classem Fratris *Garcia de Loaysa* in insulas *Moluccas* tendentem insequeretur. Quam cum assequi non posset, aliquod regi suo officium præstare constituit, & has tandem provincias flumenq; *de la Plata* detexit, Anno 1529, per triennium ferè hic hærens. Verum cum rescriptum non reciperet, quid sibi agendum esset, in Castellam reversus est. Hic postquam ad aliquot leucas flumè conscendisset, argentum apud Indos in hoc districtu repperit, quod bellis cum *Peruvie* incolis gestis partum erat. Atque hac de causa fluvio nomen *de la Plata* inditum, qui antea fluvius *Solis* dictus fuit. Provinciæ hæc limites suos *Brasiliae* finibus jungunt, non longè à linea ac meta institutæ divisionis, nec certis circumscribuntur limitibus, nisi ora maris Septentrionalis, & flumine *de la Plata*, à quo & nomen suum habet vicina regio. Abest ostium hoc à portu *S. Lucar de Barrameda* penè 1600 leucis. Maxima in his provincijs est tritici, vini, sacchari, omniumq; satorum & fructuum Castellanorum ubertas. Pascua adhæc pecorum pastui peridonea & præcipuè equorum vastissima habet. Et quamquam antehac nullæ hic deprehensæ sint auri aut argenti fodinæ, hac tamen tempestate auri, argenti, ferri, æris hic arrugiæ observatæ sunt, necnon fodina, e qua lapis amethystus eruitur. Ad unam eandemque præfecturam referuntur hæc regiones, pro-regi *Peruvie* propter suam vicinitatem subditæ. Episcopatum habet, in quo tres sunt Castellanorum pagi. Magna quoque in his est indigenarum frequentia, quibus corpora sunt vasta & vegeta. Loca hæc sunt: Urbs *de Nuestra Senora del Assumcion*, prima colonia & provinciæ metropolis, in altitud. 5¹ grad. posita, fundata à Duce *Iohanne de Salazar* iussu gubernatoris *D. Petri de Mendoza*. Territorium ejus primum *Gurambare* dictum. Ad hujus latus dextrum 280 ab eâ leucis *Brasilia* jacet, & in hujus districtu 80 ab ea leucis recedit *Cuidadreal*, quæ Indi *Guayram* vocant: ad latus verò *Peruviam* spectans, 480. leucis ab ea abest urbs *de la Plata*. 280 verò leucis urbs *S. Cruz de Sierra*, in quam colonos deduxit *Nuslo de Chaves*, ad plagam Meridionalè versus fretum *Magellanicum*. Regio vasta est & locuples. Abest urbs 300. leucis à flumine *de la Plata*, propè fluvium *Paraguay* condita, ad latus Orientale, cives habens Castellanos 400, & plus quam 3000 juvenes ex Indo & Castellano parente natos, quos *Mestizos* vocant. Residet in hac Gubernator, Officiales regij, Ecclesia Cathedralis, quam Episcopatum *de la Plata* vocant, suffraganeum Archiepiscopatus *de los Reyes*. Indos tributarios habet 400000, quorum numerus indies accrescit.

Nuestra
Senora del
Assumcion

Brasil.

Urbs de la
Plata.
Uros S.
Cruz de la
Sierra.

Cuidadreal

Urbs *Cuidadreal* aliter *Ontiveras* dicta, colonos accepit à *Ruidiaz* à *Melgarejo*, ab urbe *Assumcion* 80 sita est leucis versus *Mezen* & *Brasiliam*, non longè à fluvio *Parana*, regione fertili & com meatu omni affluente, quæ & vina & æs copiosè fert. Frequentes eam incolunt Indi, quorum de die in diem augetur numerus. In fluvio *Parana* propè urbem *Cuidadreal* tantus est aquarum delapsus, ut non, nisi ducentis ab eo passibus, accedere audeant indigenæ, idque propter immanem strepitum, & aquarum vortices. Integrâ quoque leuca ab eo recedunt *Canoæ* sive scaphulæ Indorum, quæ si propius accederent, undarum impetu & rapiditate subversæ mergerentur. Locus è quo præceps fertur aqua, altus est cubitos ducentos, tantaque velocitate labitur, ut non posset velocius torqueri telum.

Buenos
Ayres.

Buenos Ayres, civitas est, quæ propè eum locum, in quo olim colonis orbata fuit, fundata

data

data est, in provincia *de los Morocotes*, ad littora fluvij *de la Plata*, solo ubere, & fructuum omnium Castellanorū feraci. Colonos in eam deduxit *D. Petrus de Mendoza* Anno 1535. qui, cessante à terrarū ulteriore inquisitione *Gaboto*, eam aperuit. Regio omnis plana est, exceptis montibus *Cordilleras*, qui juxta maris littus ad *Brasiliam* usque ad 20. leucas continua serie extenduntur, & hinc excurrētes totam regionem ambiunt, usque ad fluvium *Marañon*, & *Cordilleras* regnorum *Peru*.

Circa littora istarum provinciarum, quæ à *Brasiliam* ad fluvium usque *de la Plata* expanduntur, quinque aut sex occurrunt portus, commodi satis: nempe portus *Sancti Vincentij* altitud. grad. 33. è regione Insulæ *Buenabrigo*: & 6. ulterius leucis versus Meridiem fluvius *Ubay*, necnon portus *de la Cananea* altitud. 35: portus *de la Barca*, antè portum sive fluvium *S. Francisci*, & insula *Santa Catalina*, aliter dicta portus *de Vera*, sive portus *de Patos*; portus adhæc *de Don Rodrigo* 20. à *S. Catalina* leucis Meridiem versus, 5. verò leucis portus *Cerrado*, 50. portus *Riopoblado*, totidemque à *Bahia Onda*: fluvius *Tiraqueri* altitud. est grad. 32 cum dimidio, antè promontorium *Santæ Mariæ*, altitudinem habens 35. grad. in ipso fluminis *de la Plata* aditu. Indi fluvium hunc lingua sua *Paranaguazu* vocant, aut *Parana* vulgò. Ostium ejus est ad mare Meridionale inter gradus 35 & 36 altitudinis, inter promontorium *S. Mariæ* & promontorium *Blanco*, intervallo 30. leucarum. Ulterius verò in ipso flumine latitudo ejus est leucarum 10, multæque in medio ejus positæ sunt Insulæ. Quin plurimi quoq; in eum hinc ab Oriente hinc ab Occidente excurrunt fluvij magni & celebres, ad portum usque *de los Reyes*, qui lacus est vastus, quem communiter *de los Xarayes* vocant, paulo minus 300. à fluvio *de la Plata* leucis, in quem quoque flumina non pauca excurrunt, quæ à rivis ac torrentibus *Andium* originem ducunt, aut è fluminibus provinciarum *de los Charcas* & *Cuzco*, versus Boream. qua parte alius in lacum istum excurrit maris sinus. quæ res occasionem præbet suspicandi, fluvium hunc cum fluvio *S. Iuan de los Amazonas* concurrere, quanquam alij opinentur eam oriri è lacu *del Dorado*, qui 50. dierum itinere à lacu *de los Xarayes* abest; licet quidam in ea sint sententia non esse lacum *Dorado*.

Quo tempore Dux *Salazar* mortuo *Petro de Mendoza* harum provinciarum habebat imperium, Anno nempe 1545. accidit, ut de nocte irruens in ædes tigris hominem Castellanum in conclavi suo præsentem uxore lethaliter læserit; moxque avectum in arundineta voraverit. Summo autem mane egressus Dux *Salazar* 50. militibus stipatus tigrem quæ siturus, eam in diripienda præda occupatam deprehendit, cumq; hæc contra ipsum insurgeret & jam ictum vibraret, Dux exploso sclopeto & vulnerato corde eam neci dedit. Facinus sanè memorabile, magnique animi & dexteritatis.

C A P. XXV.

De Provincijs & Regione Brasiliæ.

PROVINCIA *Brasiliæ*, ad oram maris Atlantici & *Terra Firma*, vocantur omnes illi terrarum tractus, qui ad Orientale latus lineæ sive Meridiani terras hæc partientis siti sunt, à gradibus longitudinis 29. ad grad. 39. à Meridiano *Toletano*, spacio leucarū 200. ab Oriente in Occidentem: à Septentrione verò in Austrum 450, inter altitudinis Australis gradus 2. sive promontorium *de Humos*, & 25. gradus, sive insulam *de Buenabrigo*. A prima verò colonia *Brasiliæ* ad postremam leucæ numerantur 350.

D E S C R I P T I O I N D I Æ

Primus has Regiones auspicijs Catholicorum Regum detexit *Vincentius Taniez Pinzon*, & post hunc *Diego de Lepe*, Anno 1500, septemque post hunc mensibus in eas casu delatus est *Peralvarez Cabral*, instructa Lusitanarum navium classe in Indiam cogitans. Dum enim littora *Guineæ* devitare longius vellet, & ab ijs declinaret, in has oras deflexit, quas *Santa Cruz* vocavit, quod eo die eas detexisset. Regio & brumali & æstivo tempore calet, ac imbribus frequenter irrigatur. Nebulosa est, multisq; cincta saltibus. insalubris adhæc, & plena animalium venenatorum. Pascuis ad pecorû pastum abundat, sed mayzum ac triticum parcius fert. Multas hic auri & argenti arrugias invenias, quanquam eas non excolant Lusitani.

Ex *Cazabi* præcipuè rem faciunt incolæ, quod ex *Tuca* conficiunt, quin & ex saccharo, gossypio, ac ligno Brasiliano victum quærunt. Habet provincia universa Præfecturas 9. in quibus pagi Lusitanorum sunt 17. cives penè 3000, Indorum ingens multitudo bellis exercitata & militiæ studijs, qui Lusitanos in interiores telluris tractus penetrare non permiserunt, sed circa littus subsistere coegerunt, ubi fluvij sunt quam plurimi & portus idonei recipiendis navibus.

Colonia primæ præfecturæ & vetustissima est *Tamaraca*: secundæ *Pernambuco*, 5. a *Tamarica* leucis, altitudine graduum versus Meridiem 8. ubi domus est societatis Iesu; tertiæ est *Todos los Santos* 100. à *Pernambuco* leucis, altitudine grad. 13. quæ sedes est Gubernatoris, Episcopi, & Audientarij Generalis totius hujus oræ. Collegium habet Societatis Iesu. Quarta præfectura est *los Jsleos* 50. à sinu de *Todos los Santos* leucis altitud. grad. 14. domo quoque Iesuitarum insignis. In hac quoque arbor reperitur, è qua preciosissimum stillat balsamum. Quinta est *de Portoseguro* 30. à *los Jsleos* leucis, altitudine grad. 16. colonias habet tres, necnon collegium Iesuitarum. Sexta est *del Spiritu santo* 50. à *Puerto seguro* leucis, altitudine grad. 20. Multum hic ligni Brasiliensis colligitur. domum quoque Iesuitarum habet. Septima est præfectura fluminis *de Genero* leucis 60 à *Espiritu santo*, altitud. 23. grad. domum Iesuitarum habet, & magnam ligni jam dicti copiam. Fluvius insignis est, ripas habens amœnas & commodas. Postrema præfectura est *S. Vincentij* 60. à fluvio *de Genero* leucis, altitud. grad. 24. Habet hæc in insula quadam propugnaculum, idque adversus impetum Indorum & pyratarum, domum quoque Iesuitarum, qui de Indorum ad Christi fidem conversione, eorumq; libertate optime meriti sunt. Pecorum hic numerus sine numero est, præcipuè porcorum, uti & gallinarum. Copiosè hic in littus ambram effundit mare, ex qua quæstum uberrimum plurimi fecere. Æstatis hic tempus est à Septembri ad Februarium, hyemis à Martio usque ad Augustum. Noctes diebus penè æquales sunt, qui una solummodo hora crescunt ac decrescunt. Brumali tempore flant Austri & Euronoti: æstivo verò Mefes & Cæcias.

Iuxta oram hanc portus octo aut novem nobiliores occurrunt. Fluvius nempe de *Sant Domingo*, & de *las Virtudes*, versus *Mezen* respectu *Pernambuco*, & *Tamaraca*, (insula hæc est ac prima harum provinciarum colonia) antè promontorium *S. Augustini*, positum in altitudine grad. 9. Fluvius adhæc *S. Francisci* altitudine grad. 10. magnus is & celebris. Mox sinus *de Todos Santos*, latus leucas 4. in intimas terræ partes ad leucas extensus 13. usque ad *S. Salvador*. Necnon fluvius & portus *Trenado*, in quem huc tendentes naves se recipiunt. Est in eadem ora fluvius *Canamum*, altitud. grad. 10. uti & fluvius de *las Cuentas* sive *S. Augustini* altitud. grad. 14. fluvius *de las Virgines* altitud. grad. 16. *Puerto seguro* altitud. grad. 17. fluvius *la Parayva* altitud. grad. 20. propè fluvium *Santi Spiritus*; fluvius *Genero*, non longè à *Sant Sebastiaen*, & *Cabo Frio* altitud. grad. 23. ante *S. Vincente*.

Inseratur hic Tabula 12.

C A P.

Portus.

CAP. XXVI.

De India Occidentali, nempe, in insulis aromatiferis, Philippinis, Chinaram tractu, Iapan, & Los Lequios.

Indiam Occidentalem constituunt Insulæ omnes & continens coërcita intra limites distributionis regum Castellæ & Legionis, positæ in Occidentali parte dictæ distributionis, cujus linea, uti dictum, per aliam Orbis partem, supra urbem *Malaccam* transit, à qua Orientem & Novam Hispaniam versus mare est, in insulis infinitis tum magnis tum parvis veluti conspersum, varijque littorum & continentis tractus. Dividuntur hæc in Insulas aromaticas, sive *los Molucos*: insulas *Philippinas*: oram *Chinæ*: insulas *de los Lequios* & *Iapones*: littora *Novæ Guineæ*: insulas *Salomonis*, & insulas *de los Ladrones*. Omnium harum insularum & regionum, si communiter spectentur, temperies humida est, & moderatè calida. Com meatu & rebus ad humanæ vitæ præsidium necessarijs abundant, uti & pecorum multitudine. Aurum habent, sed vilis precij. Argenti prorsus expertes sunt, sed ceram copiosè sufficiunt. Populus eas inhabitans diuersi color est, & vulgarem Indorum formam præferens. Quidam inter illos candidi, quidam nigri sunt.

Insulæ *aromatiferæ*, sic dictæ sunt, quod ex ijs aromatum species variæ, uti piper, caryophyllata, cinnamomum, zingiber, nux muscata sive odorata, & mastyx petantur, quæ in Europæis potissimum regionibus distrahuntur. Sunt autem illæ frequentes, licet principales earum quinque solum sint, cæque minores, sitæ sub Æquinoctiali, à meridiano Toletano gradibus 194, comprehensæ sub hypotheca, quam Cæsar Carolus V. regi Lusitanæ pro 300000 ducatis oppignoravit. Prima est *Ternate* ambitu 8 aut 9 leucarum, portum habens *Talamgame* dictum. Imperavit hic *Corala*, qui titulum sibi tribuebat Vasalli Regis Castellæ, quo tempore naves è classe Magellani reliquæ insulas has detegebant. Insula *Tidore* leuca una versus Austrum à *Terrenata* abest, ambitu continens leucas 10. Insulæ *Matil* sive *Moutier* peridromus est leucarum 4. sub ipso Æquatore posita est. *Maquian* insula tribus leucis ad Meridiem jacet, ambitus ejus leucarum 7. a *Batau* sive *Baquian*, quæ ambitu continet 20 leucas, versus Austrum 10 leucis recedit. *Tidoræ* imperium tenebat *Almanzor*, qui se quoque Regis Castellæ vasallum profitebatur, qui, uti & *Corala*, litteras ad Regem dederunt per *Iohannem Sebastianum del Cano* oriundum è civitate *Guitarca* in provincia de *Guipuzcoa*, qui Anno 1522 *Tidora* solvens in insulam *Zamatiam* propulsus est, & ad gradus poli Antartici 42 prouectus in insulam *de Santjago* pervenit, à promontorio Viridi, (*Caboverde*) & istinc Hispalim reversus est, vectus navi, cui *Victoria* nomen erat, post exactos jam in itinere hoc menses 7. paulo minus. *Patian* quinta est insula, ejusdem cum prioribus indolis, ab Æthiopibus & paganis culta, qui animæ immortalitatem ignorabant. Quo tempore ad hanc appulit navis è classe *Garcia de Loyasa* *Tidoræ* præerat *Rajami* 13 annorum adolescens, qui Regem quoque Castellæ Dominum suum agnoscebat. quòd & fecit Rex insulæ *Gilolo*, dictus *Sultan Abderra menjami*, idque interposito juramento.

Gilolo insula est Æquatori subjecta, à prioribus 4 leucis recedens, cujus peridromus 200 leucis mensuratur. Aromata non fert. Insula *Ambona*, altitud. grad. 3½ versus meridiem ab insula *Gilolo* sita est, aromatum quoque experts. Insulæ *Banda* in altitud. grad.

DESCRPTIO INDIÆ

- Burzo.* 4. versus Meridiem jacent, quæ nuces muscatas & macem ferunt. Insula *Burzo* ad Occidentalem Ambonæ plagam jacet. *Timor* insula ad Occidentale latus Bandæ 100 penè ab ea leucis recedit, aromatum sterilis, verum ligni, quod santalum vocant, ferax. *Zeinda* 50 à *Timor* abest leucis versus Thrafciozephyrum, ambitu suo leucas 40 habet, piper copiose sufficit. Insula quoque hic est magna *Celebes*, & *Borney* major propè fretum Malaccæ, quod Continentem à *Zamatia* dirimit, quam olim *Taprobanam* vocabant: aliæque insulæ complures majores minoresve, ad plagam meridionalem, propè *Lavam* majorem & minorem, & circa littora Chinesium ad plagam Borealem. Munimentum habent in *Terrenata* Lusitani, uti & in urbe *Malacca* in ipso Archipelagi aditu.
- Philippina* Insulæ *Philippina* Archipelagum constituunt 30 aut 40. insularum majorum, exceptis minoribus infinitis, quæ conjunctæ, longo tractu, leucarum nempe 200, exportantur, aliæ Boreales, aliæ Australes, ad quas quoque referuntur centum aliæ, positæ in angustijs inter Novam Hispaniam, & sinum *de Vengala*, 1700 pene leucis à portu *de Navidad* in Nova Hispania, in altitudine grad. 6, 15, & 16. ad Æquinoctialis partem borealem. Temperies illis optima est, annonæ fœrunditate gaudent, præcipue oryzæ. Aurum quædam habent, sed vilius, aliæ arboribus, unde cinnamomum colligitur & piper oblongum celebres sunt. Incolæ justæ sunt magnitudinis, in quibusdam locis nigri coloris candidiores verò sunt, qui in locis insularum penitioribus habitant, quam qui ad littus. Portus præbent commodos navibus, uti & ligna. Præcipuarum insularum nomina sunt hæc: *Mindanao*, omnium maxima, & ad Austrum maximè vergens, longitudine leucarum 100, ambitu 300. Regio est aspera, verum fertilitate mayzi, ceræ, oryzæ, zingiberis, cinnamomi commendata. Auri quoque fodinas habet, portusque ac navium stationes commodissimas.
- Buenas feniales.* Insula *de Buenas feniales*, & *S. Iuan* vicina *Mindanao*, ad Orientalem partem longa est ab Austro in Boream leucas 20. *Behol* 10 a *Mindanao* leucis longa est ad plagam Borealem leucas 19.
- Buglas.* Insula *Buglas* sive *de Nigros* una ex Archipelagi insulis versus Occidentem ab Austro in Septentrionem ad leucas 40 extenditur, lata leucas 14. Margaritas habet.
- Zubu.* Insula *Zubu* in medio posita longa est ab Austro in Septentrionem leucas 30. locum habet à Castellanis inhabitatum, quem vocant urbem *de Iesus*, ad insulæ partem Orientalem, portu commodissimo nobilem. Detecta est à duce Ferdinando Magellano Anno 1520. & insulæ rex titulum vasalli regis Hispaniarum in se recepit. Detexerat idem antè insulas *de las Velaslatinas*, quarum incolæ velis utuntur, ex palma arbore contextis, ad formam straguli Hispaniensis. A *Zabou* una cum rege oppugnatum ibat Magellanus Regem *Matan* in insula quadam parvula ad plagam Australem posita, quem, utpote animo & viribus superiores, trucidarunt. Castellani verò iter suum persequentes aperuerunt insulas *Quepindo*, *Pulvan*, & *Burney*, quæ postrema non magna solum est, sed & multarum rerum proventu, uti oryzæ, & sacchari affluit. Caprarum hic, & porcorum & Camelorum magna frequentia, sed tritici, asinorum & ovium inopia laborat. Zingiber, camphoram, & myrobalanum aliaque aromata profert. Detectæ quoque sunt Philippinæ insulæ ab *Alvaro de Saavedera*, qui eas nomine regis Castellæ occupavit. Solvebat iste jussu marchionis *de Valle* è portu *de Civatlanejo* in novâ Hispania, & potissimum in insula *Mindanao* hærebat, quæ excursio non sine gravi consilio ac ratione instituta fuit.
- Abuyo, sive Babay.* Verum, ut ad insularum Philippinarum historiam revertar, est inter eas *Abuyo* sive *Babay*, insula, longitudine ab Austro in Septentrionem leucarum 30, latitudine 10, fodinas

dinas habens laudabiles, & circa oram ac littorum tractus, margaritas. Omnium celeberrima est *Tandaya*, quæ, quod prima omnium detecta esset, *Philippina* dicta fuit, *Tandaya*. quo nomine postea & aliæ omnes appellatæ sunt, in memoriam invictissimi regis D. Philippi secundi, cognomine *Prudentis*. Parte sui Boreali leucas numerat 40, uti & Orientem, Aquilonem, & Zephyronotum versus, lata est leucas 12, quibusdam in locis latior, portus habens & stationes idoneas. *Masbat* mediocris magnitudinis insula ad latus Occidentale *Tandaya* longa est leucas 16. *Masbat*.

Panay insulæ longitudo est 40 leucarum, latitudo 15. *Mindoro* latitudinis leucas numerat 12½ longitudinis 25 ab Austro in Septentrionem. Piper habet & aurifodinas. *Panay*. *Mindoro*.

Insula *Luzon*, nova Castella dicta, major est insulâ *Mindanao*, inter Philippinas maximè ad Boream vergens, urbem habens *Manilam* à Castellanis cultam, in quâ sedem fixit Gubernator, regionum reddituum officiales, ærarium regium & Ecclesia Cathedralis. Quæ ad victum faciunt abundanter profert, multisque auri fodinis locuples est. Portus illi est incommodus valdè, & ex Chinesium mercatu potissimum victitant incolæ, qui huc vasa *porcellana*, lintea, & tinctum coloribus varijs sericum aliasque merces mittunt. Longitudo ejus est leucarum 200, amplitudo insignis. *Luzon*.

Magna in his insulis est Mahumetanorum frequentia, qui per Indiam Orientalem in has profecti facilè in tam crasso paganismi errore ac tenebris religionis suæ deliria incolis persuaserunt. Aperuit has, uti dictum jam ante, dux Magellanus, Anno 1520, cum instructâ navium classe insulas Moluccas detectum iret, idque auspicijs regis Castellæ, qui has quoque sceptris suis addidit. Post hunc, quæ reliqua erant, perlustravit & detexit *Miguel Lopez, de Legarpi* Anno 1564, è *novâ Hispaniâ* solvens jussu pro-regis *Lodovici de Velasco*. Creditur insula tum majores tum minores numerum excedere 1100. Earum plus quàm 40 Castellæ regi parent, multæque hominum myriades ad Catholicam fidem conversæ sunt, magnis regis impensis, qui in singulos Religiosos huc missos 1000 ducatos impendit, licet in hunc usque diem nulla adhuc ex iisdem insulis ad Regem redierint commoda. Qui animarum hic curam habent, Dominicani sunt, Franciscani, discalceati, Augustiniani, & Iesuitæ. Harum Insularum ope Mahumetanorum vires frangi cœperunt, qui juxta littora Asiæ, in insulas hæc, imperium Chinesium & Iapan dominationis suæ ac regni limites extendebant. Exacti jam dudum ab iisdem fuissent insulis Moluccis Lusitani, nisi promptam ipsis opem tulissent, qui insulas Philippinas incolunt, Lusitani.

Exactius jam Chinarum imperium cognoscitur, propter mutua cum insulis Philippinis commercia: quæ nempe Chinesium sint opes, quæ regionum aliorumque regnorum indoles, fertilitas, & cœli temperies, A *Manila* ad littora usque Chinæ intervallum est 300 leucarum, quantum octiduo velificando confici potest. Imperij istius ora penè ad Mezen leucas 700 extenditur, à gradibus 21 ad 22. factò à Boreali ejus tractu, ubi latissima est, initio. Autumant multi viam ex China ad limites usque Tartariæ sterni per mediam regionem, 6 aut 7 mensium itinere. Plurimas habet civitates majores, plurimos quoque pagos, incolas per humanos & civiles, patriæ suæ studiosissimos, quam bellis minus idoneos. Littora fluvij & portibus eximijs celebrata sunt. Ab Austro in Septentrionem abit regio hæc à gradibus 17 ad 50, ab Occidente verò in Orientem gradus numerat 22. Civitas *Paquin*, sedes aulæ Regiæ in altitud. grad. 48 posita est. *Paquin*. Dividitur Imperium in provincias 15, quarum 6 marinæ sunt ac littorales, 9. verò mediterraneæ, quas disjungunt intermedij montes, (uti Galliam & Hispaniam Pyrenæi) per quos non nisi duplex patet via.

Thomas

D E S C R I P T I O I N D I Æ

Thomas Perez regis Lusitaniæ legatus, quatuor mensibus in viâ à *Cantan* ad *Nanqui* substitit, Boream versus tendens. Accedit ad Imperij hujus vastitatem ac magnitudinem, terræ mira fertilitas, quam auget fluviorum præstantissimorum, à quibus irrigatur, copia. Nemus dixeris esse amœnissimum, aut rosetum pulcherrimum, omnium rerum proventu affluens; quam soli bonitatem multum promovet Regum cura, qui ne aquæ defint, montes perfodiunt, valles æquant, quo facilius quoque Solis calore agri foveri possint. Sita enim est regio fere omnis sub Zona temperata; nec ullus in ea est terræ angulus, quem non indefessa incolarum industria & solertia insigni aliquo emolumento excolat.

Inter alia notatu digna hoc quoque memoratur, magnum esse in *Cantan* cæcorum numerum, qui singuli operi suo gnaviter incumbunt. Quoniam verò nulli incolarum extra hujus regni territorium se conferre licet, nisi impetratâ veniâ, quæ ipsa non nisi ad certum tempus conceditur, fit, ut mirum in modum indigenarum numerus accrescat, præcipue cum plures quotidie nasci quam mori perhibeant. Tam purgato fruuntur aère, ut quoad longissimè incolarum mens respicere potest & memoriâ præteriti temporis recolligere, nulla peste has terras infectas fuisse perhibeant. Sed nec sua quoque huic Imperio defunt mala & calamitates. Terræmotibus crebrò infestatur, qui integras urbes subvertunt, & fluvios obstruendo, alijs novam originem præbent, quin & magno accolarum damno montes altissimos deiciunt.

Anno 1550 tanta aquarum è terra erupit copia, ut regiones vicinas 60 leucarum spacio inundaverit, septem urbes vortice suo absorbens. Atque hæc quidem de Continente Imperij Chinesis dicta sunt.

Ora ejus passim insulis conspersa est, quarum paucissimas exploratas habemus. Non longè à civitate *Nanqui* promontoriû est *de Lampo*, insulæ *de Aveniaga*, *Abarda*, & *Sumbur*, *Chincheo*. *Lanqui*, & *Cavallos*, de quibus nihil certi compertum habemus. Urbem *Chincheo* prætervectis occurrit *Lamao*, magnaque insularum conspicitur multitudo propè *Cantan*, quarum maximè celebres sunt *Lantao*, *Macao*, *Veniaga*, in qua portus est *Tamo*, *Lampacao*, *Sancoan*, quæ omnes milite præsidario regis Chinarum munitæ sunt, excepta solâ *Lampacao*, inculta & incolis carente.

Macao. In *Macao*, quæ alio nomine *Macan* dicitur, colonia est Lusitanorum, cui infestissimi sunt Chineses, propterea quod à potentia Lusitanorum & præsidij Castellanorum in Philippinis insulis degentium sibi metuant. Verum propter commercia Chinesium eam omni ope tuentur Lusitani.

Sancon. *Aniam*. *Sancon* 30 à *Cantan* abest leucis, quo loci sæpius terram conscenderunt Lusitani. *Aniam* inter insulas Chinesium præcipua est, sita in ostio sinus *de Cauchinchina*, 5 ab ipsa Continente leucis, 180 ab insulis Philippinis. Tantæ esse creditur magnitudinis, ut 30 eam munimentis ac propugnaculis defendi perhibeant. Piscaturâ margaritarum nobilis est. Commeatu abundat, varijsque fructibus, subdita imperio *de Cantan*, quæ potissima est Chinæ pars. Incolæ rusticis sunt moribus & humanioris culturæ expertes.

Iapan. *Meaco*. *Iapan* insulas complures complectitur in 33 regna divisas, quarum metropolis est *Meaco*. Situm respectu Chinæ varium habent. Ab insula *Goto* in *Iapan* ad *Liampo* usque in Chinam 60 numerantur leucæ, quæ maxima est harum insularum ad Chinam vicinitas. Iaponenses Chinesibus infestissimi sunt, eosque latrocinando & prædando magis, quàm justâ belli formâ oppugnant. Cum enim in varias insulas & diversa regna suis subdita regibus divisi sint Chineses, fit, ut singulorum regum vires bello isti non sufficiant.

ficiunt. Aptiores bello esse videntur Chinesibus, majoresque animos gerere. Regio temperata est, ferax frugum & pecoris, omniumque, quas Europa habet, avium. Ferri habet fodinas & æris. Indigenæ statura sunt longiore, magnanimi, fortes, ad labores nati. Situs insularum est in altitudine graduum 35. plus minus; habita ratione distantia singularum Insularum.

Iaponenses à Chinesibus non intelliguntur, nisi ope characterum, quos depingunt, qui eadem ab his & illis figurâ formantur. Quanquam enim characteres isti ac verborum notæ idem utrobique significant, tamen diversis eas vocibus Chineses & Iaponenses enunciant, cum non ad vocabulorum discretionem, sed rei solummodo significationem inventæ sint. Exempli gratia, numerum hunc Arithmeticum 9. aut 10. intelligit Gallus, Hispanus, Anglus; sed singuli diversa & linguæ suæ propriâ voce numerum illum enunciant. Ab alia parte Iaponenses Philippinis insulis vicini sunt, cum quibus commercia quoque ineunt & mercantur quotidie. Nec leviter sanè ad laboraverunt patres Iesuitæ in harum gentium conversione, benedicente laboribus ac studijs ipsorum Domino. Quæ res effecit, ut harum insularum fama per universum orbem terrarum increbuerit, præcipuè post solennem istam ad Pontificem Maximum, & Philippum secundum, cognomine *Prudentem*, institutam legationem. Et quemadmodum à reliquâ orbis habitati parte abscissi ac divulsi sunt, ita etiam diversi sunt horum populorum mores ab aliarum omnium nationum moribus. *Nobunanga* Imperator Iaponensium suscepta Anno 1592 in provinciam quandam *Chinesium* expeditione, cum classe navium 800. & exercitu 200000 militum eam invasit & expugnavit.

Ab Insula *Simo*, quæ ejusdem cum *Japon* est magnitudinis, inter Orientem & Septentrionem plures continuatâ serie excurrunt insulæ, quas *los Lequios* vocant, & ad ipsam usque oram *Chinae* porriguntur. Duæ earum majores sunt, quarum unaquæque quindecim est aut viginti leucarum. Quæ Iaponensibus viciniore sunt, *Lequio Major*, quæ verò ad finem reliquarum jacent, *Lequio Minor* vocantur. Harum nonnullas incolunt homines robusto corpore, candidi, certa politiæ forma ac legibus viventes, vestibus induti, ingeniosi, & bellicosi. Aurum abundantius habent, quam aliæ Oceani insulæ, frugum feraces sunt, nec ulla rerum ad victum pertinentium penuriâ laborant. Aquas insuper hic dulcissimas reperias. Insulis *Lequio minor* vicina est insula *Hernosa*, ejusdem cum prioribus genij ac indolis. Sunt qui eam *Siciliam* magnitudine sua adæquare volunt.

Insula Lequios.

CAP. XXVII.

De Nova Guinea, insulis Salomonis, & de Ladrones, quibus India Occidentalis terminatur.

Littora *Novæ Guineæ* centum ab Orientali insulæ *Gilolo* parte leucis initium sumunt, ab altitudine unius gradus paulo amplius, ad latus *Æquatoris Australe*, unde in Orientem ad leucas 300 excurrunt, donec conficiant grad. quinque aut sex. An continens sit, an insula hæcenus dubitatum fuit, cum in tantam longitudinem porrigantur, & num alicubi cum insulis *Salomonis*, aut freti *Magellanic* à parte Australi provincijs connectantur. Verum dubium hoc tollitur ab illis, qui freti *Magellanic* tractum Australem perlustrarunt. Affirmant siquidem hi, non esse hic continentem,

Nova Guinea.

K

verum

D E S C R I P T I O I N D I Æ

verum confertas insulas, quas excipit vastum & patens mare. Inter hos verò est *D. Richardus Aquinas* Eques Anglicus, qui per 45 dies circa has insulas oberravit.

Littora *Guineæ* à soli bonitate commendantur, visique sunt hic indigenæ coloris nigri, sed fulgidi. Multæ circa littora ejus conspiciuntur insulæ, stationes & portus habentes commodos, de quibus tamen speciatim nihil constat. Quæ in Tabulis quibusdam annotantur, hæc sunt: ad Orientem *El Aguada* 35 leucis ab eâ distans terrâ, quæ uno gradu ab Æquatore Meridiem versus jacet: 18 ulterius leucis portus est *S. Iago*, & insula *de los Crespos* longitudine leucarum 16 sub ipsum littus, è regione portus *de San Andres*, qui 40 à *S. Iago* abest leucis: Ulterius versus Ortum fluvius est *de las Virgines*, & *Valena* insula parva antè fluvium de *S. Augustin*, qui 50 ferè leucis abest à portu *S. Andres*, nec longè hinc abest fluvius *de San Pedro*, & *San Pablo*, antè portum de *S. Hieronymo*, nec non insula propè Cuspide *Salida*, 40 à *S. Augustin* leucis, quam *Buenapaz* vocant: longius verò ab ea abest *Abrigo* & *Malagente* insulæ duæ, & Sinus *de San Nicolas* 50 à Cuspide *Salida* leucis. Inter alias insulas una est, cujus incolæ candido sunt vultu. Sequitur *de la Madre de Dios*, ante *de Buenavaya*, & *de la Natividad de Nuestra Senora*, terræ cognitæ postrema. Ad latus hujus Boreale inter alias innumeras insula *Caymana* jacet.

Insula sita
juxta littus
Nova
Guineæ.

Ora Australis incognita est. Primus *Novam Guineam* aperuit *Alvarus de Saavedra*, cum missus à Marchione *del Valle* Anno 1527. ad quærendum insulas aromatíferas, errabundus ad hæc loca appelleret, reditum in *Novam Hispaniam* parans.

Insula Sa-
lomonis.

Insulæ *Salomonis*, 800 à *Peru* leucis, nomen illud sortitæ sunt, propter conceptam de ijs magnarum opum & divitiarum opinionem. Propriè & distinctè insulæ Occidentis vocantur, quia ad plagam Occidentalem *Peruviæ* jacent, è qua profectus *Alvarus de Mendoza* eas detexit, jussu licentiatii *Lope Garcia de Castro*, quo tempore cognatus ejus imperium *Peruviæ* habebat Anno 1567. Juvenis quidam *Trejo* primus has insulas vidit, è navis galeâ. Sitæ sunt inter gradus altit. polaris 7 & 12. ad latus Æquatoris meridionale, 1500 penè ab urbe *de los Reyes* leucis. Complures sunt numero, & justæ magnitudinis. Præcipuæ sunt 18. Quarundam ambitus 300 est leucarum; duæ sunt, quarum peridromus est 200 leucarum, aliæ 100, aliæ 50 aut minus. Sunt & quædam nondum undequaque lustratæ ac circumnavigatæ. Sunt qui putant, eas continuas esse cum Continente novæ *Guineæ*, iisque terris, quæ ad latus Occidentale Freti *Magellanici* nondum detectæ sunt. Omnes quotquot hic sunt insulæ, temperie acris sunt bonâ & habitabiles, annona abundantes, uti & pecorum multitudine. Incolæ nigri sunt, quidam tamen candidi & rufi, quidam flavi: quod argumento est, has terras cum *Novâ Guineâ* esse continuas. Maxime & celebratissime sunt hæc: *Santa Isabel*, à grad. 8 ad 9 extensa, portum habens commodissimum, quem *de la Estrella* vocant: *S. Jorge* sive *Borbi* ad latus Septentrionale *Isabellæ*, longa sesquileucam, ambitu suo continens leucas 30. *San Marios* & *S. Nicolas* ad Euronotû sitæ respectu *Isabellæ* ambitus sunt leucarum 100. Insula *Arrazifes* his non minor ad Australem *Isabellæ* plagam sita est. Versus Orientem *S. Hieronymo* jacet, cujus peridromus leucis 100 mensuratur. Ad Zephyronotum jacet *Guadalcanal*, omnes alias magnitudine superans, ad Occidentalem verò plagam *Isabellæ* insula jacet *Buenavista* & *San Dimas*, uti & insula *Florida*, quarum circuitus est leucarum 20. Ad hujus partem orientalem Insula conspicitur *Ramos* ambitu leucarum 200, à qua non longè abit *Malaita*, & *Atreguada* 30 leucarum, & *Tres Marias*.

Insula

insula quoque *Sant Iago* ad Australem partem *Malaita* ambitu leucarum centum. Et qua hæc Euronotum respicit, insula est *S. Christoval*, ejusdem cum priore magnitudinis; aliaque *S. Anna* dicta, & *Santa Catarina*, duæ insulæ parvulæ, quibus quoque jungitur exiguæ magnitudinis insula *Nombre de Dios*, à reliquis 50 diversa, altitudinis grad. 7. ac sub eadem poli elevatione ad Borealem partem *S. Isabelle* scopuli occurrunt, quos *la Candelaria* vocant.

Occurrit quoque in itinere, quod è *Peruvia* in insulas *Salomonis* instituitur, insula *San Pablo*, altitud. grad. 15. 700. à *Peruvia* leucis, & in altitud. grad. 19. aliæ jacent, fortè illæ, quas primum insulas *Salomonis* vocarunt; licet quidam putent alias esse, possitas in eodem cum *Chile* tractu.

Insulæ *de los Ladrones* sedecim sunt, quarum aliæ Septentrionaliores sunt, aliæ ^{Insule de los Ladrones.} Australiores, è regione *Novæ Guineæ*, à gradibus 12 ad 17 Boream versus protensæ, non longè à *Philippinis* Ortum versus. Steriles sunt & incultæ, pecorum & metalli expertes, modico instructæ comitatu. Gens eam incolit pauperrima, corpore habili satis, sed furto supra modum dedita, usque ad eò, ut navium quoque clavos ferreos evellere ac auferre ament. Atque hanc ob causam eam *Ladrones* vocavit *Magellanus* Anno 1520, quo tempore aromatiferas insulas quæsitum ibat. Nomina earum hæc sunt: *La Inglesa*, maximè ad Boream vergens, *Ota*, *Mao*, *Chemechoa*, *Gregua*, *Agan* sive *Pagan*, *Oramagan*, *Guguan*, *Chareguam*, *Natan*, *Saepan*, *Bota*, *Volia*.

Inter *Philippinas* insulæ sunt octodecim aut viginti numero, quas *de los Reyes*, *Arzipelago*, sive insulas *Coralli* vocant, necnon aliæ complures *de los Jardines* dictæ. Est hic hic *Pialogo* insula, & *San Vilan* prope *Jardines*, aliaque *de los Matalotes*, uti & *de Aracifes*, & *Sant Iuan* sive *de Palmas*, propè *Moluccas*.

Ad Boreale latus *de los Ladrones*, quinque aut sex conjunguntur, quas *Volcanes* vocant, quæ copiosè *Cochinillam* sufficiunt, uti & *Malpelo*, quæ *Cinaloes* fert. Ad Orientalem partem *de los Ladrones*, conspiciuntur *de dos Hermanas*, insulæ binæ, altitudinis grad. decem, adhæc *S. Bartholomæi* altitud. grad. quatuordecim & amplius. necnon scopuli *Miracomotas*, *Quitavenio* sive *Catanoduermas*, & non longè ab his *S. Martini* insula & *Sant Pablo* insula vadis obsessa, præterea *la Poblada* maximè Orientalis versus *Novam Hispaniam*. Anno 1527 exscenderat in insulas *de los Ladrones* *Alvarus de Saavedra*, ex insulis aromatiferis in *Novam Hispaniam* revertens.

CAP. XXVIII.

In quo de Supremo Indiarum Concilio, & spirituali Ecclesiarum in his locis regimine, sub auspicijs Regis Catholici, agitur.

Postquam Reges Catholici Castellæ & Legionis Novum hunc Orbem Indiarumque ferè omnem Occidentalem sceptris suis adjunxissent, hoc omnibus studijs egerunt, ut easdem terras populumque altis paganismi tenebris immersum salutaris Christianæ religionis doctrina imbuerent; & certis politix legibus in ordinem revocarent. Atque hunc in finem, ex consilio prudentissimorum virorum, constituta ab ipsis fuit *Curia Suprema*, suum habens Præsidentem, & Consiliarios, quibus hoc unum in mandatis datum fuit, ut quæ ad gloriæ divinæ propagationem

D E S C R I P T I O I N D I Æ

& terrarum istarum felicitatem facerent, impensè curarent. Cum verò postea dicendum nobis sit, de ijs, qui primum, qui deinde, qui in hunc usque diem Curiam hanc constituerunt, & Indiarum res curâ & consilijs suis moderati sunt; nunc dicere institui, quâ possum brevitate, de Spirituali & seculari *Novi Orbis* regimine ac jurisdictione, ea solummodo in medium adducturus, quæ memoratu digna erunt, & ad cognoscendam novæ hujus Monarchiæ formam ordinemque facient.

Primum quidem hoc antè omnia supradicti Reges primis terrarum istarum detecto-ribus, gubernatoribusq;, & quotquot postea ijs successere, mandaverunt & rigidissimis edictis super hac re conceptis præscripserunt, ut populus, quem eò ad formandas hic illic colonias essent deducturi, ita vitam, ac mores suos componeret, ut vitæ sanctioris ac inculpatæ exemplo ad religionis suæ amorem Indorum gentem pellicere posset. Ideoque voluerunt, ut primi ibidem, secundum Evangelicæ legis præscriptum, docerent Religiosi & suavi potius concionum, ac adhortationum voce ad se invitarent rudem populum; quam armorum vi ac metu adigerent. Quin & justitiam ac jus sine personarum respectu singulis administrari imperaverunt, ut partim religionis, partim juris ac æquitatis rigidâ observatione famam sibi gratiamque apud indigenas conciliarent.

Iamque augeri nostrorum numerus in *Novo orbe* insigniter incipiebat, & pietatis ac Christianismi doctrina mirificè incrementa de die in diem capiebat, usque adeò, ut in istis terris hodie reperiantur Archi-episcopatus 5. Episcopatus 27. Academiae duæ, artium omnium & scientiarum professione florentissimæ, cœnobium plus quam 400, Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinianorum, Mercenariorum, Iesuitarum, necnon aliquot Monialium Cœnobium, Collegia, Xenodochiorum infinitus numerus, plurimæ scholæ & gymnasia erudiendæ juventuti dicata, (Hispani *Dotrinas* vocant) Eremitæ denique, & pœnitentiarij sine numero. Atque hæc omnia Regis sumptibus exstructa ejusdem munificentia conservantur in hunc usque diem, licet nullis eadem impensæ redivis redimantur. Quamobrem magnis hic successibus promovetur Christi negocium, & longè lateque se diffundit Catholica fides, conferente ad hanc rem omnes suas curas & cogitationes Supremo Indiarum Concilio. Accidit hoc ipsum indulgentia & permissu Apostolicæ Romanæ Sedis, quæ Ecclesiarum *Novi Orbis* patrocinium Regibus Castellæ & Legionis concessit. Atque hoc in negotio summa Dei Opt. Max. & bonitas & potentia eluxit, quæque hujus cœpti & sanctissimi instituti eventum moderata fuit, divina Sapiencia. Et sanè docuit postmodum experientia, non aliâ commodiore viâ tantæ molis opus confici potuisse, tanto religionis, politiæ, justitiæ, & imperiorum undique consensu.

Idem hic viget Ecclesiastici regiminis ordo ac modus, qui in regno Granatensi. Offerunt siquidem Catholici Reges Pontifici solos Archiepiscopos & Episcopos eximiæ pietatis ac eruditionis viros, ut è manu ejus Prælaturas accipiant, & quibus auctorantur, Bullas. Reliqui dignitarum & beneficiorum gradus ordinesque penes Regem sunt, & Supremam Indiæ Curiam. Romam Bullas petitori non abeunt; redivisusque ipsorum ex decimis & primitijs frugum, quas Castellani incolæ pendunt, colliguntur. In maximâ enim harum Indiarum parte, decimas non solvunt indigenæ, & ubi decimæ deficiunt, eadem ex redivisus regijs suppleantur. Decimas quod attinet & agrorum primitias, quâ nempe ratione exsolvi debeant, multis varijsque constitutum est legibus & edictis, quæ ad formam & tenorem Edictorum Castellæ concepta sunt. Equissimum enim videtur, ut Castellanorum coloniæ & nostrarium quasi propagines, iisdem, quibus ipsi, legibus adstringantur. Et quanquam Pontificis indulgentiâ jus de decimis disponen-

disponendi penes Reges sit Castellæ & Legionis, easque in suos usus convertere possint, tamen eas Prælati eorumque Ecclesijs largiuntur, & quæcunque ad templorum structuram aliasque necessitates requiruntur, liberaliter sufficiunt, uti & calicem, campanam & altare.

Plurima verò super decimarum distributione, & in Prælatos, Canonicos, Cathedralis, pastores, sacerdotes & Indorum doctores erogatione à Supremo Indiarum Concilio statuta & edicta formata sunt. Ac primò quidem omnes hosce, & quotquot Indorum institutioni præficiuntur, vitæ probatæ esse oportet, linguæ Indicæ peritos & humanioribus disciplinis exultos. Ad hæc, ut suo quisq; doctor ac pastor adsit cœtui & parochiæ parochus; & ne duplici eorum quisquam beneficio ac mercede gaudeat, cautum est. Ut verò certius de horum constet probitate ac eruditione, nulli clericorum in has oras se conferre licitum est, nisi conscio Prælato suo ac Rege. Quod si verò absque horum mandato & litteris quenquam huc venisse compertum sit, confestim is ad suos remittitur.

Ut verò planius constet, quâ ratione & modo Regis hic imperium & potestas vindicetur (proprie jura patronatus vocant) statutum est, ut in prævaricantes quoslibet animadvertant, Regis vicarius, Audientiæ, Governatores, & Iudices. Primum quidem nulli fundare licet Cathedralis ullam Ecclesiam, Parochiam, Cœnobium, Xenodochium aut templum votivum, nisi impetrato Regis consensu. Quod si contingat Cathedralis Ecclesiam non habere apud se actu residentes quatuor Canonicos, per regiam oblationem & Canonicam provisionem Prælati promotos, (sive beneficia ista vacant, sive qui ijs fruuntur ultra octomestrem ab Ecclesia sua, vel justâ de causa, absint) Prælati munus erit, quoad à Rege facta fuerit oblatio ac præsentatio, ad tempus, sive uti loquuntur, provisionaliter, quatuor alios eligere, & quidem maximè idoneos, licet istiusmodi provisio ratæ possessionis titulum nondum habeat, sed nutu Regis mobilis sit, ijsque ipsis sic electis nondum aut in Choro, aut in Capitulo locus concedatur. Prætereà nulli Prælato licet Canonicatum instituere, aut præbendas beneficiaq; largiri, sine præviâ Regis oblatione, usque adeo, ut ea impetratâ absque mora beneficia concedat, dignitatumque fructibus ac emolumentis frui eos sinat. Decretum quoque, ut in municipiorum, dignitatum ac præbendarum donatione eorum potissimum habeatur ratio, qui doctrinâ & eruditione præcellunt, quique in Cathedralibus Castellæ Ecclesijs sacra obiverunt, & in Chori municipijs exercitati sunt. Item, ut singulis Cathedralibus Ecclesijs ad minimum præficiatur Iureconsultus unus Graduatus, (sit veniâ verbo) & Theologus unus concionator, iisdem legibus, quibus in Hispania Canonici, doctores, & magistri: & insuper eligatur Theologus doctrinâ insignis, qui sacras litteras prælegat; una cum Iureconsulto vel Theologo, qui obeat Canonicatum pœnitentiæ, juxta decreta concilij Tridentini. Ut verò vacantibus beneficijs, & pastorum muneribus, secularibus, spiritualibus, omnibusque alijs Ecclesiasticis functionibus in tempore prospici possit, & regis in ijs vindicari jus ac authoritas, hunc in modum de ijs statutum:

Si quando contingat functionem aliquam in Ecclesiâ vacare, Prælati erit affixo hic illic programme hoc ipsum tempestivè indicare, eosque, qui operam suam oblaturi erunt, examini subijcere, & exploratis ipsorum tum moribus, tum progressu, duos ex ijs nominare. Mox pro-regis, Camerae, sive Governatoris provinciæ erit unum ex ijs eligere, cui postea Prælatus provisionem & Canonicam institutionem conferet, non perpetuæ possessionis titulo, verum ea lege, ut si quando oblationem fecerit Rex, & in eâ expressum fuerit, ut collatio & Canonica institutio fiat in perpetuum,

D E S C R I P T I O I N D I Æ

De Collatione beneficiorum.

tuum, & non per provisionem, rata sit prior provisio. Quod si verò in ijs locis, quæ ab Indis habitantur, deerunt redditus ac beneficia alendis Clericis aut pastoribus, qui Sacramenta aliaque sacra obeant, curabit prælatus, ut pastor isti loco præficiatur, & præmisso unius aut duorum examine, nomina eorum ad regios Officiales transmittet, hoc fini, ut unum ex duobus nominatis, aut si unus solummodo sit, eundem eligant: quâ electione impetratâ beneficium illi provinciamque confert prælatus, præscribens illi rationem & modum docendi, mandansque, ut dignitatem illam cum fructibus ac emolumentis accipiat. Statutum etiam, ut munia quælibet & beneficia in illos conferantur, qui maxime ijs digni videbuntur, quorumque in Indorum conversione & Sacramentorum administratione perspecta fuit sedulitas, uti & in illos, qui Indorum linguas probè callent. Item, ut illi, qui à rege oblationem postulare volent, primum se coram provinciarum rectoribus ac officialibus sistant, ibidemque consilij sui ac petitionis summam exponant, & familiam suam, eruditionem, mores fide dignis testimonijs ijs ipsis probent. Nec minus in hæc ipsa studiose inquirent Officiales supradicti. Moxque eundem ad Regem mittent, instructum quoque litteris *ovsalungis* prælati sui. Quæ omnia nisi religiose observentur, ad munus capessendum admitti non poterit. Nulli quoque in unâ eademque Ecclesia, aut etiam in diversis duplici beneficio frui, aut gemino munere fungi licet. Si præsentatus, sive ad munus electus, non compareat intra præscriptum ac debitum tempus coram Prælato, nullius hæc erit electio valoris, nec ulla canonica formari poterit institutio.

C A P. XXIX.

De spirituali regimine, bonis defunctorum, matrimonijs, ac S. Inquisitionis Officio.

De Xenodochijs & Nosodochijs.

De bonis defunctorum.

Nulli Cathedralis Ecclesiæ Canonico reddituum istius Ecclesiæ fruitio conceditur, nisi in eâ resideat & sacra ipse obeat, nec fas est, ut in Indorum pagis beneficijs quisquam gaudeat, nisi officio aliquo & munere fungatur. Statutum etiam, ut in novis passim colonijs fundentur Xenodochia & Nosodochia, in usum pauperum & ægrotorum, modo contagiosis morbis non laborent, utque hæc ædes publicæ propè ipsum templum exstruantur: Item, ut in usum eorum, qui peste ac contagiosis morbis laborant, ædificetur Nosodochiû peculiare, loco solitario & edito, nec noxijs ventis exposito. Quoniam verò edoctus est Rex, bona defunctorum hisce in locis, aut difficulter aut serò ad hæredes legitimos transire, sive testamento, sive ab intestato hæreditatem adcant, & magno horum damno testamenta effectum suum non sortiri, statutum est: ut quotquot è Castella huc commigrant, se quamprimum apud Magistratus secretarium sistant, & nomen suum ac cognomen, & locum natalem in tabulis publicis annotari curent, ut hac ratione, si mori aliquem contingat, in amicos & hæredes inquiri commodius possit. Item, ut ordinarius loci Iudex, una cum consiliario & magistratus secretario, in bona defunctorum diligenter inquirent, eorumque Syllabum conscribant præsentate secretario & juratis testibus, bonaque omnia annotent, una cum ipsorum debitis & creditis, utque mox eadem divendant & cistæ pecuniam includant, quæ tribus clavibus, quas supradicti asservabunt, obserabitur. Hæc ipsa autem bona auctione publica divendi necessum erit, sub fide & cautione secretarij, & si res exiget constituen-

dus

duo quoque erit bonorum procurator. Insuper eorum, qui jus istis in locis populo dicunt, munus est, rationes accuratè exigere ab ijs, quorum curâ bona defunctorum divendita sunt, precium omne ab iisdem reposcere, & in arcâ supradictâ asservare. Quod si verò testamentum scripserit defunctus, & præsentes adsint hæredes, ad Iudices ejus cura non pertinebit, sed solummodo in defuncti hæredes, legitimi-ne illi sint an illegitimi, inquirent.

Præterea supradicti, Iudex nempe, consiliarius & secretarius, omnia defunctorum bona ad domum *Contractation*, Hispali transmittent, additis nominibus & cognominibus ipsorum, nec non habitationis sede & bonorum syllabo, ut hac ratione in hæredum ea manus perveniant. Adhæc rationes procuratorum ad Supremum Indiarum Concilium transmittentur. Magistratus quoque curiose inquiret, an fraus aliqua facta sit in bonorum administratione, & si quid tale acciderit, eâ de re certiosem faciet Supremam Curiam. Iidem procuratores rationem suæ administrationis reddent dicto Magistratui, solutis impensis omnibus. Quotannis apud Gubernatorem provinciæ exponere oportet nomina omnia eorum, qui eo ipso anno è vivis excesserunt, & bonorum Syllabos sive Regesta, ut ea transmissa Hispali hæredibus cedant. Quælibet Camera Iudicem habebit bonis defunctorum præfectum, qui Commissarios suos per omnes istius Camera tractus mittet ad colligendas rationes, & si negligentia hac in parte peccabitur, inquirere in rem omnem jubentur ipsi Camera iudices, rationesque propius excutere. Quoniam verò Catholici reges edocti sunt, quamplurimos Castellanos desertis conjugibus & liberis in hæc loca commigrare, cujus rei indignitas non solum Deum De conjugibus. Opt. Max. gravissimè offendit, verum etiam harum regionum felicitati non parum præjudicat, cum hujusmodi homines fixam hic sibi ac perpetuam sedem minimè delignant, & quæ ad familiarum decus & ornamentum, coloniarum incrementa, agrorum culturam faciant, minus curent, utpote ab uxoribus & liberis suis longè sepositi: supradicti Reges, quo tantis malis commodè obviam iri posset, decreverunt, ut quotquot in his regnis commorabuntur uxorati & matrimonio nexi, quamprimùm ad uxores suas & liberos in Castellam remeant, nec eò se denuò conferant, nisi adductis unâ uxoribus, aut postquam has fati concessisse probaverint. Renovatum aliquoties fuit per universum Novum orbem hoc decretum, & ut rigidè executioni mandaretur, gravi pœna sancitum.

Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, quo tempore primum De S. Inquisitionis Officio. Novus hic orbis detegi cœpit, Spiritualis hic Iurisdictio constituta est. Etenim *Philippus II.* cognomento *Prudens*, rex Catholicus, apud animum suum revocans, inter alia beneficia nullum majus præstantiusque Indis divinitus contigisse, salutari Evangelicæ doctrinæ luce, qua plurimos ipsorum cœcutientes, eheu, & palantes misericors Deus illustravit; & nihil magis necessarium esse, quam ut divinus cultus, & quæ ex ejus rigida observatione Castellanis incolis, tum ducibus tum privatis accrescit dignitas & existimatio, facta rectâ conserventur; adhæc considerans, eos, qui à Catholicâ fide & Romanâ Ecclesiâ alieniores sunt, in erroribus suis ac hæresibus pertinaciter perseverare, & Heterodoxias suæ scabiem tum privatis colloquijs, tum libellis, alijs adfricare, nec ullum salutarius remedium excogitari posse, quam ut hæreticorum familiares conversationes sedulò vitentur, & errores ipsorum juxta Canones sacros & leges horum regnorum puniantur, ne serpat porrò ad indigenas harum provinciarum pestilens tot hæresium contagio: Decrevit & sancivit, approbante Cardinali *D. Diego de Espinosa*, *Siguenzæ* Episcopo, & generali istorum regnorum Inquisitore, viro singularis prudentiæ &

D E S C R I P T I O I N D I Æ

tia & rara virtutis, ut in *Mexico* urbe erigeretur sancti hujus officij sive *Inquisitionis* Curia, quæ ad Novam Hispaniam & reliquam Indiæ Septentrionalis partem attendat, necnon alia in civitate *de los Reyes*, quæ Peruviam curet & Indiam Meridionalem. In quibus Curijs non de ijs tractabitur, quæ Indos, sed quæ ad Castellanos aliasque nationes hic commorantes pertinent; Ita, ut aliò provocare non detur, nisi ad hoc Concilium, more & legibus in Hispania receptis. Ad hujus verò negotij tam ardui consummationem *Philippus secundus* Anno 1570 in civitate Madrid 16 Augusti potestatem plenariam concessit Apostolicis inquisitoribus, ad occurrendum hæreticorum perfidiæ, apostasiæ, & hæresibus; decretumque, ut Officiales alijque hujus Inquisitionis ministri sedes ibi doli gant in *Mexico*, & *de los Reyes* civitatibus, & regias constitutiones, quæque muneris sui sunt, fideliter exequantur; utque his ipsis operâ suam & auxilium, quoad possunt, commodent *D. Martinus Enriquez*, & *D. Franciscus de Toledo* regis vicarij, alijque Novæ Hispaniæ & Peruviæ duces, Curia, Iudices, gubernatores; & ut Inquisitorum & Officialium S. Inquisitionis titulo ornentur; qua de re suo loco latius agendum.

C A P. X X X.

De formâ imperij, qua uti solet Supremum India Concilium, deque Camerarum fundatione & regijs istorum tractuum Cancellarijs.

*De India-
rum regi-
mine.*

*De Supre-
morum
Indicarum
Concilio.*

Catholici Reges magnis adducti rationibus Supremum aliquod rerum Indicarum Concilium erexerunt, quod tot & tantorum negotiorum molem humeris quoque suis suffulciret, & totius Novi orbis imperium consilio suo moderaretur. Constitat Concilium hoc ex Præsidente, Consiliarijs octo, aut pluribus etiam, si res exigant, fiscali, secretarijs, Scribis, Relatoribus alijsque Officialibus, ex Curia rationum, in qua de rebus regis agitur. Convenire solent Concilij istius Senatores singulis hebdomadibus ter, & tres horas matutinas, duas verò vespertinas, de regni rebus deliberant, nisi forte ferias imperet dierum festorum religio. Hic de officiorum & beneficiorum collationibus agitur, ita tamen, ut, quæ in India conferuntur, non nisi impetratis regijs litteris ratae sint. Constitutum quoque, ut penes hos sit suprema Jurisdictio, & potestas leges condendi, examinandique statuta prælatorum, Capitulorum, & Conventuum religiosorum, necnon pro-regum, Camerarum & conciliorum subordinatorum, utque passim obsequium ipsis, fides, & obedientia ab omnibus, & singulis præstentur: Ut regimen Indiarum ad horum regnorum formam componatur, utque speciatim Concilium hoc attendat ad ea, quæ harum regionum gubernationem concernunt. Et si quando lites forenses arduæ & majoris momenti decidi non possunt, in consiliorum societatem advocantur Regis Consiliarij, quibus priori Concilio adjunctis suffragiorum pluralitate deciditur; nempe quando lis est de precio minore pennis quingentis: Verum si lis sit de precio pennis 10000, secundæ supplicationi locus erit. Idem Concilium in conferendis muneribus ac beneficijs ad præscriptum supradictarum constitutionum se componet: Quod si verò alicui gratificari volet, ex plurium suffragio hoc fiet. Causas, de quibus statutum fuit bis, tertium non admittet, & quoad fieri potest brevissimo tempore, lites expediet. In benè meritos functiones & munia conferet, nequaquam verò in consanguineos, aut alia quadam ratione Curiae supremae obstrictos, quibus

quibus ipsis quoque nec sollicitatoribus nec procuratoribus in eodem Curia esse licet; Hoc ante omnia cavendum, ne munerum largitionibus corrupti Curia Senatores *περὶ σωτηρίας* sint.

Secreta quoque Curia eliminare nulli fas erit, & potissimum curabit Consilium hoc, quæ ad conversionem & institutionem Indorum, & spirituales eorundem gubernationem facient. A litibus 600000. *Maravidijs* (numismatis genus est) ad Curiam hanc institui poterit provocatio. Item à sententijs latis super quinque casibus, mortis nempe naturalis, mutilationis membrorum, aut alius modi vulnerum, publicæ ignominia ac denique torturæ. Præses, si doctrinæ titulo insignis sit, suffragium dicet de regni rebus & favoris casibus, non autem de causis forensibus, quo liberius & expeditius Camera negotijs vacare possit: si verò illiteratus sit, suffragium non dicet, nisi in casibus favoris. Idem potestatem habebit indicendi Concilium, & domi suæ celebrandi: negotiaque omnia de quibus deliberatum ac determinatum est, in acta publica referri curabit: Ad hæc nulli ex hoc Concilio conceditur commerciorum societate cum mercatoribus inire. Cum autem necessarium omninò sit, ut in Concilio Fiscalem habeat, idem huic, quod consiliarijs, assignabitur salarium. Et instrumenta omnia publica S. Inquisitionis officium concernentia eidem tradentur. Hic Fiscalis capitulationes regias in tabulas publicas referet, nec non litium & causarum disceptationes, lites non protrahet, postulataque ipsius, aut eorum, qui se hisce opponunt, admittentur, si ita Senatui supremo visum. In acta quoque publica omnium decretorum ac conclusionum summas referet, & qui officialium quotannis relationes suas ad Senatum mittere negligent, studiosè sciscitabitur. Constituto Supremo Concilio, etiam ea, quæ Iustitiam & Iuris *De Curia sive Audientijs Indorum.* correpti incolæ suum cuique tribuere discant. Ideoque Reges Catholici, quibus & cultus divini incolumitas & subditorum suorum salus, commoda, tranquillitasque cordi erant, varijs in locis constitui voluerunt Curias, sive Audientias & regias Cancellarias. nec non leges & statuta, secundum quæ jus populi omnibus & singulis dici posset.

Prima Curia sive Camera in civitate *S. Domingo* in insula *Hispaniola* fundata fuit, Præsides sortita gradu licentiæ aut doctrinæ clarum. Hac verò tempestate illi præ- *Curia Hispaniola* est Præses belli studijs & arte militari celebris, titulo Capitanei Generalis. Adjuncti huic sunt Iudices quatuor *παῖδες*, quibus & civilia & criminalia curæ sunt, in casibus provocationis, & prima etiam instantia in negocijs ipsius Curia. Præfectura verò ipsumque districtus regimen Præsidi soli (is hodierno tempore *Antonius est Osorius*) commissum est.

Secunda Camera in civitate *Mexico* constituta est in *Nova Hispania*. Primus in ea Præsides egit *Nunius Guzmannus* sed minori authoritate. Hujus quoque Camera præ- *Curia Mexicana* ses fuit Episcopus *Sebastianus Ramirez*, penes quem horum regnorum tum temporis fuit imperium & suprema potestas. Hic in optimum ordinem ea, quæ Curiam hanc & Iustitiam concernunt, redegit. Idem Præses Pro-regis quoque officio fungitur (is nunc est Comes de *Monterrey*,) cui Consiliarij additi sunt octo, res civiles curantes, & etiam, si provocationes instituantur, ea quæ præfecturam concernunt. Tres habet Curia hæc Prætores in criminalibus virgiferos, ad quos criminalia pertinent: Fiscales quoque duos, unum civilibus, alterum criminalibus præfectum. Pro-rex iste præfecturas aliasque dignitates, quibus vult, mandat, ijs exceptis, quas sibi Rex reservat.

L

Tertia

D E S C R I P T I O I N D I Æ

Curia Panamensis. Tertia Camera *Panamensis* fuit, in *Terra Firma*, quæ sic dicta est, quod primum in has terras ex Insulis trajecerint Castellani. Et quanquam alias in continente regiones reperivissent, sola tamen hæc *Terra Firma* nomen retinuit, cum antea *Castella aurea* dicta esset; quo nomine eam appellari voluerunt Castellæ Reges. Quo tempore verò *Peruvia* imperium latius diffundi cœpit, Anno nimirum 1542, translata fuit hæc Camera in civitatem *de los Reyes*, in qua Vicarius Regis (is hac tempestate est *D. Ludovicus de Velasco*) sedem fixit, & præfecturam hujus districtus administrat, uti & aliarum *de los Charcas*, & *del Quito*. Habet hæc *de los Reyes* Camera Consiliarios octo, tres Prætores, Fiscales duos, iisdem quibus *Mexicana* legibus fundata. Pro-rex, qui in urbe residet, Præses hujus est Curia, atque etiam aliarum duarum quoties in illis tractibus commoratur. Hic varias Indorum præfecturas, quæ in hoc territorio subinde vacant, quibus vult demandat.

Curia Guatemala. Quarta Camera in *Confinium* provincijs fundata fuit, & cum minus hic necessaria esse videretur, aliò translata est, Anno verò millesimo quingentesimo septuagesimo denuò fundata est in civitate *Sant Iago* in regno *Guatemala*. Præsidentem in ea nunc agit Doctor *Criado de Castella*, cui additi Consiliarij quatuor, & Fiscalis unus, qui de criminalibus & civilibus negocijs dispiciunt, si quando provocatio fiat, & in primâ instantiâ in Camera negotijs. Rerum, quæ Curiam ipsam concernunt, administratio omnis, penes Præsidentem est, uti & præfecturarum hic illic aliorumque munitiorum temporalium distributio.

Curia novi Regni. Quinta Curia constituta est in urbe *Santa Fe de Bogota* in Novo regno *Granata*. Præsidentem habet hoc tempore Doctorem *Franciscum de Sande*, consiliarios insuper quatuor virgi feros, & Fiscalem unum, quibus eadem quæ prioribus competit auctoritas.

Curia Nova Galicia. Sexta Camera in civitate *Guadalajara* in novo Regno *Galicia* erecta est. Regentem habet, & prætores (Hispani *Alcaldes* vocant) tres, qui longo tempore sigillo & Registro caruerunt. Cum verò negociorum indies moles accresceret, concessum ipsis sigillum & Registrum, Præsesque ei præfectus fuit. Is nunc est Doctor *Sant Iago de Vera*. Prætereâ additi illi sunt Consiliarij tres virgiferi, & Fiscalis unus. Penes Vice-regem est *Novæ Hispaniæ* imperium.

Curia del Quito. Septima Camera in civitate *Sant Francisco del Quito* in *Peruvia* constituta est, quæ Regentem quoque & Prætores supremos habuit, sigillo carentes. Postea verò de præside illi prospectum. Is nunc est *Licentiatus Michael de Yvarra*. Habet eadem Curia Iudices virgiferos tres, & fiscalem unum edæm, quâ *Guadalajara* fiscalis, potestate instructum. Imperium, autem penes Vice-Regem *Peruviæ* est.

Curia de los Charcas. Octava Camera in civitate *de la Plata* constituta est, in Provincia *de los Charcas*, suum habens Regentem & Prætores. Postea præsidem accepit, & quatuor Iudices virgi feros, fiscalem unum, sigillum & Registrum. Hoc tempore Præsidis partes tuetur *Licentiatus Cepeda*, sibi que munitiorum distributiones reservat, reliqua ad dispositionem pro-regis *Peruviæ* pertinent.

Curia Panamais. Nona Camera fundata est in *Panamaide* urbe, suum habens Præsidentem, chlamyde & gladio inauguratum, idque bellorum causâ. Is nunc est *D. Alphonsus de Sotomayor*, donatus titulo Capitanei generalis *Terra firmæ*. Tres habet Iudices virgiferos, qui ad provocaciones in causis civilibus & criminalibus attendunt, & in primâ instantiâ ad causas quoque ipsius Camerae. Solus imperium habet hujus districtus.

Curia Chiles. Decima Camera erecta est in urbe *Sant Iago* in provinciâ *Chiles*, quæ quoniam minus

minus necessaria videbatur, aliò translata est. Constitutus in ea est Gubernator totus à Vice-rege dependens.

Fuit quoque in civitate *Manilla*, in insulis *Philippinis*, Camera, quæ abolita est, quia minus necessaria videbatur. Paucis retro annis hic restituta est, sub ductu & imperio Capitanei Generalis. Is nunc est *Petrus de Arnuia*, ejusdem Curia Præses. Cui additi sunt Iudices quatuor, & Fiscalis unus, eadem qua reliquæ Camera instructi auctoritate. Unicè enim hoc curant Catholici Reges, ut facta tecta maneat & secularis & Ecclesiastici status in his terris incolumitas, nec ullis hac in parte sumtibus parcunt. Idem quoque in his Curijs, qui in *Castellâ*, ordo observatur, si Camerarum Secretarios, & Scribas, Apparitores, Satellites, Relatores, aliosque Officiales spectes.

Curia Phi-
lippinarum

CAP. XXXI.

De negocijs, quæ à Supremo Indiarum Concilio ex Regis consensu pertractantur.

EA est hujus Monarchiæ & Imperij harmonia, is omnium partium & membrorum consensus, ut omnibus ejus Officialibus & ministris concessa sit conveniens singulorum munijis officijsque authoritas, reservata solummodo Regi eâ potestate, quæ autocraticum Principem decebat. Ideoque concessa est libera quorundam officiorum dispensatio Vicarijs regis, & Præsidibus, tum ut sua bene meritis constarent præmia, tum ut illustrior ipsorum esset authoritas. Verum harum, quas jam recensebo, dignitatum dispositionem sibi reservavit Rex.

In regno *Chiles* Gubernatorem constituit & Vicarium cum potestate constituendi inferiores in Indorum pagis magistratus.

Item in provincia *Tucuman*, ejusdem cum priore authoritatis; uti & in provincijs *del Rio de la Plata*, aliumque in *Popayan*, *Santa Marta*, *Cartagena* & *Veragua*.

Item in provincijs *Nicaragua* & *Costarica*, necnon in insula *Cuba*: & Capitaneum generalem, qui in civitate *S. Christophori del Avana* residet.

Sunt & aliæ Præfecturæ, nempe insulæ *Sant Iuan de Puerto rico*, *Venezuæ*, *Soconusco*, *Tucatan*, *Cozumel* & *Tabasco*, quæ singulæ potestatem habent de Indorum Magistratibus dispensandi, Insuper ad Regis donationem pertinent Præfecturæ *de Honduras*, *Insule Margaritæ*, *Floride*, *Nova Viscayæ*, & *Dorado*, *los del nuevo Reyno de Leon*, *de Pocomoros*, *Ygualsongo*, quæ dignitates perpetuæ sunt; sicut & præfecturæ *de Choco*, *Quixos* & *la Canela*, insularum *Salomonis*, *Santa Cruz de la Sierra* & *Nova Andaluziæ*.

Etiam sequentes Jurisdictiones (Hispani *Corrigementos* vocant) ad dispositionem Regis pertinent: nempe, civitatis *Cuzco*, *de la Plata*, fodinarum *de Potossi*, provinciarum *de Chicuito*, *de Andes de Cuzco*, urbis *Truxillo*, *Arequipa*, *Sant Iago de Guayaquil*, *Guamanga*, civitatis *de la Paz*, *Chiquiabo*, *Sant Iuan de la Frontera*, *Leon de Guanuco*, *Puerto Viejo*, *Zamora*, *Coloniarum delos Zacatecas*, *Nova Galicia*, *Cuenca*, *Loxa*, *Tunia*, Civitatis *Mexici*, *de los Reyes* & provinciarum *de Nicoya*.

Maximæ præturæ sunt hæ; nempe, civitatis *de Salvador*, provinciarum *de Guatemala*, & locorum mediterraneorum *Hispaniola*, *Nombre de Dios*, urbis *Chulutecæ*, provinciarum *de Chiapa*, *Zapotitlan*, urbis *de Nata*, *S. Marie de la Victoria in Tabasco*. Maximæ verò *Algaziles* sunt illæ, quas habet civitas *S. Domingo*, *Mexicum*, *Guadalajara*, *S. Iago de Guatemala*, *Panama*, *Santa*

De quibus
præfecturis
ipse Rex
disponat.

De quibus
Corrige-
mentos.

DESCRIPſIO INDIÆ

Fe de Bogota, S. Francisco del Quito, civitas de los Reyes, la Plata. Habent urbes hæ singulæ *Algazil* magnû, qui in ſenatu quoque ſuffragium fert, duos habens vicarios. Et in unaquaque Camera alius eſt *Algazil* magnus, poteſtatē habens nominandi duos alios vicarios.

Algazil
luine Quar-
ſitor aut la-
trunculator
reddi poſ-
ſit, Belga
provooft,
vocant.

Quod ad adminiſtrationem reddituum Regis attinet, præficiuntur his à rege ex conſilio ſupremi Indiarum Senatus, quam plurimi Officiales, Procuratores, Theſaurarij, Rationum adminiſtri & Commiſſarij, qui in Caſtella & India pro concreditis ſibi pecunijs fidejudent. Cumque incrementum indies caperet novum harum Indiarum imperium, viſum fuit duos in eodem Orbe conſtituere Pro-reges, unum in *Nova Hiſpania*, alterum in regno *Peruvia*, quorum eſſet procurare ea, quæ ad promotionem cultus divini, regis emolumenta, conſervationem inſtitutionemq; Indorum, conſervationē & amplificationem coloniaram in prædictis regnis faciunt. Et docuit ſanè experientia, magno hæc cum fructu & feliciffimo ſucceſſu ordinata eſſe. His regis Vicarijs multa ſpecialiter in mandatis dantur, & inter alia, ut Sanctû Inquiſitionis officium, quibus poterunt modis defendant propugentq;, quò ſalva religionis unitate ſpiritualis & ſecularis ſtatus vigeat, floreatque.

Ad hæc Vice-regibus & Iudicibus mandatur, ne proprias quiſquam habeat domos, ne ipſi commercia ineant aut mercaturam exercent, ne Indorum utantur ſervitio, ne munera ulla aut donaria accipiant, non pecuniam, non eſculenta aut poculenta, neve ipſi cauſas dicant, aut arbitros ſe interponant. Nulli licet advocati partes tueri, cujus vel pater, vel affinis, vel cognatus, aut filius conſiliarius ſit. Nulli Vice-regi, Præſidi, Conſiliario, rerû criminalium prætori, fiscali, aut horum filijs, nuptias in India contrahere conſeſſum. Nulli Gubernatori, Iudici, aut horum locum tenentibus hæreditatem adire licet, aut proprias ædes poſſidere, aut etiam mercaturam exercere in ſuo territorio. Præterea munerum collationes precio divendere, aut alteri locare nefas eſt. Nulli Gubernatori, iudici, aut ſummo prætori, quamdiu provinciam iſtam ſuſtinet, in ſuo diſtrictu uxorem ducere conceditur. Nec licet Conſiliario eſſe iudici, neque ullo fungi officio, per quod domo ac à reſidentia ſua loco abeſſe cogatur. Mandatum quoq;, ne Magiſtratus, in filios, generos, agnatos aut affines Præſidum, Conſiliariorum, Fiscalium, Camera officialium, aut redditibus regijs præfectorum conferantur, multò minus in ipſorum miniſtros, famulos, aliaque ipſis devinctos ratione. Concernit quoque hæc ipſa res regis Vicarios. Nulli quoque ſupradictorum officialium conceſſa eſt poteſtas, aliorum lites dubias, debita, cauſasque in ſe transferendi, aut Indorum laboribus gratis fruendi. Statutum quoque, ne quis Advocatus, relator & ſcriba, eaſdem, quas Conſiliarius aut Prætor, ædes inhabitet, & ne cauſidici ipſis Iudicibus inſerviant: Ne Conſiliarij Panamenses, ipſorumque uxores mercimonia ineant cum mercatoribus: Ne Conſiliarij, cujuſcunque tandem ſint Curia, magnam colant familiaritatem cum cauſidicis, advocatis, aut procuratoribus, & ne univerſum Curia corpus, nuptijs, ſponſaliorum celebrationibus & funerum exequijs interſit, niſi extrema fortè urgeat neceſſitas: Ne Collegialiter cives in viſum ac ſalutatum eant: Ne Conſiliariorum aut Curia Officialium quiſquam geminum munus obeat. Et quæ ſunt alia laudabiles conſtitutiones & leges ad rigidam juris in Novo Orbe obſervationem adminiſtrationemque facientes.

CAP. XXXII.

*In quo reliqua ad Indiarum regimen pertinentia
pertexuntur.*

Quoniam verò nihil à Catholicis regibus prætermiffum fuit, quod muneris ipso-
rum effet, hoc primò & antè omnia Viceregibus alijsque ministris suis deman-
darunt, ut quæ ad Indorum commoda & utilitatem facerent, curarent diligen-
ter, omniaque super hac re concepta decreta, leges & constitutiones rigidè exequeren-
tur. Cumque quæ ad politiæ ordinem faciunt, indies à Castellanis ediscant Indi, & de
illata sibi injuria subinde conquerantur, decretum, ne lites Indorum cum Indis, aut alijs
etiam, ordinario juris processu decidantur, aut in longius tempus protrahantur, uti pro-
curatorum, & advocatorum quorundam improbitate antehac accidit; verum ut quam
citissimè expediantur, salvis manentibus ipsorum ritibus & consuetudinibus, modo
manifestam non præse ferant injustitiæ speciem. Quoniam verò compertum est, frau-
dem aliquando fieri ex malefidâ idiomaticæ Indorum interpretatione, decretum, ut ea
per duos fiat interpretes, ea lege, ne his ipsis interpretibus de ijs, quæ ab Indis dicuntur
in causâ controversâ, conferre inter sese liceat. Præterea, priusquam munus il-
lud capessere ipsis liceat, fidei juramento adstringi eos necesse est, nec ulla donaria ab
Indis alijsque, qualescunque tandem sint, accipere fas est. Hi ipsi Curijs aderunt, si quan-
do de Indorum causis decisio fiet, si disceptentur lites, si examini subijciatur captivus,
nec domi suæ privatim Indorum causas audient, sed ad Curiam eos remittent. Interpreti-
bus nequaquam simul esse licet procuratoribus aut sollicitatoribus Indorum, & ne
quidquam ab ijs poscant, cautum. Quin Indorum bono constitutum est, ut supre-
mi Senatus fiscalis, patronus sit ac advocatus Indorum, eorumque causas coram Cu-
riâ defendat, & quæ ad eorum institutionem, & gubernationem necessaria erunt à Se-
natu supremo petat exposcatque. Atq; hoc quidem tempore Indorum quoque patro-
ni in regnis *Peruvie & Nova Hispaniæ*, legibus ad Indorum commoda & favorem con-
ceptis, constituti sunt. Iussu quoque, ut Scholæ erigerentur, in quibus Castellana lin-
gua doceretur, in gratiam Indorum, quo eam à teneris annis addiscat juvenus: nec
ulli Castellano mendico aut erronei hic loci commorari aut oberrare permittitur: si fiat,
curabunt proreges alijsque Curiarum Officiales, ut istiusmodi hominum genus in Ca-
stellam remittatur, & his regnis excedat. Adhæc coguntur, *Mestizes* sive Indo-Hispani,
aut artem aliquam addiscere, aut alijs servire. Specialiter quoque demandatum Præ-
latis, vice-regibus, Cameris, gubernatoribus, alijsque Iustitiæ ministris, ne, quod
magnâ summi numinis offensâ factitatum antehac fuit, puerorum inter Indos conju-
gia in posterum permittant, sed ætatis rationem habeant: nec *Caziques* (Indorum Re-
gulos) præter unam uxorem ducere sinant, utque omni studio barbarum illud cacoë-
thes abrogent, quo defuncto *Cazique*, alium mactare solent & prioris cadaveri ad-
sociatum una terræ mandare: Ut Indis liberrimam agendi res suas potestatem conce-
dant, tanquam liberis hominibus; quanquam & hoc curandum, ne nihil agant & ocio
diffuant: ut tanquam rerum suarum domini jus habeant de bonis suis pro lubitu di-
sponendi, modo bona-immobilia 30 dierum spacio præsentem Magistratu auctiori sub-
ijciant, bona verò mobilia dierum novem: Constitutum quoque, ut agri, quos Indi
morientes ab intestato relicturi erunt, ad habitationis ipsorum loca referantur: utque

*De Indo-
rum inter-
pretibus.*

DESCRIPſIO INDIÆ

*Nulli in
Indiã
mancipia
habere licet*

ipsis sine obstaculo merces suas publicè in foro divendere liceat: utque quos laudabiles habent ritus, leges, consuetudines, sartæ tectæ maneat: ut licitum ipsis sit Indicos procuratores in hæc Regna mittere, idque ad triennium: ut Residentiæ Iudicum per præconem in Indorum pagis proclamentur, quo unicuique de ipsorum constare possit præsentia: denique, ut quilibet pagus Indorum Nosodochium habeat, re ditibus sufficienter instructum. Quod ad servos & mancipia attinet, variæ super hac in principio fuere opiniones & receptæ consuetudines, verum postquam novæ Hispaniæ Præses factus fuit D. Sebastianus Ramirez, abrogata fuit ista habendi servos & mancipia consuetudo, quanquam ea ipsa inter Indos hæctenus obtinuerit. Statutum quoque, ne mancipia emantur, aut ab alijs accipiantur: neque in hæc regna introducantur, quantumvis justo bello victa victorib. cesserint, aut ex ijs locis advenerint, quæ extra lineam ac limites partitionis Castellæ ac Legionis regibus adjudicatæ, posita sunt. Cui malo ut commodius certiusque occurri possit, legibus cautum est, ne Indi in hæc regna ex alijs tractibus introducantur, quocunque tandem titulo.

*Edictum
adversus
seditiosos.*

Cum verò suprema imperiorum omnium lex sit tranquillitas & salus publica, potestas Vice-Regibus, præsidibus ac gubernatoribus concessa est, proscribendi ex hoc Novo orbe homines factiosos & turbulentos, & in Hispaniam mittendi. Ut verò aliquod quoque ipsorum Præfectorum licentiæ frænum iniiciatur, præceptum ipsis, ne quæquam prohibeant ad Regem ipsum aut Concilium ipsius scribere ea, quæ velint: nec fas est horum regnorum primoribus & gubernatoribus litterarum fasciculos, aut ullius, cujuscunque tandem sint, epistolia referare, verum liberum earum cursum permittere tenentur, & viarum, ac pontium, per quos comitant & remeant viatores, accuratam quoque rationem habere. Res bellicas quod attinet, concessa quoque Vice-regibus facultas conscribendi præsidarios milites, pedites equitesque: extruendi armamentaria, fabricandi machinas bellicas, propugnacula condendi, aliaque quæ ad regnorum conservationem necessaria erunt procurandi. Ut verò in ordinem cogantur, tum qui terra, tum qui mari militant, potestatem habent ijdem Proreges, constituendi Officiales, qui de delinquentium pænâ pronuncient, easque rigidissimè executioni mandent.

*De rebus
bellicis.*

*Domus
Contractuum.*

Quanquam verò, uti dictum, totius novi orbis regimen ex supremi Indiarum Concilij nutu ac imperio dependeat, tamen, quia necessarium omnino est, ut consiliorum sit societas & conspiratio quædam inter Indiæ præfectos & nostrates, erecta fuit in civitate *Hispani* Regia domus contractuum, *de Contractation*, quæ maximè ad executiones Decretorum Supremi Concilij attenderet, usque adeò, ut nulli licitum sit hisce se negocijs immiscere. Est autem Curia ista magnæ authoritatis, præsidem suum habens, qui quidem hoc tempore est *D. Barnardinus Delgadillo de Avellaneda*, adhæc rationum magistrum, thesaurarium, procuratorem negotiorum, Iudices tres, fiscalem unum, Relatorem, prætorem unum, notarios, apparitorem, commentariensem, aliosque Officiales. In insulis *Tenerife & de la Palma*, duo constitui solent Iudices, viri docti, quos regios Officiales vocant, sive Iudices Regestorum, quorum munus est prospicere, ut statuta & leges de vectigalibus & portorijs classium hac transeuntium observentur. Habet hæc Domus *Contractuum* suas leges & constitutiones, secundum quas ea & regi debet, & quæ juris sui sunt ac potestatis exequi. Præscriptæ etiam sunt Iudicibus leges, quas ipsos necesse est sequi in litium disceptationibus; quæ leges conformes sunt legibus Curiarum *Valladolid & Granada*. Specialiter autem domus istius Consilij & Officiales ea curant, quæ ad expediendas & adornandas Classes faciunt, utque tempestivo quæque tempore discedant,

discedant, ut advectæ ex Indiâ opes, auri, argenti margaritarum, aliarumque mercium locis publicis custodiantur, singulorum annotato pondere & valore, quò accurata & exacta omnium constet ratio. Conditæ sunt hæc leges, ne ministris peccandi, aut subditis de injuriâ conquerendi daretur occasio, verùm ut omnia ritè & decentet peragantur, ex placito Catholicorum Regum, & Supremi rerum Indicarum Senatus.

Quia verò crescente indies negotiorum mole, fieri non potuit, ut eâ, quâ debebant, *De Concilio privato.* celeritate illa ipsa conficerentur, erectum est à Philippo tertio domino nostro Concilium quoddam privatû, quod de de munijis omnibus Ecclesiasticis, necnon secularibus beneficijs disponit: Adhæc fundata sunt Collegia duo in quibus certis diebus de belli negotijs deliberant Præses, & tres rerum Indicarum Consiliarij, additis duobus aut tribus rerum bellicarum Senatoribus; alijs vero diebus de redditibus regis deliberant, Præses & Indiarum consiliarij, & duo ex Senatu regionum reddituum delecti, fiscalis, & secretarius Curia Indicæ.

Cum autem Catholicis regibus nihil æquè curæ sit, quàm hujus Novi orbis felicitas & prosperitas, certòque statuunt non posse felicius Evangelicæ doctrinæ semina propagari, quam sub ductu & auspicijs suis, adhæc quò magis tuta sit subditorum & incolarum novi orbis, necnon eorum, qui ipsum aperuerunt, & colonijs auxerunt, salus & fortunæ: declaraverunt ijdem reges, litteris suis Regijs datis Anno 1520 *Valladoli*, & Anno 1523 *Pamplonæ*, neque se, neque hæredes suos unquam passuros esse, ut Novi orbis provinciæ, aut insulæ, à regno *Castellæ & Legionis* separentur ac divellantur. Atque hoc ipsum interpositis regia fidei promissis ac verbis sanctè confirmaverunt.

CATALOGVS

Præsidentum, Consiliariorum, Secretariorum, & Fiscalium Supremi Indiarum Concilij, quotquot in hunc usque diem rebus Iudicis præfecti fuere ex quo primùm Novus orbis detectus fuit.

PRÆSIDES,

Iohannes Rodrigues de Fonseca, frater Domini de Coca, & Alaejos, Archiepiscopus de Rossano, Episcopus de Burgos, decanus Hispalensis, ea curabat, quæ ad expediendas Classes Indicas necessaria erant, donec à Ferdinando quinto in Curia præsidem est electus & negotijs Indicis præfectus, quo munere functus fuit ad tempora usque Caroli Quinti, qui Doctorem Mercurinum Gatinarum, magnum suum Cancellarium, omnium suorum Conciliorum Superintendentem esse voluit, ejusque ductu & consilio omnia geri, quam ob cau-

sam in omnibus Concilijs comparendi jus potestatemque habebat.

Presbyter Garcia de Loaysa Generalis ordinis S. Dominici, Cæsaris confessarius, Episcopus Osmensis, Archiepiscopus Hispalensis & Cardinalis.

D. Garcia Manrique, Comes de Ossorno, qui Hispali eò missus fuit, & præsidem egit, donec reversus fuisset Româ Cardinalis.

D. Lodovicus Hurtado de Mendoza, Marchio de Mondejar, qui postmodum ad regij præsidis & Senatoris in supremo Castellæ

DESCRIPſIO INDIÆ

ſtellæ Concilio dignitatem evectus fuit.

Licentiatus *D. Franciſcus Tello de Sandoval*, qui antea pars Senatus Indici, poſtmodum præſes in regiâ Granatenſi Cancellariâ fuit, & poſtea quoque in Concilio Indico præſedit.

Licentiatus *D. Iohannes Sarmiento*, pars quoque Senatus Indiarum, & poſtea præſes Cancellariæ Granatenſis, præſes quoque in Supremo Indiæ Concilio creatus fuit.

Lodovicus Quixada Dominus de Villagarcia, rebus caſtrenſibus ſive belli præſectus.

Licentiatus *Johannes de Obando* pars Supremi Senatus & Sanctæ Inquiſitionis in Concilio Indiæ & redituum regionum Præſidem egit.

Licentiatus *D. Antonius de Padilla* pars Supremi Caſtellanorum Concilij, & mox Senatus Ordinum, præſidis poſtea munus in Suprema Indiarum curia obiit.

Licentiatus *Ferdinandus de Vega & Fonſeca* pars S. Inquiſitionis, & mox Senator in Concilio redituum regis, præſidis quoque in Indiæ Senatu provinciam ſuſtinuit.

Licentiatus *D. Petrus Moya de Contreras*, primus fuit Inquiſitor in urbe Mexicana, & Archiepiſcopus ejuſdem civitatis, poſtea præſes Concilij Supremi rerum Indicarum.

Licentiatus *Paulus de Laguna* pars regij & Supremi Caſtellanorum Concilij, necnon S. Inquiſitionis, adhæc præſes in Senatu redituum regionum; præſes quoque Indici Concilij deſignatus fuit. Hoc tempore erigi cœpta eſt Curia regia, quam *de la Camara* vocant.

CONSILIARII.

F*erdinandus de Vega*, Dominus *de Grajal*, magnus *Legionis Commendator*, & præſes Concilij Ordinum.

Licentiatus *Lodovicus Zapata*.

Licentiatus *Moxica*.

Doct̃or *Santjago*.

Doct̃or *Palacios Rubios*.

Doct̃or *Gonzalvus Maldonatus*, Epico-
pus civitatis *Rodrigo*.

M. Lodovicus Vaca, Epico-
pus *Canaria*.

Doct̃or *Aguirre*.

Doct̃or *Mota*, Epico-
pus *de Badaioz*.

Doct̃or *Sofa*.

Doct̃or *Petrus Martir de Angleria*, abbas
Iamayca.

M. de Laffao, Cæſari à conſilijs, & Sena-
tor regni *Hispaniarum*.

Licentiatus *Garcia de Padilla*, Eques *de*
Calatrava.

Doct̃or *Beltran*.

Doct̃or *Galindez de Carvajal*.

Doct̃or *Bernal*.

Licentiatus *Petrus Manuel*.

Licentiatus *Rodrigo de la Corte*.

Licentiatus *Montoya*.

Licentiatus *Mercado*.

Licentiatus *Johannes de Yſunga*.

Licentiatus *Xuarez de Carvajal*.

Licentiatus *Alvaro de Loayſa*.

Licentiatus *Gutiere Velazquez*.

Licentiatus *Gregorius Lopez*.

Licentiatus *Franciſcus Tello de Sandoval*.

Licentiatus *Iohannes Salmeron*.

Doct̃or *Hernan Perez de la Fuente*.

Doct̃or *Garcilopez de Ribadeneyra*.

Licentiatus *Birvieſca*.

Licentiatus *Gutierne Lopez*.

Licentiatus *D. Iohannes Sarmiento*.

D. Iohannes Vazquez Arze.

Licentiatus *Villagomez*.

Licentiatus *Martinus Ruys Agreda*.

Licentiatus *Lope Garcia de Caſtro*.

Licentiatus *Xarava*.

Licentiatus *Valderrama*.

Licentiatus *D. Gomez Zapata*.

Doct̃or *Franciſcus Hernandez de Liebama*.

Licentiatus *Munioz*.

Doct̃or *Lodovicus de Molina*.

Licentiatus *Antonius de Aquilera*.

Licentiatus *D. Ferdinandus de Salas*.

Licentiatus *Iohannes Thomas*.

Doct̃or *Villaſanie*.

Licentiatus *Botellus Maldonatus*.

Licen-

Licentiatus *Otálora*.
 Licentiatus *Diego Gasca de Salazar*.
 Licentiatus *Gamboa*.
 Doctor *Gomez de Santillana*.
 Licentiatus *Espadero*.
 Licentiatus *D. Diego de Zuniga*.
 Licentiatus *Lopez de Sarria*.
 Licentiatus *Enao*.
 Doctor *Lope de Bayllo*.
 Licentiatus *Gedeon de Ynojosa*, Eques de
Santjago.
 Licentiatus *Villafanie*.
 Doctor *Antonius Gonzalvus*.
 Licentiatus *Franciscus Baltazar*.
 Licentiatus *Medina de Sarauz*.
 Licentiatus *D. Lodovicus de Mercado*,
 Doctor *Petrus Guterrez Flores*.
 Licentiatus *Petrus Diaz de Tudanca*.
 Licentiatus *Benito Rodriguez Valtodano*.
 Licentiatus *Augustinus Alvarez de Toledo*
 & de la Camara.
 Doctor *D. Rodrigo Zapata*.
 Licentiatus *Petrus Bravo de Sotomayor*.
 Licentiatus *Molina de Medrano*, Eques de
Santiago, & de la Camara.
 Licentiatus *Diego de Armenteros*.
 Licentiatus *Alphonsus Perez de Salazar*.
 Licentiatus *Conzalo de Aponte* & de la Ca-
 mara.
 Licentiatus *D. Iohannes de Ocan*, Eques de
Calatrava.
 Licentiatus *Ferdinandus de Saavedra*.
 Licentiatus *D. Tomas Ximenez Ortiz*.
 Licentiatus *Eugenius de Zalazar*.
 Licentiatus *D. Franciscus Ariaz Maldo-*
natus.
 Licentiatus *Andreas de Ayala*.
 Licentiatus *Benavente de Benavides*.
 Licentiatus *Roque de Villagutiene Chuma-*
zero.

SECRETARII.

Iohannes *Coloma*.
 Michael *Perez de Almazan*.
 Gaspar *de Gricio*.

Commendator *Lope de Conchillos*
Franciscus de los Cobos, magnus *Legionis*
 Commendator.
Iohannes de Samano.
 Commendator *Franciscus de Erasfo*.
Antonius de Erasfo.
 Commendator *Iohannes de Ybarra*.

FISCO PRÆFECTI.

Licentiatus *Franciscus de Vergaz*.
 Licentiatus *Prado*.
 Licentiatus *Martinus Ruyz Agreda*.
D. Franciscus Hernandez de Liebana.
 Licentiatus *Geronymus de Vlloa*.
 Licentiatus *Gamboa*.
 Licentiatus *Lopez de Sarria*.
 Licentiatus *Scipio Antolinez*.
 Licentiatus *Negron*.
 Doctor *Valenzuela*.
 Doctor *Marcus Caro*.
 Licentiatus *Benito Rodriguez Valtodanus*.
 Licentiatus *Alphonsus Penez de Salazar*.
 Licentiatus *Roque de Villagutieme Chu-*
mazero.

Gubernatores & Pro-reges, qui in hunc
 usque diem *Nova Hispania* & *Peruvia*
 imperium tenuerunt.

IN NOVA HISPANIA.

D. *Ferdinandus Cortezius*, Marchio del
Valle, Gubernator, supremus Iudex,
 & Capitaneus Generalis.

Licentiatus *Lodovicus Ponce*, e familia
 Ducis *Darcos* oriundus, iudex residentia,
 & designatus Gubernator, cui surrogatus
 est Vicarius.

Licentiatus *Marcus de Aguilar*, natus in
 oppido *Erya*, qui cum post bimestre e vi-
 vis excessisset, suffectus ei est thesaurarius
Alphonsus de Estrada natus in *Ciudad Real*,
 donec visum fuit Curia Supremæ, ut ejus
 imperium capesseret *Nunius Guzmannus*,
 Eques de *Guadalajara*, Gubernator in Pa-

M

NUCO,

D E S C R I P T I O I N D I Æ

nuco, donec Præses illi præfectus esset. Verum cum minus hic gratus esset, præses imperij Novæ Hispaniæ creatus fuit D. *Sebastianus Ramirez de Fuenleal*, Episcopus de *S. Domingo*, & de *la Conception*, præses Cameræ de *S. Domingo*, vir singularis prudentiæ, qui postmodum honorum satur in *Castella* obiit, Episcopus de *Cuenca*: atque huic successit Marchio *Ferdinandus Cortezius*, Capitaneus Generalis.

Primus qui titulo Pro-Regis aut Capitanei generalis Novæ Hispaniæ imperium tenuit, fuit D. *Antonius de Mendoza*, frater Marchionis de *Mondejar*.

D. *Lodovicus de Velasco*, Eques à familia Conestablij Castellæ oriundus.

D. *Gaston de Peralta*, Marchio de *Falces*.

D. *Martinus Henrici de Almansa*, frater Marchionis de *Alcanizes*, aulæ regiæ architrclinus.

D. *Laurentius Xuarez de Mendoza*, Comes de *Corunia*, cum jam designatus esset Peruvie gubernator, obiit, imperium interea temporis tenente *Petro Moya de Contreras* Archiepiscopo Mexicano.

D. *Alvarus Manrique de Zuniga* Marchio de *Villa manrique* frater Ducis de *Bejar*.

D. *Lodovicus de Velasco* filius supradiçti *Lodovici de Velasco* in Peruviam ad capeffendum imperium profectus est, ibidemque commoratur.

D. *Gaspar de Zuniga & Fonseca* Comes de *Monterrey* hodie imperat.

I N R E G N I S P E R U V I Æ.

D. *Franciscus Pizardus* Marchio de *los Charcas*, gubernator, Iudex supremus, & Capitaneus generalis.

Licentiatus *Vaca de Castro* Eques de *Sant-*

Iago, Senator Supremi Hispaniarum Concilij, titulo Capitanei generalis insignitus fuit.

Blasco Nuniez Vela, Eques de *Avila*, primus titulo Vice-regis & Capitanei Generalis regnorum Peruvix, imperavit.

Licentiatus *Diego de la Gasca*, pars Concilij Inquisitorum titulum Præsidis novæ Curix adeptus est, quæ in civitate de *los Reyes* constituta fuit, & insuper Gubernatoris generalis instructus potestate, conferendi nempe rerû bellicarû administrationem in quæ vellet. Etenim fatis concedebat Episcopus de *Siguenca*, ejusq; monumentû & trophæa in urbe *Madalena de Valladolid* conspiciuntur, mansitque imperium penes *Cameram de los Reyes*.

Secundus titulo Pro-regis & Capitanei generalis regna Peruviana rexit D. *Antonius de Mendoza*.

D. *Andreas Hurtadus de Mendoza* Marchio de *Canjete*.

D. *Diego de Zuniga & Velasco*, Comes de *Nieva*.

Licentiatus *Lope Garcia de Castro*, Senator in Supremo regio Indiarum Concilio, titulum Præsidis & Gubernatoris generalis adeptus est.

D. *Franciscus de Toledo*, frater Comitibus de *Oropesa*, regis architrclinus.

D. *Martinus Enriquez*, novæ Hispaniæ imperio defunctus, regnis Peruvix præfectus fuit.

D. *Garcia de Mendoza* Marchio de *Caniete*.

D. *Lodovicus de Velasco*, à novæ Hispaniæ imperio ad capeffendum Peruvix imperium profectus est, & certis de causis eò mittere decretum titulo Vice-regis & Capitanei generalis D. *Iohannem Pachero* ducem de *Escalana*.

F I N I S.

E P H E-

EPHEMERIDES

SIVE

DESCRIPTIO NAVIGATIONIS
AUSTRALIS

institutæ ANNO M. D. C. XV.

Ductu & moderamine fortissimi Viri

IACOBI LE MAIRE,

*duarum navium, quarum una Concordia, altera Cornu
dicta fuit, Prefecti.*

Benevolo Lectori.

Cum propositum nobis esset Geographicam India Occidentalis descriptionem oculis tuis obijcere, studiosè Lector, non abs re nos facturos putavimus, si Historiam quoque navigationis Australis per Iacobum le Maire instituta subjungeremus, utpote cujus beneficio novus jam in Mare del Zur sive Pacificum patet transitus, isque facilius, nec tot tempestatum periculis expositus, & compendiosior multò, quam per Fretum Magellanicum. Cum enim hoc centum miliarium habeat longitudinem, fretum Le Maire vix septem habet. Tu Lector his frue, & interpreti veniam da, si quid fortè hic illic occurrat, quod Tulliana latinitatis candidatos corrugare queat. Vale.

INSTITUTUS ANNO M. D. C. XXV.

Datus G. mohammide forisimè Nini

IACOBI LE MAIRE

ANNO REGNI, PHILIPPI REG. SECUNDI, ANNO CORN. 1697. P. 10.

Ad benevolum Lectorem.

Quandoquidem Dominis sive Praefectis Collegij Australis placuit in lucem edere genuinam & authenticam historiam Navigationis Australis instituta per Iacobum le Maire, qui membrum quoque istius Collegij & Praefectus duarum navium, quarum una Concordia, altera Horna vel Cornu dicta fuit, mense Iunio Anno 1615, Horna solvens, & 14. Iunij relicta Texela statione Australes terras exploratum ivit; Visum fuit istdem Dominis studiosum huius historiae Lectorem monere, Diarium huius navigationis ante hac per V Vilhelmum Iohannis Bibliopolam Amstelodamensem editum nomine V Vilhelmi Cornelij Schouten Naucleri, adulterinum & suspectae fidei esse, ab ipso in praedictum Collegij supradicti, & quae ex Australi navigatione peti possunt commodorum, temere divulgatum: Etenim hoc ipso Diario prater rei veritatem laus inventi novi Freti V Vilhelmo Cornelio Schouten tribuitur, qui non nisi Naucleri munus obiit in navis Concordia: nec istius navigationis consilia suggessit: imò planè istius via ignarus fuit, uti ipse fatetur in litteris ad Isaacum la Maire patrem Iacobi la Maire praefecti Horna datis Anno 1618. Illud certum est, nihil huic V Vilhelmo Cornelij Schouten innotuisse de hoc itinere, nisi vel ex relatu dicti Praefecti, vel ipsorum Dominorum Collegij Australis, quorum spem & expectationem turpiter sefellit Navarchus iste, uti ex totius narrationis serie liquet. Certè culpam praecipuam, quod male successerit Terra Australis continentis detectio in eandem Schoutium derivant, qui optimis Praefecti consiliis se opponens, de laudabili heroicae mentis proposito ipsum deturbavit, & ne in Terra Australis detectione, cuius detegenda apparebat spes certa, pergeret, impedit. Rectius se gesserunt alij Officiales & nominatim Adrianus Nicolai Hornanus, Commissarius navis Horna, qui cum alijs hoc omni studio & opera egerunt, ut susceptam Navigationem, quantum in ipsis fuit, promoverent, cum contra Navarchus Praefecti consilia sugillando, classarios in ipsum concitando, & quae muneris sui erant segniter curando, neglecta aconomia ratione, & inutili commeatus profusione, tam praeclearae expeditionis ceptum turbaverit. Imò toto itineris huius cursu plus obfuit quam profuit, & isto quod gessit munere indignus, minus quam lixa de publico meritis est. Vnde colligere est, quam exiguis imò nullis rationibus fretus V Vilhelmus Iohannis Bibliopola hunc Navarchum titulo Equitis Marini decoraverit, & meritis laudum praconijs Praefectum privaverit, magni animi & rarae fortitudinis virum, patriam Amstelodamensem, cui in solidum huius navigationis & detectorum locorum laus debetur, nec in partem huius laudis admitti debet V Vilhelmus Schouten, pessimè de mercatoribus Societatis Australis meritis. Quod si hoc nomine gloriam illam sibi deberi putat, quod socius fuerit navigationis, certè eodem jure laudem inventi freti le Maire sibi arrogabit quilibet classariorum. Etiam hoc notari volunt, perperam V Vilhelmum Iohannis Bibliopolam Diario suo praefixisse nomē V Vilhelmi Cornelij Schouten, cum ipse Schoutius neget illud opus suum esse, & factum V Vilhelmi improbet. Adhuc negant Domini Praefecti Australis Navigationis verum esse, quod idem V Vilhelmus Iohannis in sua ad Lectorem praefatione ait: nempe inter Isaacum le Maire & V Vilhelmum Cornelij Schouten inita consilia aut institutas deliberationes de suscipienda hac navigatione, multò minus verum esse affirmant, quod addit, contractum quendam inter ipsos initum, de comparandis pecuniis ad hanc expeditionem necessariis, cum non alia cōditione cum V Vilhelmo Cornelij actum sit, quam ut Navarchi partes sustineret. Illud verum est, convenisse inter Isaacum le Maire, & Petrum ac Iohannem Clementem Kies, nec non Iohannem Iohannis, qua ratione hac in Austrum navigatio institueretur, qui Navarchi operà usi sunt ad susceptum iter perficiendum, qui tamen tam improbè se in toto hoc negotio gessit, ut: iustam de illo conquerendi causam habeant Praefecti, quod suo tempore plenius ac planius docebitur. Quo autem fundamento, aut quibus rationibus adducti fuerint iidem Praefecti ad formandam Societatem sive Collegium Navigationis Australis, in sequentibus explicabitur.

*Extractum ex Regestis Decretorum Illustrissimæ ac Præpotentissimæ
Ordinum Generalium Fœderatarum Provinciarum,
Die Iovis 27. Martij 1614.*

Lectus est Libellus supplicis à Mercatoribus nonnullis harum Provinciarum Unitarum exhibitus, quo sibi veniam ac potestatem concedi petunt novas Regiones & Insulas, quæ in hunc usque diem detectæ non fuere, sed detegi per Dei gratiam ab ipsis possent, liberè adeundi, idque sex repetitis navigationibus, ita ut nulli fas sit ante præactas istas sex navigationes easdem adire aut frequentare, vel directè vel indirectè. Re verò ad accuratius examen vocatâ decretum fuit, ut iisdem Mercatoribus sua petitio concederetur, idque pro quatuor navigationibus, ea lege, ut præactâ primâ navigatione, D. D. Ordinibus significant, quo temporis intervallo reliquas navigationes confici posse credant: quin & hac conditione, ne hoc privilegium & indultum Illustrissimæ ac Præpotentissimæ Ordinum prioribus ullis privilegijs contraveniat, uti & hac: quod, si contingat à duarum & plurium Collegiorum sive Societatum navibus novos transitus ac vias detegi, uno eodemque anno, simul tunc hujus privilegij commodo fruantur, utque quæ hic incidere possent disceptationes & lites ab ipsis D. D. Ordinibus componantur ac decendantur.

Privi-

Privilegium sive Beneficium concessum omnibus ijs, quorum opera, & studio novæ Regionēs, Portus, Insulæ ac Viæ detegentur.

Ordines Generales Fœderati Belgij omnibus & singulis has litteras inspecturis, salutem: Quandoquidem ex re & bono hujus Republicæ esse judicavimus, ut insignis alicujus commodi spe animi subditorum nostrorum erigantur ad investigandas & inquirendas novas & hætenus incognitas maris vias, portus, & regiones: & ex Remonstrantijs Mercatorum variorum intelleximus, non paucos esse, qui ad hoc negotium operam suam, laborem, diligentiam & impensas conferre volunt, non sine spe certissimorum per Dei gratiam emolumentorum, modo à nobis impetrare possint Beneficium hoc, ut solis eorum locorum detectoribus concedatur ea ipsa loca adire, & frequentare, sex repetitis navigationibus, cum interdicto, ne quis antè consecutas istas sex navigationes ea loca adeat, frequentet, aut merces eò deferat: Nos considerantes profectum hoc laudabile esse, & cum maximorū commodorū expectatione conjunctum, omnibus & singulis nostrorum subditorum veniam damus exteras regiones adeundi, quin ad hoc ipsum eos invitamus, omnibusque, quorum primum operâ viæ, portus, regiones, aliaque loca detegentur, beneficium hoc ratum esse volumus; ut nullus præterquam ijs ipsis fas sit ad illa loca se conferre, nisi post consecutas à primis detectoribus quatuor navigationes, pœnâ confiscationis navium omniumque bonorum, nec non mulctâ 50000. Ducatorum Belgicorum, quæ primo istorum locorum detectori cedent: Hac lege, ut detector consecutâ primâ sua navigatione intra quatuordecim à reditu suo dies, nos de detectione certiores reddat, ut intellecto locorum intervallo tempus certum à nobis definiatur, intra quod reliquas navigationes conficere tenebitur; Nec hoc ipso Beneficio quidquam prioribus nostris Beneficijs ac Indultis præjudicatum aut derogatum volumus. Quod si contingat fortè, ut vel vno eodemque anno aut breviori tempore a pluribus eadem loca detegantur, simul pariterque beneficio hoc gaudebunt. Et si lites fortè ac dissidia oborientur ex variâ huius beneficij interpretatione, nobis earum peremptoriam decisionem reservamus. Ut autem de hac nostra voluntate & concessio Privilegio omnibus constet, jussimus per omnes Fœderati Belgij Provincias hoc ipsum publicari & locis publicis affigi.

Actum in Consessu Ordinum Generalium Haga-Comitis 27. Martij Anno 1614.

I. VAN OLDENBARNEVELT vid.

Subscriptum erat, Ex mandato Illustrium Ordinum Genscalium. Subsignaverat C. Aerffens. impresso sigillo eorundem Ordinum è cera rubra.

LITTE-

LITTERÆ FIDUCIARIÆ

Illustrissimi Principis

MAVRITII,

data Jacobo le Maire.

MAVRITIVS, Arausionensium Princeps, Comes Nassovia, Cattimelboci, Viandæ, Dietzij, &c. Marchio Veræ & Vlissingæ, Gubernator & Capitaneus generalis Ducatus Geldriæ, & Comitatum Hollandiæ, & Zelandiæ, Zutphaniæ, Occidentalis Frisiæ, Ultrajecti, & Trans-Isulanæ ditionis, Admiralius Generalis Belgij, &c. Omnibus Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Principibus, Rebuspublicis, & gubernatoribus Imperiorum, Regnorum, Ducatum, Rerumpublicarum, & Provinciarum, qui has præsentis litteras lecturi sunt, Salutem in Domino precatur, cum promptâ & benevolâ omnium officiorum oblatione. Quandoquidem utile semper & gloriosum Reipublicæ huic nostræ esse putavimus, si non solum cum vicinis nationibus pacem & concordiam factam rectam servaremus, verum etiam cum longè distitis populis nova iniremus fœdera, idque commerciorum, & mercantium in hac Republicâ bono: Notum facimus Illustrissimis Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Principibus, Rebuspublicis, & Gubernatoribus, quibus hæ nostræ literæ exhibebuntur, nos partim superioribus de causis, partim etiam petitione & rogatu dignissimi & nobis dilectissimi viri *Jacobile Maire* Amstelodamensis, duarum nostrarum navium, *Concordia* nempe & *Hornæ* Præfecti; & *Vilhelmi Cornelij Schouten* Hornani Navarchi navis *Concordia*, veniam potestatemque plenariam concessisse adeundi Imperia, & Regna *Tartaria*, *China*, *Japan*, *India Orientalis*, *Terra Australis*, Insularum & Regionum *Maris Australis*, aliarumque, quas fortè detecturi sunt; insulæ *Rotta*, vias transitusque *Septentrionales* & *Australes*, & si quas præterea invenire poterunt; etiam fœdera contractusque ineundi ubique locorum, commercia cum nullis non gentibus & nationibus exercendi, emendi, vendendi, & cuiusvis generis merces, quales sunt pelles, byssum, aromata, lapides, margaritæ, commutandi, & in has Regiones deferendi, etiam quas ipsi advehent merces vendendi, idque ex consensu & voluntate Magistratum, & eorum, penes quos istis in locis erit imperium: Adhæc Præfecto tanquam legato nostro & supremo Capitaneo, in mandatis dedimus, ut nostro nomine Imperatores, Reges, Duces, Principes, Respublicas de benevolo nostro in ipsos affectu persuasissimos esse velit, & auxilia harum provinciarum liberaliter offerat; Ideoque rogamus omnes & singulos suprascriptorum Imperiorum, Regnorum, Portuum & Stationum incolas & accolæ, ut hunc nostrum Capitaneum & ei substitutum, non solum amicè & benignè excipiant, verum etiam quibus possunt humanitatis officiis juvent: promittimus vicissim nos eadem benevolentia & humanitate excepturos & tractaturos naves, si quæ ex istis oris ac locis ad nos veniant, aut etiam istorum locorum indigenas. Illud denique dicto nostro Capitaneo *Jacobo le Maire* severe mandamus, ne quempiam cuiuscunque sit status aut conditionis offendat, lædat, aut hostiliter oppugnet, nisi primum laceffitus aut injuriam ac hostile quidpiam passus fuerit, quod si fiat, eidem mandamus, ut quam potest fortiter ac animosè se, naves, sociosque & merces suas tueatur ac propugnet adversus hostium impetus, & hac ratione testatum faciat, se non degeneri gente oriundum, cum jure gentium & populorum omnium vim vi repellere liceat.

Datum Hagæ-Comitis in Aula nostra Hollandica, 13. May. 1610. Subscripserat

MAVRITIVS DE NASSAV.

Paulò infra scriptum erat: Ex decreto Excellentiæ suæ, *Milander*. Signatæ erant littore Sigillo Excellentiæ suæ, è cerâ viridi.

E P H E M E R I D E S

S I V E

D E S C R I P T I O N A V I G A
T I O N I S A V S T R A L I S

Instituta A N N O M. D. C. XV.

Ductu & moderamine fortissimi Viri

IACOBI LE MAIRE,

duarum navium, quarum una Concordia, altera Cornu
dicta fuit, Præfetti.

ECIMO quarto mensis Iunij die circa vesperam flante Borea fe- ANNO
lici satis successu *Texela* enavigavimus. 1515.

xv. eodem acti vento iter versus angustias maris Britannici
sive Canalem *Plemmurium* instituimus, magna aëris serenitate. Ex
piscatore *Zirizeano* intelleximus, *Campo-veram* à nobis ad *Vul-*
turnum positam esse. Erat autem diei tempus pomeridianum.

xvi. summo mane placidum ventis stabat mare, conspectif-
que *Dwynkerka* & *Caletu*, per canalem solo maris refluentis æstu vehebamur. Hic *Hor-*
nanum nautam compellavimus, qui de nobis ad mercatores aut navium exercitores re-
tulit. Nocte vento adversum flante vela deduximus.

xvii. Cum minus faveret *Æolus*, versus littus defleximus, & non longè à *Castellis*
Britannicis anchoram fiximus. Hic navarchus noster *Vilhelmus Scout*, & *Daniel le Maire*
exscenderunt, ut *Dar-veni*, vulgò *Doverium* vocant, conducerent, qui tormentis bellicis
præfesset, simulque, quæ vacua erant, aqua denuò repleta sunt vasa.

xviii. Vento adverso impediti hic hæsimus. Præfectus noster *Iacobus le Maire*, una
cum fratre suo, alijsque Assistentibus (ita vulgò vocant) *Sandvicum* concesserunt, ut de
naupago sibi prospicerent, quem tamen hic sibi comparare non potuerunt. Circa vespe-
ram, recreatis victu corporibus, ad naves redierunt.

xx. Flabat *Aquilo*, ideoque solutis navibus *Doverium* prætervecti sumus, sub meri-
diem. Conspecta hic nobis fuit quadraginta navium classis ex *Hispania* veniens, sale o-
nusta, quæ aurantium nobis copiam fecit. Prospero satis successu hunc diem (natura-
lem intellige) navigavimus.

xx. Flante *Zephyro* anchoram fiximus, & *Berenster* conspeximus. Hic compellatus
nobis fuit nauta ex *Hibernia* veniens, alijsque ex insula *S. Michaelis*, quæ inter *Flandri-*
cas sive *Azores* est, quibus de comæatu nonnullo, panibus nempe & piscibus vento
induratis prospeximus.

xxi. Ultrò citroque cursum obliquantes parum promovimus.

xxii. Eadem erat aëris tempestat, pluvia nempe. Item fuit in *Vichtam*. Nauta
noster in naupegicæ peritum fabrum inquisivit, sed frustra.

DESCRIP TIO INDIÆ

xxiii Flante adhuc Zephyro præfectus noster comitantibus ijs, quos *Assistentes* vocant, & Commissario navis liburnicæ *Adriano Nicolai Neoportum* profecti sunt, ut sibi naupegum compararent, sed irrito quoque eventu. Porcos duos, quos saginarent, secum in navem advexerunt.

xxv Cum circa diluculum faveret ventus, navigatum aliquamdiu fuit, verum illo mox adversante obliquatis cursibus tandem *Iarmuydam* pervenimus, ibidemque ad 16 orguiarum profunditatem anchoram fiximus.

xxvi. Flante summo mane Aquilone feliciter navigavimus, liburnicam nostram antevertentes, & circa vesperam *Portlant* prætervecti sumus.

xxvi. Eodem vento *Goutstert* præterivimus, & in portum *Pleymude* nos recepimus, fixa ad a'itud. 7 orguiarum anchorâ. Hic naupegum nobis comparavimus *Cornelium Antonij* Medenblicensem, qui jam recens ex Canarijs insulis advenerat.

xxviii. Postquam ad naves rediisset nauclerus noster, hinc discessimus. Atque hoc die amorum inter navales socios instituta fuit lustratio.

xxix Ad altitudinem graduum triginta octo cum dimidio processeramus. non constabat sibi ventus. Hoc die pro commeatu quinquaginta quinque hominum, erogavimus caseos 275, qui in susceptum iter illis sufficere debebant.

IVLIVS. **P**rimo, secundo, ac tertio Iulij die ventorum nos exercuit inconstantia, aëre nebuloso & pluvio.

iv Flante Meze, circa meridiem gradus 43 & minuta 45 attigimus. Hoc primum die suum unicuique navalium sociorum demensum assignavimus, nempe singulis quatuor pondo panis, & dimidium pondo butyri, & mensuram certam cerevisiæ, idque in singulas hebdomadas. Circa vesperam Boreas spirabat.

v. vi. & vii Diebus inconstans fuit ventorum ratio. Circa meridiem altitudinem polarem deprehendimus graduum 40. minutorum 15.

viii Thrasciozephyrus spirabat. positique eramus juxta *de Barrels*. Atque hoc die obiit *Nicolaus Petri* Edamensis sub-naupegus. Quidam quoque ex navalibus socijs, qui ante hac *Barrels* non præternavigaverant, in mare (more nautis usitato) merisi aliquoties sunt, atque hoc solenni ritu classiariorum albo inscripti sunt. defuncti cadaver à meridie hora circiter quarta aquis expositum fuit, simulque in honorem ejus explosum fuit tormentum.

ix Fortiter satis flabat Aparctias, idque ad bidui tempus, hujusque beneficio factum, ut xi. *Porto Santo* & *Madera* se in conspectum nostrum dederint,

xii Horâ matutinâ quintâ insulam *Salvages*, quam piscatores incolunt, conspeximus, eamque sub meridiem prætervecti sumus sereno aëre. Itaque instituto versus *Canarias* insulas itinere, navem vidimus, incerti quonam tenderet. Erat ea ad Occidentem respectu nostri posita.

xiii Flabat Mezes, cursumque nostrum Austrum versus instituimus. Manè visa nobis fuit *Teneriffa*, & *Pÿck* ad latus nostrum erat Occidentale. Paulò post *Magnam Canariam* vidimus, eaque ad latus oppositum relictâ medium inter illas tenuimus cursum, spatio hinc inde decem miliarium Germanicorum distantes, flante satis fortiter Æolo.

xiv Prospero cursu nos promovit Aquilo, ad altitudinem graduum 23. & 40. minut. jamque Tropicum Cancrî nos transivisse deprehendimus. Eadem per totum diem venti fuit ratio.

xv. Aer erat nebulosus, gradumque jam attigeramus 22. & 40 minut. unde collegimus nos 24 horarum spatio decurrisse 45 miliaria. Ante meridiem aerem sensimus temperatè fervidum. Circa vesperam cursum instituimus versus Notum Occidentalem, quem, donec affulgeret Aurora, servavimus.

xvi. Ad gradus penè 20 provecti eramus. Atque hoc die Aquilo flabat, cujus impetu multum promovimus. Mox in Austrum tendentes, de nocte iter versus Notum occidentalem & libonotum fleximus, ad evitanda littora & vada promontorij *de Blanco*. Nigricabant undæ, unde collegimus, nos non longè à terra abesse, quanquam eam oculis assequi non possemus. Tam vehemens hac nocte incubuit mari tempestas, ut manè, cum jentandum esset, lembum nostrum desideraremus, quem fluctibus oppletum absorpsit & avulsit à navi nostra procellarum vis. Et quanquam in Zenith nostro sive puncto verticali positus esset Sol, tamen nimborum ac tempestuosior erant dies, quod hic loci Sole altius elevato ordinarium esse videtur. Adeò nubilus erat aer, ut Solis ferè nobis conspectum eriperet. Ad latus navis dextrum duas naves conspeximus à *Cabo Verde* aut *Guinea* venientes. Vix Solis altitudinem deprehendere poteramus, ad observandum acus nauticæ varios situs; conjectabamus tamen, ad altitudinem graduum 20 & 30 minutorum nos processisse.

xvii. In altitudine 17 grad. & 30 minutorum positi eramus. Hoc die cursum Austrum versus direximus flante Meze. Præcedente nocte serenior esse cœpit aer & mare tranquillius. Multos hic quotidie pisces volitantes vidimus, & aere fruebamur calido.

xviii. Propter maris malaciam huc illuc undarum arbitrio ferebamur. Post meridiem verò flante Favonio & Trasciozephyro versus Australem plagam & Notum orientalem contendimus, felici satis successu, & calida valde aëris tempestate. Visum fuit hoc die Præfecto *Jacobo le Maire* Concilium navale convocare, accersitis ad se *Adriano Nicolai* & *Iohanne Schout* liburnicæ ductore, ut ex communi omnium consilio in *Sierram Lionam* refectionis causa excurrerent, quod & decretum fuit. Intererant illi prandio nostro, quo tempore in altitudine gradus 16½ positi eramus.

xix. Altitudo nobis erat grad. 15, aura lenior, & subinde malacia. Conjectura distantiam promontorij *Viridis* assecuti sumus, summo aeris æstu. Multum ulvæ mari innatabat, unde nos littori vicinos esse conjecimus.

xx. Sub Solis exortum propè promontorium *Viride*, neque enim illud superare poteramus, anchoram fiximus. Media verò nocte sub ipsum ferè littus ad latus promontorij Septentrionale prolapsi sumus, non sine ingenti periculo, præcipuè Liburnicæ nostræ, quæ non longè ab ostio fluminis *Zenege* ad 3½ orguiarum profunditatem stabat, navis verò nostra maior ad orgujas 8. Pisces hic in maris fundo hamo cepimus; & Liburnicam visitavimus, si quid fortè illa damni passa esset.

xxi. Flante Austro, reductis in navem anchoris, vela fecimus, sereno aere, sed vento languidiore. Verùm, ingruente vespera è locis mediterraneis tempestas ac Ecnephas vehemens (*Travado* vocant) incubuit, cum horribili tonitruum fragore & fulminum coruscatione, durabatque hæc procella ad sesquihoram.

xxii. Sublatis anchoris vela fecimus, flante vehementius Æolo; verum sub meridiem malacia erat. Aberat à nobis *Capo Verde* tribus circiter miliaribus Orientem versus; quare ad orgujas 32 in vado arenoso anchoram fiximus. Eminus terræ loca
colli-

D E S C R I P T I O I N D I Æ

collibus arenosis acclivia, & amœnissimis viretis nemoribusque consita adspectavimus.

xxiii Ipsa meridie poli elevationem observare non potuimus, utpote longius extra conspectum *Capo de Verde* positi, & cum ventorum inconstantia luctantes, aëreque pluvio & nubilo impediti. Post meridiem vento secundo vehebamur, & magno conatu, repellente nos Arctum versus maris æstu, stationem consequuti sumus commodum, ad 7¹/₂ orguias, vado arenoso. Magna hic Æthiopum ad naves nostras confluit multitudo, omnia humanitatis officia, quæque ad refectioem nostram facerent, liberaliter offerentium. sed verba nobis data esse postea didicimus.

xxiv Penuaria cura nos tenuit, & exploratis propius aquæ ac cerevisiæ vasis, eam vasorum vitio effluxisse deprehendimus. Mox, ad aquationem dum accingimur, ad naves nostras accessere Æthiopes aliquot, qui se ab *Alcayro* missos dictitabant. Hi inhumaniter se gerebant, poscentes à nobis vini adusti lagenas aliquot. Pisces copiosè in utriusque navis commeatum cepimus.

xxv Ad naves nostras accessit *Alcayro* sive Gubernator, dictus *Gaspar Gonsalvo*, vir annorum 49, vectus *Almadia* & quatuor viris comitatus, quem convivio humaniter excepimus. Convenit inter ipsum & nos, ut pro octo ferri laminis, aquæ quantum nobis opus esset peteremus, adhæc pro uxore sua duas heminas vini Hispanici stipulatus fuit. Præfectus noster *Jacobus le Maire* vario idiomate cum ipso disseruit. Post meridiem navales socij magnam piscium copiam ad naves secum adsportantes redierunt.

xxvi Intumuit fluctibus mare, & nimia ventorum tempestate, imbribus, tonitribus fulminum è nubibus jactu, instituta quatio impedita fuit. Ante meridiem ad stationem nostram navis accessit, cujus navarchus Gallus fuit.

xxvii Aërem experti sumus procellosum, cujus causa fuit plenilunium. Nocte media remisit se tempestas, & flante leniter Borea, duos lembos aquæ ad naves nostras misimus. Eodem die denuò ad naves accessere Æthiopes aliquot, duas tresve lagenas vini nomine sui *Alcayri* petentes, quas denegare ipsis vix potuimus. Nocte duobus à statione nostrâ miliaribus navem vidimus Roterodamensem, quæ in *Resresco* anchoram fixit. Hæc commerciorum causa ad oram hujus tractus se contulerat, confectisque hic negocijs in Brasiliam cogitabat.

xxviii Classarij nostri aquatum iverunt, & captis sub vesperam sereno aëre piscibus ad naves reversi sunt.

xxix Præfectus noster *Jacobus le Maire* una cum fratre suo *Daniele le Maire*, vectus liburnica portû *Resresco* petijt, ut de aurantijs & citrijs malis sibi prospiceret, quæ in promontorio *Viridi* non repererant. Verû ex Roterodamensi nauta *Guilhelmo Blockio* intellexerunt, nihil istarum quoque hic reperiri, ideoq; ad suos spe ista frustrati reversi sint.

xxx Mira erat aëris tranquillitas, magnusquæ æstus. Præfectus *Jacobus le Maire* de suorum incolumitate impensè sollicitus terram conscendit, & allatâ secum vini lagenâ, *Alcayrum* salutaturus adiit, à quo perhumaniter exceptus fuit. In animo habebat armenta aliquot emere, quorum tamen hic magna erat paucitas, cum ex locis mediterraneis huc mitti debeant; solum capram insignem pro ferri laminâ sibi comparavit. Ab *Alcayro* taurum, sed exiguæ quantitatis, dono accepit. Et hoc commeatu instructus ad suos redijt. Petroselini *de Mer* nonnihil quoque decerpserat. *Alcayro* huic uxores erant quatuor, liberi sex, Christianam religionem profitebatur, sed miserè admodum & sordidè habitabat. Tandem cum uberioris commeatu spes nulla affulgeret, & indies molesti nobis essent importunis suis mendicationibus Æthiopes, mare conscendimus.

xxx1 Matutino tempore flabat è mari ventus, accessitque ad nos Roterodamensis ista

ista navis, cui nomen erat *Cervi alati*. Prandebat nobiscum mercator *Blockius*. Hic dies serenissimus erat, verum de nocte ecnepham (Travado) percepimus, tonitruis, fulmine, imbris & ventis horribilem.

Calendis Augusti duabus navibus, comitante Rotterodamensi, in apertum mare nos dedimus. Flabat Mezes cursumque versus Zephyronotum direximus. Sub meridiem à nobis discessit Rotterodamensis, alio cursum dirigens.

II. Eodem vecti vento ad Brasiliæ oram contendimus. Sed languescente sub vesperam vento totam noctem fluctuum nutu jactati sumus.

III. Flabat Trasciozephyrus, cujus impulsu sic satis promovimus. Hoc die de carnibus, quas in promontorio Viridi nobis comparaveramus, edere cœpimus. Erant eæ nobis in delicijs. Vtrique navi sua data carniū portio, uti & petroselini *de mer*. In meridie elevationem poli observavimus graduum 13 $\frac{1}{2}$. Totam noctem prosperè satis navigavimus.

IV. Secundus naves afflavit ventus, è Septentrione spirans, idque continuis horis tribus aut quatuor. Cursum versus Zephyronotum institueramus. Velocissimè ferebamur, licet turbato tonitribus, pluvia, & fulminibus aère. Hanc tempestatem mox excepit malacia. Sub meridiem polus nobis ad gradus 13 elevabatur.

V. Circa meridiem elevationem poli observavimus graduum 12. hoc die Trasciozephyrus spirabat, & sereno aère non segniter processimus. Toto octiduo testudines nobis visæ, uti & *Albecore* & *Bonnietes*.

VI. Circa meridiem deprehensa fuit poli elevatio ad gradus decem $\frac{1}{2}$. Idem qui antè nos impulit ventus, aer quoque benignus & placidus, & cœli temperies optima.

VII, VIII, IX. Obductus nubibus fuit aer, ita ut poli altitudo observari non poterit, mixtis subinde imbris. Hoc die duas vidimus balenas & primum cepimus *Bonniet*; piscem sic dictum.

X. Nulla fixa ventorum ratio. Conspecta nobis *Caravella* in *Brasiliam* tendens, cujus vectores compellare in animo habebamus, sed summo manè conspectum nostrum effugerat.

XI. In altitud. 9 grad. & 45. minutorum nos positos deprehendimus. Hoc die tranquillum erat mare, & cessante pluvia serenior nituit aer.

XIII & XIV. Vehemens nos impulit Auster, verum parum viæ confecimus, quod undarum mole hac illac jactatæ naves fluctuant, nec recta ipsum mare secarent.

XVI. Altitudo polaris erat graduum 7. Idem qui antè ventus: mare piscosissimum.

XVII. Altitudo erat grad. 7 $\frac{1}{2}$. Ventus secundus magis, primusque captus *Dorado*.

XVIII & XIX. Auster incumbens navibus, ne altius procederemus, in causa fuit. Ideoque placuit Præfecto, & senatui nautico, ut in *Sierram Lionam* excurreremus, quia venti hujus oportunitatem diutius nobis pollicebamur, utque corpora quæ scorbuto laborare incipiebant, nonnihil reficerentur. Accedebat & hoc, ne diutius sub linea Æquinoctiali propter maris tranquillitatem hæreremus Circa meridiem in altitudine eramus graduum 6, & 52 minutorum.

XX Augusti, cum medius esset dies, altitudo notata fuit graduum septem. Hoc die eundem servantes cursum versus Apelioten *voluwingen* & Apelioten contendimus, in *Sierram Lionam* cogitantes. flabat ab Austro ventus, deprehensaque fuit aquarum, quæ modo virides erant, modo nigricantes, mutatio. Post meridiem indicia æstus marini observavimus, ideoq; projecta in mare bolide 36 orguiarum profunditatem

DESCRIP TIO INDIÆ

vadumque arenosum deprehendimus, quare ad littus porrò perreximus, usque dum 30 orguias vadumque æquabile adhuc perciperemus, & media nocte ad 30 orguiarum altitudinem progressi sumus, sed primaluce ad 18 orguias anchoram jecimus, positi ad latus Occidentale de *Baixos & S. Annæ*.

xxi Sub solis exortum visa fuit *Sierra Liona*, ad Mezen *Βορρόνηρον*: ad Euronotum sex circiter miliaribus nullum telluris tractum conspeximus, verum ad Septentrionalem plagam: Visus quoque scopulus aut insula parvula *Mabrabomba*, ad quam contendimus. Totius hujus tractus fundum æquabile est & planum, ac 14 extra telluris conspectum miliaribus bolide explorari potest. *Baixos S. Annæ* superavimus, ad terram contendentes, vento languidiore, sed cum ad illam pertingere de die non possemus ad 5 orguiarum profunditatem substitimus. Crescebat hic loci ac decrescebat mare orguiâ unâ. Vespere Septentrionem versus tendentes major deprehensa fuit maris altitudo, verum versus Orientem dum vela facimus minor. Ab Austro in Septentrionem excurrit æstus. Tempesta cœli erat optima, aer serenus.

xxii Ante diluculum ad iter nos denuo accinximus. Navarchus noster in liburnicam transibat, & stationem commodam quæsiturus præcedebat, & prætervectus insulam & continentis aliquot cuspides in sinum maris tendebat, tandemque inclinato die sub ipsam continentis oram stetimus, ad orguias quatuor vado duriore, & æquabili, ideoque hic stationem nostram delegimus. Præses hac ipsa vespera terram conscendit, comitatus hominesque quæsiturus, sed nil præter nemora & saltus avios deprehendimus, in penitiora autem telluris loca excurrere minimè tutum judicavimus.

xxiii Liburnica nostra exploratum ibat, sicubi profundius vadum reperire posset, & fidam magis navi majori stationem. Præfectus noster ante meridiem lembo vectus & 12 è suis comitatus, armati erant omnes, denuò in continentem se dedit, de annona sibi & aquâ prospecturus, quam inter montes ipsos ex petris scaturientem abundanter hausimus. Verum dum à littore non nihil versus tractus mediterraneos recedimus, vastitatem passim offendimus, feraeque agrestes, sues, elephantos, boves, hircos, cercopithecus, aliaque in sylvis oberrantia animalia. Postea dum lembo adremigamus, ostium fluvij, qui dulces aquas vehebat, offendimus, profundum 3 aut 2 $\frac{1}{2}$ & alibi 2 orguijs idque medio solummodo maris æstu. Miliare ulterius progressi eundem fluvium sinuoso labi alveo deprehendimus. Afficiebat animos nostros volucrum in utraque ripa cantus, quæ humilior & depressa arboribus in aquam propendentibus hinc inde confita erat. Nos deceptis hic palmitibus aliquot ad naves nostras sero vespere reversi sumus.

xxiv Vtrumque lembum in utramque fluminis ripam misit præfectus, una cum classarijs aliquot armatis, ut de fluvio hoc propius ediscerent, & insulam à nigris inhabitatam quærent, Navem nostram ad 5. orguias fiximus.

xxv Reversi ad nos sunt lembi, sed nec pagos, nec homines ullos offenderunt. Lemborum alter fluvium ad tria quatuorve miliaria conscenderat, insulam quærens. Egressi aliquot nostrum in ripâ hortum consitum citrijs reperiverunt, è quo decerpta 100. mala citria secum apportaverunt. Præfectus eò vela fecit, exploraturus an navigabilis esset fluvius, verum objectum flumini vadum aut pulvinus aditu nos prohibuit. ideoque hic substitimus. Interim præfectus noster una cum *Adriano Nicolai* mercatore lembum conscendentes in fluvium se receperunt, & liburnicam versus Austrum excurrere jusserunt, quo loci promontorium aliquod & insulas duas conspiciebamus, arbitrati

arbitrati Australe hoc promontorium esse, cuius *Thomas Candix* mentionem facit. Habebatque liburnica in mandatis, ut, si promontorium istud Australe esset, ibidem subsisteret, sin minus, ad suos rediret. Quare postquam 25 discessisset, 26. demum eò pervenit, partim ventis contrarijs, partim maris nimiâ tranquillitate retardata. Hæc dum geruntur, Præfectus noster fluvium altius conscendit, & 4000 citria mala decerpfit, per ipsas aquas & loca palustria lumbos tenuis incedens. duas noctes oboraverat, priusquam locum fructiferum reperisset, pluvijs vexatus & tenebrarum incommodis.

xxvii In aliud fluentum excucurrimus, in quo fumum observasse nobis videbatur. Verum nihil hic præter perdices, ciconias, crocodilos & testudines, nec non adhærentia arborum ramis, qui aquis demersi erant, ostrea.

xxviii Cum fluvium summo mane vidissemus cis angulum aut promontorium Australe, in quo fluvio insulam esse arbitrabamur, liburnicæ lembum una cum *Nicolao Iohannis*, & navarcho *Iohanne Schoutio* eò misimus, sperantes ad optatum nos locum venisse. Præterea misimus eò schapulam, ad explorandam fluvij profunditatem, an nempe is stationem navibus nostris concederet, sed vada passim & brevia offendimus. Mox *Vilhelmus Cornelij* vectus scapha nostra in continentem & Australem angulum è regione dicti fluminis trajecit. Sed vespere reversus nec aquas recentes sibi comparaverat, nec ullos homines præter duos viderat. Regio plana erat & palustris, unde collegimus, ab eo quem quærebamus fluvio nos aberrasse.

xxix Vela fecimus & in altum provecti angulum Borealem insularum *Mabrobomba* superare nitebamur. Flabat Auster, & lecto littore ad angulum pervenimus versus Occidentem protensum, quem circa vesperam superavimus, & instituto ad *Apelioten* *volwimpon* cursu, quo ad æstus maris nos prosequeretur & provehere poterat, ad navigavimus, uno nempe à promontorio Australi miliari, & sub ipsam continentem ad 15. orguias anchoram fiximus.

xxx Flante Austro miliare unum processimus, ad occupandum fluvium; verum cum adverso vento luctantes, & conspecto eminus in ipsa continente pago, è regione fluminis stetimus. Hic scaturientes è rupibus aquarum rivus vidimus, & ingenti edito clamore, qui hæc loca inhabitabant, nos ad se invitabant. Quare missus in continentem à præfecto fuit *Adrianus Nicolaj* liburnicæ mercator, comitante *Nicolao Iohannis*, qui reversi secum adduxere capitaneum pagi istius, & interpretem *Emanuelem*, una cum Æthiope, ut nobiscum super aquatione nostrâ transigerent, relinquentes obsidis loco *Adrianum Nicolai*, & primarium classiariorum. Convenit ilicet inter nos, hac conditione, ut tres ulnas linteorum capitaneus, unam pro præstito officio interpretis auferret. Hinc aquatum processimus, & pro cultris & corallijs mala citria & *Banannes* accepimus. Nec oryzam hic, nec gallinas invenimus.

xxxi Ante diluculum aquas allatum ivimus, cui operi totum diem impendimus, & pro cultris corallijsque, 20000 mala citria recepimus. Singulis distribuit præfectus mala citria 1525. Nos uno *Facka* sive cultro 275 citria redemimus, quos nobis corribus ad mensi sunt,

Hoc die duæ Canoæ sive schaphulæ missæ à Rege *Paramboreij* ad naves nostras accessere, ut in merces nostras inquirerent. Vna earum Regis affinem & fratrem vehebat. Dicebant illi, habere se *Marfil* & aurum, & ex nostris quærebant, num lintea, ferrum, corallia, salem, æneosque lebetes vectarem. Aiebant insuper post quatuordecim dies oryza nobis copiam posse fieri, quæ nondum ex agris esset collecta: adhæc plurimas Occi-

D E S C R I P T I O I N D I Æ

dentales nationes, præcipuè Anglos istuc negotiatum venire, lignorum rubrorum causâ, quæ in montibus copiosè crescebant. Vnico ab hoc loco miliari optima est navium statio ad orguias 8. vado arenoso, rutæque hic sunt à ventorum injuria classes, solo excepto Iapyge & Thraciozephyro.

SEP-
TEM-
BER.

JPsis calendis Septembris, procuratis omnibus, quæ ad refectiorem nostri faciebant, à littore recessimus, & solo maris refluente alveo in altum delati denuo sub vesperam dimidio à promontorio Australi miliari substitimus ante sinum, ad orguias 7 & 8, sub ipsam littoris crepidinem. Verum incommoda satis hæc erat statio.

I I Quidam è nostris exscenderunt, quæsitura palmites, citria mala & Bananes, alij feras, aut pisces capturi. Exscendit quoque præfectus nolter comitatus *Adriano Nicolai* & fratre suo. Invitabant enim nos, uti & ante, incolarum acclamantium & gratulantium voces. Verum tres solummodo reperit casulas, reliqua pagi exusti faciem præferebant. Incognita erat hæc cuspis, vaga, solitaria, & nemorosa. Palmites hic & nonnihil oryzæ invenimus, uti & milium, magnamque malorum citriorum in silvis crescentium copiam, verum nec psittacos, nec ardeas. Sub meridiem reversi nostri cyprinum latum, vulgo *Prasemum*, & rayam insigniter caudatam secum ferebant, & sub vesperam cercopithæcum & juniorem *Antilop*, laqueo, quem tetenderant incolæ agrestes, captum. Hinnulum referebat figura corporis & colore, sed capitis & cornuû forma diversa. Vuas quoque hic decerpimus laudabilis saporis, quæ arte excultæ optimum vinum sufficere possent.

I I I Denuò terram conscendimus, magnamque ad naves tulimus citriorum copiam, quæ viritim distributa sunt. Quare peractis hic peragendis ad iter nos accinximus.

I V Vela fecimus & refluxo mari usi à *Sierra Liona* solvimus, vento acti remissiore, qui post meridiem invaluit, verum cum parum proficeremus, & sexaginta nobis à littore esset recedendum miliaribus priusquam apertum nos acciperet mare, inclinato die anchoram jecimus ad orguias 14. Etenim ad 10. & 15. hic orguias anchoræ figi possunt, vado arenoso, & juxta totum hoc littus æquabili. Observavimus maris refluxio nos in Austrum ferri, & ejus affluvio versus continentem propelli.

V I. V I I. V I I I, Circa *Sierram Lionam* hæsimus, parum promoventes. rapidissimum hic maris æstum deprehendimus, dominantibus Austris, aère pluvio. Per intervalla tempestas nos & malacia subinde nimia exercuit. Quin subinde ob procellas maris, & turbatum tonitru & fulminum ignibus aërem in anchora præsidium quærere coacti fuimus.

I X. X. & X I I. Diebus ob ventorum varietatem modo vela fecimus, modo anchoram fiximus, ad orguias 32 & 29, exiguo progressu. Sub meridiem polus nobis ad gradus 9. & 20 minuta elevabatur. Præfectus noster susceptæ expeditionis Articulos omnibus prælegit.

X I I I & X I V Substitimus, venti oportunitate destituti.

X V Priusquam illucesceret vela fecimus, primum parum, mox magis favente *Æolo*. Post meridiem invaluit ventus ab occasu brumali, ita ut fugiente vado in altum mare delati, volantes iterum pisces conspiceremus. Tempestas aëris tota nocte pluvia erat.

X V I Summo mane tranquillum erat mare, ita ut in Austrum tenderemus. Mox pluvia exorta adeò densa, ut liburnicam conspiceri non possemus, ideoque hic substitimus, donec ad nos propius accessisset. Noctu tempestas ingruit adeo vehemens, ut carbasa constringere cogeremur.

X V I I Ob aëris procellas in anchoris stetimus.

XV I I I Remit-

xviii. Remittente se tempestate carbasa rursus explicuimus, verum vexati Austris penè in *Sierram Lionam* reverti statueramus. Et solent menses brumales in hoc tractu, Iulius nempe, Augustus, & September procellosi esse & tempestuosi.

xix. in *Sierram Lionam* remeare decrevimus, cum æstus nos in telluris anfractus protruderet. Cursum itaque in *Sierram* direximus, & circa vesperam accessit ad nos liburnica, quæ anchoram amiserat, & funem anchorarium.

xx. manè ad 30. orgujas vadum deprehendimus. Flabat zephyrus, aere sereno, progressique sumus feliciter satis. Sub meridiem flante Thraesciozephyro versus Austrum cursum fleximus; positi in altitudine 8 grad. 10 minutor. Ad finem usque hujus mensis nullum certum cursum tenuit classis nostra, ob ventorum inconstantiam.

Calendis Octobris cum ventis cursum sæpius mutavimus, profectum parum. VISA OCTO-
nobis fuit palumbes, & merula caudata similis gallinagini, tresve quatuor hirun- BER.
dines, per navem volitantes, quas è continente huc delatas arbitrabamur.

xi. Remissioribus & varijs ventis navigatum, qui maxime in Septentrionem tendebant; noctu placido mari jactati sumus, aere nebuloso & pluvio. Antè diluculum imber è Thraesciozephyri plaga actus navibus incubuit.

xv. Altitudinem nocti 4 grad. 30 minutorum, magna aeris tranquillitate, solo maris æstu ferebamur. Mox afflavit classem Zephyronotus, quæ versus Libanotum tendebat.

vi. Altitudinem deprehendimus 4 grad. & 28 minut. flante Austro, magnus hoc tempore in navi auditus fuit strepitus, quæ in inferiore navis parte positi arbitrabantur excitari illisa aut impacta in arenas aut scopulum navi. Verum undequaque mare coloratum & tinctum esse cum admiratione observavimus, cujus rei causam cognovimus cum in Portum *desire* appulsemus, hanc nempe, quod monstrum aliquod marinum cornu suo in navem natando impegisset. infixum enim navis tabulis hærebat cornu, crassitiem habens dentis elephantini, ex quo vulnere cruentatum fuerat mare.

vi. vii. viii. Cum ventorum inconstantia & maris nimia tranquillitate luctati hac illac fluctuum arbitrio oberravimus.

ix. primum leniore vento, sed mox invalescente, navigavimus, ita ut thoracium velum substringere cogeremur.

x. Sub meridiem altitudinem attigimus $3\frac{1}{2}$ graduum: mare minimè turbatum, ventus sibi constans; classis nostra nequaquam fluctuans rectos per Oceanum sulcos ducebat: octo hoc die *Dorados* capti, & pridie ejus diei plurimi *Bonjetten*: classiariorum duo qui se mutuo pugnis contuderant, in carcerem compacti.

xiv. Eadem hoc quatrduo erat æris facies, nobis molestissima. Hac illac cursitavimus, & sic satis tamen progressi sumus, ut quamvis 100 nos à *Sierra Liona*, miliatibus abesse crederemus, viciniore tamen præter omnium opinionem essemus littori *Guinee*, quod inde conjecimus, quod plures minores *Dorado*, qui in his tractibus reperiuntur, conspiceremus. Magnam hoc die piscium copiam cepimus.

xv. Circa Meridiem altitudo nobis erat grad. 2 & 25 minutor. Flante zephyronoto. Ex piscium captura aliquandiu victitavimus, quibus hic refertum erat mare.

xvi. Altitudo nobis erat gradus $\frac{1}{2}$, gratissima cœli tempesta: ventus sibi constans. Plurimæ visæ nobis sunt phocæ alias insequentes. In piscem *Bonjetum* ejaculatum semel.

Reliquis diebus placidum stabat mare, & exercitij gratia magnam cepimus piscium vim.

D E S C R I P T I O I N D I Æ

xx. Media circiter nocte Æquatorem transivimus, nam XXI. altitudinem Australem observavimus minorum 30. Subinde invaluit Æolus, & institutus cursus versus Zephyronotum. Hodie duas anchoras è prora in mediam navem protraximus.

xxi. Altitudinis Australis grad. 1 & 12 minuta attigimus. Acrior nos impulit ventus, & intumuit mare, verum 24 Vulturno flante vehementius, velociter processimus, ita ut nimia fluctuum ferocia in partes dissilierit dolon, sive anterior, quod è prora dependet, velum. Tendebamus ad Occidentale latus insularum D. *Ferdinandi Loronha*.

xxv. Provecti sumus ad grad. 5, eodem quo antè vecti vento. Aer erat nubilus & pluvius subinde. Convocato verò Senatu nautico exposuit omnibus Præfectus, se in Terram Australem contendere, litterasque illis super hac re per *Nicolaum Iohannis* prælegi iussit. Placebat omnibus suscepta expeditio, & cum pluribus inaudita essent hæc Terræ Australis vocabula, alij ea capitij suis, alij enchiridijs, alij navis tabulis inscribere. quisque ex hac navigatione opimam sibi quæstus spem faciebat.

xxvi. Ad grad. 6 & 30 minuta provectos afflavit Euronotus, iter in Austrum direximus. Observatumque hic, nos maris æstu præter opinionem plusculum versus Orientem delatos esse.

xxvii. Medio die gradus 8 attigimus. Vento ferebamur secundo, qui ab ortu flabat, quare & thoracia & dolones explicuimus. Præfectus noster una cum nauclero in liburnicam transiverat, ut susceptæ expeditionis consilium omnibus exponeret.

Circa finem Octobris Austris parvum, provecti extra conspectum telluris & promontorij *S. Augustini*, à quo non longè nos abesse putabamus.

xxxi. Altitudo erat graduum 13, flante Subsolano & Vulturno, optima aeris tempestate, aura mediocri. Multos vidimus *Bonjettos* & *Albecoras* navem insequentes. Cæruleum erat mare. Vnde quaque, an se tellus aliqua aut navium proderent vela, studiosè circumspeximus, sed frustra. Nam longius nos à terra abesse collegimus, quod exiguum observaremus maris æstum, & quidem 60, ex intuitu acus nauticæ, miliaribus.

In summa plusculum nos in Occidentem deflexisse deprehendimus. Nam cum primum cursum in Occidentem dirigeremus, in eadem eramus cum promontorio *de tres puntas* longitudine, quod ex mutata aquarum facie observavimus. Ideoque visum fuit, ut, donec magis faveret ventus, versus Occidentem pergeremus.

N O -
V E M B. **I** Ppis Calendis Novembris ad altitud. 15, grad. processeramus, & flante Meze, in Austrum & Notum orientalem tendebamus, felicissimo successu, favente Æolo, & renate tempestate.

ii. Sub meridiem 17, grad. altit. observavimus. Impellebat nos Mezez.

iii. Altitudo erat gradus 19. Post meridiem unam ex insulis *Martini Vaz* conspeximus, & ad latus navis dextrum insulam parvulam, quam Ascensionis insulam esse primum putabamus: nec non magnum numerum avium (*Ian van Genten* vocant) nigri & cineritij coloris, & laros coloris candidi. Hic mutato cursu versus insulam istam contendimus, & exploso tormento Liburnicæ nos insequenti signum dedimus. Hoc die prætervecti sumus *d' Abrolhos* insulam, & superatis vadis plenis discriminum frontem non nihil præ gaudio exporreximus, & classarijs singulis vini demensum adauximus.

iv. Sub meridiem altitudinem attigimus grad. 20. Flabat Mezes, cursu versus Zephyronotum instituto, sed præ aëris obscuritate vix deprehendi potuit altitudo. Mare placidum erat, sensim tamen invalescente vento, quod triduo antè facile erat præfagire. Nulli præterea nobis apparebant pisces.

v Flante

v Flante Meze cursum versus lib notum instituimus. Aër obscurior erat & nubilus.

vi Altitudo nobis circa meridiem erat 22 graduum. Ventum hoc die experti sumus Septentrionalem; instituto versus Zephyronotum *νοτιώτερον* cursu.

vii Altitudo erat minor Tropici Capricorni altitudine minutis 46. Flabat lib notus; parumque navigando profecimus.

viii. Circa meridiem altitudo erat 23 graduum & minutorum 35. flabat subsolanus, grata aëris serenitate, mari tranquillo. Nulla adhuc vidimus vela, quanquam 20 solummodo aut 25 miliaribus à *S. Sebastiani* insula abessemus.

ix. x. xi. xii. xiii. xiv. Diebus perpetuus nos provexit Apeliotes, & Euronotus, aëre sudo. Subinde tamen Mezes flabat.

xv Altitudo erat graduum triginta duorum $\frac{1}{2}$. Flabat è Septentrione ventus, & quidem vehementer, cursumque versus notum Occidentalem direxeramus. Hoc die incredibilis imber delapsus ventum mutavit, qui adversus nobis factus est.

xvi. xvii. xviii. Mira erit cœli clementia. Afflavit classem Auster, quæ versus Zephyronotum tendebat. Interdum malacia erat. Circa meridiem altitudo nobis erat grad. 34 & 10 minutor. Sol sex gradibus ad Australem Orientis partem oriebatur, & 4. ad Australem occidentis partem occidebat. Maris æstu nos nonnihil promovisse credebamus.

xix. Sub meridiem altitudo erat 35 grad. & 27 minutor, mare placidum, hoc die color aquarum mutatus nobis videbatur & puniceus factus. Multas sordes aquis innatare videbamus & animalcula cornuta, alba instar crystalli, maculam puniceam habentia in fronte. Nos hæc marinos pulices & pediculos esse conijciebamus, quorum meminit in historia sua *Siboutus de VVeert*. Temperato fruebamur aëre, & conspecti à nobis sunt thynni aliquot.

xx. Altitudo sub meridiem erat 37 grad. minus 10 minutis, spirabat Iapyx, cursu versus Notum Occidentalem & lib notum directo. Mare placidum, aerque serenus erat.

xxi. Altitudinem attigimus grad. 38 $\frac{1}{2}$, flante Iapyge sed remissius. Conjectâ in aquas bolide ad 100 cubitos nondum vadum offendimus. Hodie mari innatantem vidimus ramum frondiferum adhuc, & duos laros candidos, insignis adhuc magnitudinis testudinem, ex quibus indicijs, uti & ex aquarum facie, collegimus nos telluri vicinos esse. Ea est hic vadi ratio, ut deprehendi possit, priusquam terram videas, quod & *Olivarius de Noort* observavit. Mirabamur nos ad eam altitudinem processisse, verum æstus maris nos in Austrum propulerat, usque adeò ut viginti quatuor horarum spatio emensi fuerimus viginti septem miliaria. Iamque calidiorem aeris temperiem sentiebamus.

xxii. Altitudo erat 39 graduum & 48 minutorum, spirante Coro, interdum Aparctia, cursu versus zephyronotum instituto. Serenum erat cœlum, verum circa meridiem flavit Aparctias. Multum algæ mari innatabat, conspeximusque & laros candidi coloris, & aquarum mutationem observavimus; mox & thynnos vidimus & piscem majorem, cui in dorso erant pinnae, quique aquas instar phocæ ac balenæ ejaculabatur. Præfectus noster accersito navarcho & mercatore Liburnicæ diarium *Olivarij van Noort* illis tradidit, si fortè ejus lectione ad quærendam investigandamque continentem juvari possent.

DESCRIP TIO INDIÆ

xxiii Altitudo erat 41. grad. 5. minor. flabat ab Arcto ventus, sed serena cœli tempestate, nec turbato mari. Hoc die viridem aquarum colorem observavimus, qualis in mari Septentrionali esse solet, & plurimos æstus marini sulcos, necnon balænas aliquot. Statutum insuper, ut classiariorum quisque vini Hispanici & olei modiolum quotidie acciperet, absumpto jam butyro & vino Gallico.

xxiv Altitudo erat 41. grad. & 48. minorum. Noctu subita incubuit clafsi tempestatas, ut thoracium vix deducere possemus.

Multi volitabant hac aëris tempestate lari. *Malefiten* rostra sua sæpius aquis immergebant, uti videre est apud *Iohannem Hugonis Linschoten*. Circa meridiem post nubila clarus illuxit dies, visaque est balæna.

xxv & xxvi mediocres fecimus progressus. Viridis erat aquarum color, ideoque longius jam nos, quam hesterno die, à terra abesse opinabamur. Nam nobis altius ad meridiem contendentibus, magis versus Occidentem recedebat continens, idque ratione sinus sui ac anfractus, versus zephyronotum *volιώριον* vergentis, uti in tabulis videre est.

xxvii & xxviii ventorum nos exercuit inconstantia, subinde & turbines.

xxix altitudo erat grad. 45. minus 10. minutis, ventorum & cursus quoque nostri magna varietas. ulvæ multum & musci aquis innatabat. Inclinato die madebant vela, & navis tota, quod in patriæ nostræ tractibus futuræ & imminentis tempestatas signum esse solet, quam quoque postero die Thrafciozephyrus dabat.

xxx Processimus non segniter, impellente nos fortiore vento. & cum mutata nobis videretur aquarum facies emissa bolide vadum exploravimus, sed frustra, licet ad 150. demissa esset orguias. Secundus à nauclero affirmabat nos à terra abesse 45. miliaribus, & 100. circiter a portu *Desire*.

DE-
CEM-
BER.

Calendis Decembris altitudinem observavimus 47. grad. flabat ab occasu æquinoctiali ventus, nosque recta in Libonotum tendebamus. Toto itinere frigidior hac nocte experti non sumus.

ii Ad grad. 48. minus 10. minutis processimus, flante Zephyro, altius contendere non poteramus, quam servato cursu qui in Africam tendit, qui hic juxta littus excurrit, cum portus *desire* ad Occidentem sit. Quare hoc vento ad littus usque accedere prohibebamur, ideoque nimio vitandi littoris studio delapsi eramus. Iudicio naucleri 65. miliaribus aberamus a portu *desire*, 31. ab ipsa continente, sive promontorio, in eadem nobiscum altitudine posito.

iii & iv Non uno navigavimus tractu. Avium visa multitudo, aqua pallidior, iudicatumque nos terræ esse vicinos.

v Ad altitud. 47. graduum, proveci sumus. Tanta exorta fuit tempestatas, ut thoracia vela constringi ac deduci necesse esset. Liburnica nostra sub vesperam vadum ad orguias septuaginta quinque deprehendit. color aquæ pallidus erat, aves visæ frequentes.

vi Recta ferè in Occidentem directa navigatio tellurem versus. Aër erat serenus sed frigidissimus. Multa appropinquantis terræ signa vidimus, nempe, balænas, ulvam, mortuos *Pinguines*, alas avium. Vadum offendimus ad orguias 64. sed arenosum & nigricans. Vespere liburnica ad 54. orguias vadum attigit. Et hac meridie 16. circiter miliaribus se à continente abesse iudicabant navium gubernatores.

vii Altitudo erat grad. 47. & 25. minorum. Flabat hoc die ab Arcto Æolus, tendente

rendente versus Corum classe, ad eandem penè, quam velis assequi poteramus, altitudinem. Mane vadum ad quinquaginta orguias deprehensum, sub meridiem ad quadraginta duas & quadraginta tres orguias, modo nigrum, modo albicans. Venti hic imperium tenentes sunt, Septentrio & Auster, rarus admodum flat Apeliores. Observavimus quoque, in hoc tractu exortas ventorum tempestates non diu durare, verum post tres, quinque, aut sex horas, aut longissimè post diem novam affulgere serenitatem.

Sic ubi acrius flat ventus, plurimæ hic obvolitant aves, pauciores cælo sereniore. *Olivarius* ad triginta octo orguias vadum attigerat, nos ad quadraginta octo & quadraginta tres.

Ille triduum directo in Occidentem cursu terram petebat, vadum semper bolide attingens, ita ut hæc ora æquabilis valdè sit & minus acclivis, quin extra telluris conspectum vadum deprehendi semper potest à fluvio *de la Plata* ad fretum usque Magellanicum. Hoc die schaphulam nostram minorem adornavimus, ne diu in portu *Desire* moraremur, aliamque ad aquandum, & aliam quoque ad vehendum commearum.

Serenissimus hic fulsit dies. Qui post nos hæc loca exploratum ibunt, non ita anxie littus evitabunt, uti fecimus nos, verum intrepidè ad terram contendunt, exemplo *Magellani*, *Draci*, aliorumque, & è portu *Desire* solventes continentis littus legent.

Quare in Occidentem & Zephyrum *voluxáncov* tendentes, versus Euronotum *Americam* vidimus, ad latus Portus *Desire* Septentrionale, & propius ad littus accedentes modo ad viginti, modo ad decem orguias vadum primò arenosum, mox aliud offendimus, tandem dimidio circiter à littore miliari ad orguias decem anchoras fiximus.

Atque hic consultum judicavimus aliquandiu subsistere, nec in apertum nos Oceanum dare, ne maris æstu retroferremur, qui hic loci tanta rapiditate in Austrum fertur, ut demissus funis anchorarius, veloci navis raptu, foraminis, per quod ruebat, latera marginesque accenderet, ut fumigans lignum aqua restingui necesse esset.

Quin, qua sulcabat maris æstum navis, spuma excitabatur, non aliter ac si vento impulsæ fuisset. Nos hunc æstum interpretabamur refluxium maris Septentrionalis.

Littora hic partim in Austrum, partim in Septentrionem excurrunt. Nos versus Circium duorum cum dimidio miliarium distantia terræ angulum aut Sinum quendam conspeximus, inter duos terræ angulos interjectum, necnon duos montes aut ingentes scopulos.

Hinc discedentes, amissis è conspectu scopulis istis, magnam telluris partem in mare prominentem & quasi à continente avulsam conspeximus, sed postea, cum ea nostri respectu Circium spectaret, deprehendimus eam revera à continente sejunctam esse, magno interjecto spatio. Erat hic locus, quem *Olivarius Noort* portum *Desire* esse opinabatur.

VII Summo mane vela facientes, Portum *Desire* quasivimus, sub finem adfluvij maris. Iuxta littus terram conspeximus humilem & æquabilem, albam cretæ & arenæ instar. Noctu altitudinem deprehendimus quadraginta septem graduum.

DESCRIPTIO INDIAE



- A. Sinus, in quo luculenta fuit piscium, quos Apuas, Belga Spieringhen, vocant, captura.
 B. Locus est, in quem naves nostra non sine naufragij discrimine protrusa fuere.
 C. Avium hac est Insula.
 D. Leonum insula.
 E. Regis insula, in qua ab aggestis sordibus purgata naves.
 F. Hic Liburnica nostra conflagravit.
 G. Huc aequatum ibant navales socij.
 H. Sepulcra Patagonum in collibus excelsis, in quo ossa 10 & 11 pedum longitudine reperta.
 I. K. Leones sunt marini.
 L. Cervi sunt oblonga cervice.
 M. Struthiones, quos hic frequentes vidimus.
 N. Lapis à natura in formam hanc factus.

Mox insulam vidimus longo a Continente intervallo, unde collegimus hic portum esse *Desire*, quem statim conspeximus, humili situm solo, cujus angulus borealis instar scopulorum albicabat. quare sereno aëre rursus libonotum & Austrum percepimus. Brevia hic loci à nobis observata sunt ad orguias sex aut septem, in quæ mare illidebatur.

illidebatur. Ad latus portus *Desire* Australe in penitioribus terræ locis montes vidimus præruptos, quorum quidam cœrulei, quidam, ac si nive operti fuissent, albi candidi que videbantur. Nos classem recta in portum direximus, & in angustias scopulis obsessas delati sumus: ideoque fixâ hic classe ad orguias quatuor; lembos misimus ad explorandum stationem commodiorem, per quorum vectores relationum nobis est, nos ab ordinario portus aditu & canali, qui ad Boreale latus erat, aberrasse.

Radebat subinde vadum clavus, nec periculo caruisset res, si oborta tempestas navibus incubuisset. Circa vesperam piscium recentium capturâ solitæ annonæ fastidium levavimus. Erant pisces isti asellus major, asellus minor, alijque similes carpionibus, necnon insignis magnitudinis apua cobitis, (*Spieringh* vocant nostrates) longa digitos 16. qua de causa hunc sinum vocavimus *de Spierink-Bay*. Conchas præterea legimus succulentas & pingues. De nocte ad naves remeavit lemborum alter 150. juniores *Pinguinos* apportans, & duos ex insula Pinguinorum vitulos marinos, quæ duobus miliaribus a littore abest, a portu *Desire* versus Vulturum, & Eurotorum orientalem. Magna hic avitij generis copia.

VIII Antequam illuxisset, flante Zephyronoto ex angustijs istis nos subduximus, ad occupandum portus *Desire* aditum. Versus ortum fumum videbamus, quem ex *Patagonum* tractu adscendere communis erat opinio. Plurimos quoque vidimus *Turstones* aquas per capitis foramina sive nares eructantes, similes istis, de quibus scribit *Sebaldus de VVeert*. Circa meridiem denuò fumum è focus indigenarum ejus loci adscendentem conspeximus. Post meridiem portum *Desire* occupavimus, & ad miliare circiter intra illum nos recepimus, ibique inter scopulos & saxa ad 25. orguiarum altitudinem anchoras jecimus, sed quia saxosum erat vadum anchora dentem non admittebat, quæ res effecit, ut ventorum vis nos & liburnicam in oppositam ripam impelleret, ubi refluxente mari in ipso vado hæsimus, in quo ad 2½. orguias accrescit ac decrescit æstus. Verum mox funibus in aquas eam retraximus anchorasque firmavimus. Sub vesperam ad nos redijt lembus, detectâ jam insulâ *Regis*, ovorum magnam advehens multitudinem. Lembus liburnicæ aves plurimas adferebat & anseres, multosque viderat in scopulis vitulos marinos. Oportuna erat ad capturam piscium hæc statio.

IX Serenissimus nituit dies flante Thraesciozephyro & Iapyge. positi eramus ad ripæ latus, quod ferebat *Æolus*, & renuente aliquoties anchoram fundo, ob petrarum duritiem retrò ferebamur, donec tandem terram anchora momordit. Accrescente mari ad iter nos accinximus, obliquato propter adversos ventos cursu, quem in insulam *Regis* direxeramus. Præfectus noster insulam conscendebat, inquisiturus in chartas & signa à *Spilbergio* hic fixa, sed nulla repperit. Solum erat arbutis asperum, in quibus lari frequentes nidiculantur, è quorum nidis ova magna copiâ abstulimus, sed plæraque computruerant.

X Missus est à Præfecto in tellurem, qua Boream adspicit, lembus noster major, ad explorandam aquandi oportunitatem, sed non alias quam salas aquas offendit in valle quadam. In insulas exivimus commeatum quæsituri, nobisque comparavimus aves palustres 175. nigri coloris, ovaque diversi generis & magnitudinis; adhæc ardeam, & bostaurum, quorum hic erat frequentia. In insula *Viridium avium* Hollandicarum navium signa reperivimus, nempe ollarum & poculorum, è quibus bibitum, fictilium fragmenta. hac vespera dum nimis largiter focum instruimus incendio

D E S C R I P T I O I N D I Æ

incendio conflagravit insula *regis*, tantaque in cœlum adscendit fuligō, ut metus nos inceseret, ne rei admiratione excitati advolarent Patagones. Qui nostrorum terram lustraverant, observasse se dicebant animalium fissos unguēs habentium vestigia, montesque è lapide candido & molliore constare.

x i Iussu præfecti lembum conscenderunt *Adrianus Nicolai* & *Nicolaus Iohannis*, una cum Assistentibus, ut vocant, ut se in littus conferrent, & inquirerent in litteras aut alia hic relicta ad memoriam ab alijs navibus monimenta, sed repertum nihil. Quin referunt Diaria aliorum, ad tractum Australem continentis aquas dulces esse, sed nullas hic invenimus.

x i i Ipse præfectus una cum fratre suo *Daniele Schaphâ* vectus, insulam, qua Septentrionem adspicit, conscendit, stipatus 20. sclopetarijs, eamque ad miliare 1½ lustravit, per loca incedens arida, nec arboribus consita, nullas aquas dulces reprens. Fumum post montem adscendere videbamus, unde loca ista habitari probabile est. Cervos ad hæc vidimus collo longiore, qui ad conspectum nostrum aufugiebant. Sepulchra aliquot *Patagonum* in excelsis rupibus reperta, in quibus ossa 10. aut 11. pedum longitudine invenimus.

x i i i Denuò lembo vectus una cum Assistentibus præfectus ad duo & amplius miliaria fluvium conscendit, ter exscendens ad partem Septentrionalem, semel ad meridionalem, per loca montana & valles incedens. Duas vidit valles, easque virentes, quæ aquas habebant. Affirmant *Olivarius* & *Candiz* ad latus Australe aquas dulces necessariò dari, sed eas non reperivimus.

x i v Præfectus cum *Adriano Nicolai* ad Australem angulum contendit, in quo sepultus jacet quidam dictus *Huydecoper*. & ad puteum, cujus meminit in suo Itinerario *Candiz*, sed non inventus nobis.

Cervum petebat sclopo majore Præfectus noster, sed aberrabat ictus, mox conscendens *Schapham* in insulam *viridium-Avium* trajecit, & redux secum advexit centum circiter aves. Quin explicatis verriculis apuas pisces cepit, quibus sesqui dolium implevit. Post meridiem denuo continentem, qua Boream adspicit, conscendit, è regione insulæ, & in viridi quadam valle puteum ambitus viginti quinque pedum & profundum pedes 15. effodi jussit, verum cum ad pedes undecim aut duodecim perventum esset, hinc inde scaturire cœpere aquarum rivuli, limpidi illi quidem, sed falsi.

x v Denuò in *Avium* insulam missus est lembus, & duo vasa repleta piscibus istis apuis advexit, & 60. diversæ speciei aves. Duos leones marinos longos 16. pedes in rupe quadam interfecerant, quibus è collo jubæ digiti longitudine pendebant, sed breviores erant in corpore ipso pili, magnitudine pullum equinum adæquabant. Vix 50. ictibus interfici poterant. Monstra spectaculo digna, sed terribilia, collum & caput crassa valdè; duæ in corporis parte anteriore veluti manus, & duæ in posteriore, latæ palmos duos, quibus velocissimè aquas secant; cutis nigra & bovino tergore crassior, longa verò 14. pedes. Caro ipsorum grati est saporis. Sulcum hic è monte in puteum duximus, ad excipiendum aquas pluviales.

x v i Hausere è puteo classarij aquam, sed falsior erat, quam ut potui esset idonea.

x v i i Denuo Præfectus noster vectus lembo liburnicæ aquas quæsitum ivit. Hoc die navem nostram ad oram Borealem pleno jam mari adduximus, eamque à sordibus una sui parte purgavimus.

xviii Circum-

xviii Circumcirca eandem purgavimus, cum in vado jam novilunij tempore staret, ita ut obiri posset undique. Liburnica in littore stabat, non longe à nostrâ. Hic quoque saxa & lapides ad onerandas naves saburræ loco comparari potuerunt.

xix Præfectus una cum nauta ad Liburnicam accessit, & postquam purgationi ejus intentos esse classiarios vidisset, discessit. Verum dum latus navis levioribus flammis aduritur, ignem inopinatò concepit prora, ita ut restingui non potuerit incendium, nobisque adspectantibus tota conflagraverit liburnica. Noctu verò pulvis tormentarius & tormenta bellica grassante sensim in reliquas partes flamma accensa demum sunt.

xx Ad Liburnicam accessit præfectus unà cum Assistentibus, incendiumque, quod parum reliquum fecerat, restinuerunt, ferramenta omnia collecta in scapham conjecerunt, & tormenta bellica, anchorasque in navem *Concordiam* translata. Pecuniam studiose quærivimus, sed pulveris nitrati vi in aquas eam hac illac disiectam fuisse probabile erat. Aliquot enim argenteos nummos circa vesperam juxta littus invenimus, uti & magnam argenti liquefacti massam, quæ adeò nigricabat, ut argentum eam esse agnoscere non posset *Franciscus Nicolai*. Ego ex regali argenteo inserto massæ argentum esse deprehendebam. Postquam ergò diligenter inquisivissemus, 35 libras argenti hic illic corrasimus.

xxi Terram statim à jentaculo conscendit Præfectus cum Assistentibus, sed ob maris altitudinem à pecuniâ quærendâ prohibiti, circa vesperam denudato jam littore, duas adhuc auri libras invenerunt.

xxii Tanta incubuit ventorum vis, ut ad navem nostram redire non posset lembus, qui piscatum discesserat: quare per totam noctem mari jactati vectores tam intensum perceperunt frigus, ut togas nauticas sive endromas induere cogerentur.

xxiii Aves & pisces advexit lembus magnâ copia. De nocte denuò orta tempestas fuit.

xxiv Denuo aquas dulces quæsuimus, sed frustra.

xxv Observavit præfectus noster diversis temporibus cervos per montana loca discurrentes, unde collegit animalia ista huc ad aquarum dulcium potum excurrere, quod & ipsum quoque in promontorio *Bonæ Spei* notaverat. Quamobrem missi eò aliquot nostrum duos ibidem puteos invenerunt, sed cum minus profundi essent, altius effossi sunt, ut plus aquæ capere possent.

xxvi. Serenâ cœli tempestate ad conquirendum comneatum missus lembus aves copiosè advexit. Manè terram conscendens navarchus cum *Adriano Nicolai*, aquas quantum satis repperit & hoc ipso die quatuor in navem aquæ vasa adveximus, erat ea albicans & crassa.

xxvii Aquatum abiverunt classiarii & i i vasa aquæ advexerunt, quæ quidem turbida erat, sed dulcis valdè. Orta tempestate ingenti parum aberat, quin procellæ vis malum diffregisset. Et dejecti jam multorum erant animi, partim propter crebras tempestates, partim quod difficulter ex fluvij angustijs educi posse navem crederent, propter fundi anchoram respuentis molestias.

xxviii Tempestatibus impetu statione moti in insulam *Regis* propulsi sumus, & posteriore navis parte in vado hæsimus, unde aquatum mox æstu depulsi sumus. Hoc quoque die aquatum ivimus, sed turbulentiores erant aquæ; vigiliis interim adversus Patagonum insultrum disposueramus.

xxix Antè diluculum fortius spirare cœpit *Æolus*. Præfectus classiarios aquationi

DESCRIPTIO INDIAE

intentos spectatum ibat, qui ad dimidium miliare aquas vasculis portabant. Excurrebat per universam vallis planitiem hic aquæ rivus.

xxx Præfectus terram conscendit, una cum alijs ad colligendas plumbi è Liburnicæ cineribus reliquias, quæ quia fumo & ignis flamma nigricabant denuo liquefactæ sunt. Præfectus hoc die tabulam Australis tractus nobis ostendit, quæ nauclero alijsque perplacuit. Insuper decem aquæ vasa ad navem perlata sunt.

xxxI Serena erat aëris facies: Pars nostrorum aquatum, pars Liburnicæ reliquias collectum ibat.

IANVA-
RIVS.

Calendas Ianuarij ac æstatem dies auspiciatus est serenus, classiarijs aquationi intentis. Præfectus insulam conscendit ad ferarum venationem profectus, quæ conspectis mortalibus statim se proripuerunt. Quia verò annus auspicius faciebat, è nostris aliqui tympanis, buccinis, & tiliarum cantu præfecto alijsque gratulati sunt, quibus vini sextarius datus.

II Geminam vidimus Iridem, quam pluvia excepit, nostri denuò aquatum abivere. Præfectus omnes plumbi massas in navem deportari iussit, libras nempe plumbi 1400 & stanni 40.

III Proxima nocte, sereno cælo, copiosè terras irrigavit ros, verum post duas a jentaculo horas invaluit ventorum vis ex Aquilone, & ad vesperam usque sæviit, ita ut nec serenitas hic, nec tempestates stabiles sint, sed maxima aëris vicissitudo.

Hodie navem nostram pice illevimus. Præfectus consilium suum & institutum Navarcho aperuit, cui illud minus placuit, cum tamen rationes nullas in medium adferret.

IV Alij aquatum, alij piscatum ivere. Hi monstrosum piscem cepere, cui cauda erat similis caudæ gliris, pinnae quatuor amplæ & rostrum dentatum superiore ac inferiore mandibula, nec non in ventre ova. De genere hinnulorum esse videbatur, squamis carebat, sed quia crassiore obductus erat pelle eam detraximus.

V Decem aquæ dolia accepimus. Sub prandio inter pocula excidebat fortè gubernatori, se in Indiam Orientalem cogitare, quare subridebant alij, qui tacito consensu idem probare videbantur. Mox omnes in Indiam orientalem abituriebant, licet minus hoc consilium præfecto placeret. Primum hic tres struthiones vidimus.

VI Fluvium conscendit Præfectus, sed exortâ tempestate sub vesperam reversus est. Non parû nos perculerunt procellosi ac ventosi dies, qui huic climati familiares. Eopse die præfectus *Nicolao Iohannis* legenda dedit ea, quæ à Dominis suis in mandatis habebat. Vas quoque vini adusti in classiariorum usum sepositum.

VII In insula palum defixit præfectus, è quo capsulam bracteata suspendit, cui litteras incluserat, in quibus tota susceptæ navigationis historia perscripta erat. Decretum quoque, ut prima oportunitate hinc discederetur.

VIII Maris refluxio extra insulæ angustias in altum delati sumus. Verum mixto tonitru ingens delapsus est imber, quem venti excepere vehementiores, ita ut de superando Australi tractu multi desperarent. Augebat rei difficultatem Navarchus, & qui alijs animum addere debuisset, *Iohannes Schout*, amissâ Liburnicâ suâ molestior, nos vitæ nostræ prodigos esse aliquoties ingeminabat, qui sermones alijs nonnullis minus cordatis animum expectorabant.

IX Nec hoc die ob tempestates quicquam profecimus.

X Sic satis propitio Æolo, vela fecimus, verum circa meridiem in proram flabat.

Lembus

Lembus in insulam phocarum (*Robben* vocant nautæ) piscatum missus fuit, & schaphula in *Avium* insulam, ad avium capturam.

xii Missus fuit lembus in Pinguinorum insulam, ad capiendum *Pinguinos*, quos sale condirent. Schapha nostra in insulam *Robben* abiit, & 12. lupi marini sclopetis à nostris confossi sunt.

xiii Pinguinorum capturâ gravis ad navem remeavit lembus. Monstra aliquot marina pilos cinerici coloris habentia, & rostra oblonga, crocodilorum instar, vidimus. Post meridiem è portu *Desire* solvimus, verum vento destituti anchoras fiximus. qui cum insurgere mox cœpisset in mare provecti sumus.

xv Fulminum jactibus & tonitruum fragore inhorruit æther, multique graduum imbres delapsi. Vnde collegimus Australem tractum Boreali frigidior esse. Etenim frigidior hic erat Auster, quam in Belgio Autumni tempore Aparctias. Cursum in Libonotum & Euronotum institueramus.

xvi Halcyonia erant. sub meridiem altitud. observavimus grad. 50. minus minut. 10. Iudicatum fuit maris nos æstu in Austrum ac Zephyronotum propelli versus fretum Magellanicum. Non longè à littore navigabamus, sed noctu malacia orta.

xvii Placidus & nitidus dies affulsit, qui nebulis post meridiem conspissatus obscurior evasit, usque adeò, ut poli altitudo deprehendi non potuerit. Hoc quoque die acrius reprehensi sunt Assistentes nostri, quod se domum abiturire subinde sparsissent.

xviii A meridie flabat Æolus. balænas vidimus frequentes. Præfectus è navis prorâ insulas *Zebaldi de VVaert* vidit, quas ille in Magellanica Tabula annotavit. Tribus circiter à nobis aberant miliaribus, & a Freto Magellanico versus Cæciam & Aphricum 50. absunt miliaribus. Sub meridiem propter obductum nubibus aërem poli altitudo observari non potuit, sed postea cum perumperet Sol, nos ad gradus 51. pervenisse cognovimus, & maris fluxu nonnihil in Austrum protrudi. Circa vesperam insurgente vento thoracia deduximus, quo se remittente ea denuo explicuimus. Meliorem hic, quam in portu *Desire*, aëris tempestatem experiebamur.

xix Mari tranquillo, aëre calido, flante Zephyro navigavimus. Visæ balenæ & lari, sed nulla undis innatabat ulva, ut verisimile sit ad Australe latus insulas nullas esse, è qua tamen plagâ decumani ad nos devoluti sunt fluctus. Sub meridiem ad altitud. 52. grad. perventum, at sub vesperam in eadem cum Freto Magellanico altitudine nos positos rebamur. Adeo exaruerant, quos in portu *Desire* ceperamus, pisces, ut insipidi prorsus essent, nec quamvis magna vi contusi mollirentur. Inclinato die insurrexit ventus, ex Occidente flans, fuitque procellosa nox, non tamen turbatum admodum mare.

xx Sedata fuit tempesta, aëre tamen nubilo. Ulvæ magnam copiam vidimus, & aves quæ sub aquis strepebant, quas è freto huc delatas esse probabile erat. Circa meridiem altitud. attigimus 53. aqua punicei & cœrulei erat coloris. Ex quo è portu *Desire* solvimus humido navigavimus & pluvio aëre, adeò ut mel & tabularum geographicarum membranæ humiditate nimia dissolverentur. Sperabamus futurum, ut maris nos fluxus in Austrum propelleret, & versus Australes angustias. Circa vesperam parum promovimus, præcipuè cum ingentes fluctus ex Zephyronoto devolverentur, qui maris impetum remorabantur.

xxi Peramœna erat cœli facies, flante Zephyronoto. Imber densus hoc die delapsus,

DESCRIP TIO INDIÆ

lapsus, quem malacia excepit. Navis rimam musci comâ ferruminavimus, ut ab exhaustâ sentinæ laboribus immunes essemus.

xxii Ob aëris tranquillitatem nimiam nihil promovimus.

xxiii Maris nutu ferebamur, & ejectâ bolide ad orguias 50. vadum deprehendimus. Post meridiem instituto versus Notum occidentalem cursu quasi insulas vidimus, quem mox in Euronotum direximus ad evitandam tellurem. Noctu ad orguias 14. deprehensa maris altitudo. Præfectus, quem insularum inopinatus conspectus sollicitum habebat, totam noctem insomnem traduxit.

xxiv Objecta fuit oculis tellus, quæ res in causa fuit, quod versus Euronotum Orientalem tenderemus. Præfectum, qui secundum tabulas *Vilhelmi Iobannis* continentem hanc esse arbitrabatur, hæc res perculit, & cum littoris versus Orientem terminum non videret, ne ulterius in Orientem porrigeretur, verebatur. Nam versus Euronotum *voluxóτρον* tendentes, terram adhuc insularum forma conspiciebamus, eamque sublimiorem, quæ nive nobis operta videbatur. Quare propius ad littoris oram accedentes fretum ac Canalem vidimus, è quo magno æstu & impetu ferebantur aquæ, usque adeò, ut maris procellæ ac fluctus navis rostra subinde obtegerent.

Nullum hic deprehendimus fundum, magnaue erat in ipso Canali maris profunditas. Quare ad altitud. grad. 55. contendimus, & à meridie ad ipsum fretum rectâ perreximus, quo maris quoque nos pertrahebat æstus. Verum propter malaciam & ventum adversum substitimus.

xxv Summo mane, fudo cælo, ipsum Canalem conscendimus, primum Austrum versus, mox in Zephyronotum, denique rursus in Austrum obliquato cursu. Hinc inde ab utraque telluris ripâ loca montibus & rupibus aspera ac prærupta conspeximus. In ipso freto perpendiculo nautico altitudinem maris deprehendimus esse orguiarum 50. Et sic ob inventum hoc magno navigantium commodo fretum gaudio perfusi, Regiam hanc viam transivimus, Deo gratias agentes, quod voti nostri spem tandem explevissent. Mox de communi sententia terram, quam ab Occidentali parte videbamus, *Mauritij de Nassau* nomine insignivimus, & quæ ad Orientalem erat plagam, *Staten-landt*, *Ordinum terra* dicta fuit.

In ipso freto tantâ rapiditate in mare Septentrionale excurrerant aquæ, ut, acri licet vento impulsæ, adversum tamen maris æstum difficulter superare possemus. Multum hic aquis ulvæ ac musci palustris innatabat: multi visi nobis Pinguines, phocæ, & balænarum ingens multitudo, cum in ipso freti aditu, tum in ipsis freti angustijs, ac mari Australi, ita ut inter navigandum belluarum vasta corpora, modo huc modo illuc inflexo cursu, vitare necesse haberemus. Navis gubernator in ipso freti ostio asellum majorem cepit. Dum verò Euronotum & Zephyronotum versus respiceret, terram nusquam vidit. In terrâ de *Mauritij* nomine dictâ montes vidimus nive opertos, verum *Ordinum* tellus graminea nobis videbatur. Ad hæc utriusque telluris littus stationes commodas, sinus & portus habere videbatur, præcipuè littus *terre Ordinum*, ad cuius plagam Borealem insulam jacere dixisses. *Terra Mauritij* ad Septentrionem declivis erat, ad Austrum montosa. Circa meridiem altitudo nobis erat 55. grad. & 36. minutorum, cursu jam in Zephyronotum directo. A parte proræ ingruerant decumani, & aquæ color ante hac ob fundû turbulentiore, cœruleum colorem induere incipiebat. *Ordinum* terra à parte Australi in Orientem excurrerat. *Mauritij* verò in Apeliotem Septentrionalem & Zephyrum *voluxóτρον*, latitudo verò ab Austro in Septentrionem ad 10. circiter porrigebatur miliaria. Ac versus Occidentem, quoad oculorum

jactu

jactu assequi poteramus, extendebatur. Contra Ordinum terra, quoad longissime oculorum radij pertingere poterant, versus Vulturum exspaciabatur.

Post meridiem pluvium aerem & ventosum experti sumus, advolutis in proram decumanis fluctibus: versus Trasciozephyrum & Iapyga terram editiorem conspeximus, quæ discontinua & divulsa hic illic esse videbatur, ad freti latus Australe. Noctu adverso vento navigavimus, & turbato à decumanis mari, unde collegimus nos jam in mari Australi navigare, emensis freti hæcenus incogniti angustijs. Frequentes hic volitabant aves.

xxvi Flante Zephyro navigatum, inter pluviarum & grandinum imbres, commotis supra modum Oceani fluctibus. Tanta mox exorta fuit ventorum tempestas, ut navem subinde operirent fluctus. Sub meridiem altitudinem attigimus 57 graduum, instituto versus Austrum itinere, quod de nocte in Occidentem direximus.

xxvii Desæviit nonnihil tempestas. Altitudo nobis fuit grad 56 .. Multas hic vidimus aves, quas *Ian van Genten* vocant nautæ. Frigus erat intensissimum. de nocte vehementius flare cœpit Zephyronotus.

xxviii Dies nitidissimus illuxit, jamque ad grad. 56 provecti eramus, instituto in Africum cursu, verum flante mox Borea celerrimè navigavimus. Præfectus à scopulis & vadis sibi metuens, bis terve hac nocte surgens, oculos quaquaversum circum ferebat, in omnes casus intentus.

xxix Obducto nubibus æthere, & flante Euronoto, ad declive navis latus terram conspeximus versus Zephyrum; mox discussis nebulis insulas vidimus duorum miliarium intervallo à se invicem disjunctas, quæ vario situ præternavigantibus nobis apparuerunt. Nec balenas hic nec Pinguines vidimus, sed aves, quales portus *Desire* habebat. Insulis hisce in altitud. 57 grad. positis nomen *Barneveltij* indidit præfectus noster, in honorem & gratiam *Ioannis ab Oldenbarnevelt*. Tandem in Zephyronotum iter fleximus, verum insulas superare & ad latus earum Australe pertingere non potuimus, quare ad Borealem plagam contendendum fuit nobis. Tres insuper ab iisdem insulis ad Septentrionem jacent insulæ minores, magno miliari à Boreali & Australi priorum insularum parte. Post meridiem terram conspeximus versus Circium, eamque situ sublimem, & nivibus albicantem, ad Occidentem verò montes duos altissimos, quo loci terram hanc finiri judicabamus, quam Præfectus noster in honorem civitatis Hornæ, promontorium *de Hoorn* vocavit.

Sita erat in altitudine 57 grad. & minut. 48. Ne verò in hunc telluris angulum impingeremus, versus Austrum declinavimus, directo per totam noctem in Occidentem cursu.

xxx Ab occasu flabat Æolus, decumani fluctus tardiores: aquæ coloris cærulei. Ex quibus collegimus, nos in mari Australi esse. Sub meridiem altitud. deprehendimus grad. 57 1/2.

xxxi Flante è Septentrione vento versus Occasum perreximus. Verum postquam ex oculis nostris recessit promontorium *de Hoorn*, tertiam aliam nullam conspeximus. Sub meridiem altitudo observata grad. 58, minus 10 minutis.

Calendis Februarij tempestuosum erat cœlum, ventus idem qui antè. Sub noctem **FE-**
in Austrum contendimus, & sedata tempestas.

ii Flante Zephyro navigavimus. ad altitud. 58 grad. & vlvam latusque conspeximus. Levissimo quoque vento hic loci turbatur & procellosum fit mare, usque ad eò, ut fluctus jam jam sidera ipsa tacturos putes. **BRVA- RIVS.**

D E S C R I P T I O I N D I Æ

III Mitius flabat Zephyrus, & in Occidentem maris æstu propellebamur.

IV Serenior affulsit dies, & circa meridiem altitud. attigimus 56¹ grad. sed cum aquarum mutaretur color, in Austrum contendimus, & inclinato die in Occidentem. Nocte secundus navem ventus impulit, quem Trasciozephyrus excepit. Imperium enim in his tractibus tenent Zephyri, rarissimè flat Subsolanus aut Euronotus.

V Serenitatem tempestas dispulit, ut dejectis velis omnibus maris arbitrio jactaremur.

VII Opinabamur ad Trasciozephyrum ostium esse Freti Magellanici. Post pluviam & imbres secuta est aeris tranquillitas.

VIII Et sequentibus diebus flabat Zephyrus, pluvixque nobis & grandines & frigus molestissima erant.

XI Flabat Zephyronotus, serenacœli tempestate. Itum Circium versus, mari placido. Phocas tres quatuorve minores vidimus, quas è Freto Magellanico huc adnataffe conjectabamus. Altitudo erat grad. 57. minut. 50.

XII Vehementior nos impulit ventus è Septentrione spirans, quare in Occasum cursum direximus. Mirabamur tam serenos nobis affulgere dies, ad Orientalem Freti Magellanici partem, cum planè contrariam hic loci esse aëris tempestatem scriptis traditum sit. Superatis itaque his angustijs & relicto post nos Freto Magellanico ad testandam communem omnium lætitiã singulis adauctum fuit demensum, & ex omnium consensu fretum supradictum *Fretum le Maire* appellatum fuit, utpote cujus studio, cura & industria nova hæc & compendiosa in mare Pacificum via detecta fuit. Quin amplius, in æternam eius memoriam & sempiternam laudem Senatus nauticus hoc scriptum exaravit, omnium manu signatum.

IN nomine Dei Opt. maximi, creatoris cœli ac terræ, omniumque bonorum datoris munificentissimi ac conservatoris clementissimi, ad cuius gloriam & sempiternam laudem actionum omnium nostrarum auspiciã, progressus, ac fines dirigi oportet. Quum regnorum omnium, provinciarum, ac rerum publicarum, quarum potissimum ex transmarinis commercijs & negotiationibus pendet salus ac felicitas, summopere intersit, ut navigationum in incognitas ante hæc terras laude inclarescant, & hac ratione imperio suo robur majestatemque addant; Nos infrascripti omnes & singuli omnibus & singulis presentes litteras inspecturis notum facimus, Anno millesimo sexcentesimo decimo quinto, mense Ianuario (postquam Hornã solvissemus duarum navium, quarum una Concordia, altera Cornu dicta fuit, classe, idque auspicijs & mandato Illustriss. Ordinum Generalium & Illustriss. Principis Mauritij, sub ductu & moderamine Jacobi le Maire Præfeti & V Vilhelmi Schout navarchi, ad explorandas ac detegendas regiones Australes) tandem post longa jactationis tœdia & maris discrimina, detexisse ac transivisse ignotum in hunc usque diem fretum, per quod è mari Septentrionali in mare del Zur, sive Australe delati sumus, positum supra fretum Magellanicum & annexas ei insulas, in altitudine graduum 58 & 59 minutorum, atque hic mare Septentrionale cum Australi concurrere faciliori ac breviori, quam per fretum Magellanicum, via, in super affirmantes, ignorare nos, hanc viam alijs ante nos innotuisse, ideoque primos nos in insulis tribus

bus in mari jacentibus versus Euronotum, si Americam respicias, indidisse nomina, Ordinum, Mauritij, & Barneveltij, fretum ipsum appellavisse Fretum Iacobi le Maire; ideoque merito nos in fretum ac mare istud insulasque possessionis ac prerogativa titulum nobis vindicare, idque nomine Nobilissimorum ac Potentissimorum Ordinum Generalium & Principis Mauritij. In cuius rei fidem nos manu propria hisce litteris subscripsimus. Actum in navi Concordia.

Iacobus le Maire, *praefectus.*

Vilhelmus Cornelij Schout, *navarchus liburnica.*

Iohannes Theodori Hornanus, *gubernator primarius navis Cornu dictae.*

Conrardus Theodori ab Oosterblocker *à gubernatore ejusdem navis Secundus.*

Nicolaus Petri ab Oosthuysen *navarchus Concordiae.*

Cornelius Kinerfz à Ryfdam *secundus à gubernatore Concordiae.*

xiii Aër erat nubilus & pluvius, aqua coloris caerulei. Phocas aliquot vidimus, sed pisces nullos.

xiv Denuo nebulosus erat aër. Plurimos vidimus thynnos, & tursiones circa navem. Sub meridiem altitud. observavimus grad. 51. Vlvam vidimus, quam è locis terrestribus huc delatam conijciebamus.

xv Eundem, quem antè, versus Aquilonem cursum tenuimus, aere nebuloso. Sub meridiem altitudo erat 50 grad. & 50 minutorum.

xvi Aquam colorem suum mutare observavimus, & ejecta bolide ad orgujas vadum nullum offendimus.

xvii Auster nos impulit felici successu. Sub meridiem altitudo erat grad. 44 & 36 minutor. quare hoc die naturali 30 miliaria emensi sumus. Quotidie hic Ioannes Genianos, (aves sunt) laros & *Malefijten* vidimus. Hoc quoque die tormenta nostra suis singula locis disposuimus.

xviii Sub Meridiem ad altitud. pervenimus grad, 42. cumque in mari essemus Pacifico vela omnia explicuimus.

xix Flante adhuc Austro feliciter navigavimus, visa propè navem phoca, certum terrarum vicinarum argumentum. Visa quoque balenæ aut ceti.

xx Ad altitud. grad. 38, & minutor. 8 ventum, hoc die ex consilio Senatus decretum, ut refectiois ergò in insulas *Iohannis Ferdinandi* excurreremus, plurimis classiariorum scorbuto laborantibus.

xxi Idem, qui antè, flabat Auster, & sub meridiem gradus polares 35 & 50 minuta attigimus. Dolones sive anteriora ac è prora propendentia vela deduximus, ne insulas dictas præterveheremur.

Calendis Martij gubernator terram vidit. Sub meridiem in altitudine graduum triginta trium & quinquaginta quinque minutorum positi dimidio ab insula Australiore miliari aberamus, & ejectâ bolide vadum non invenimus. Insula ad Zephyronotum sita, sterilis, arida, declivis & rupibus prærupta videbatur,

DESCRPTIO INDIÆ

tur, & quibusdam in locis virens. Quare instituto versus Aquilonem & Mezen borealem cursu propius ad terram accessimus, vadi adhuc expertes, & mox superato ejus Australi angulo, aliam majorem insulam ad latus positam offendimus, quæ arboribus erat consita & grata viriditate nitebat. Ventorum inconstantia propius ad littus accedere prohibiti sumus, nec ubi commoda esset statio exploratum habebamus. Præfectus quædam ad hanc rem facientia è libris ac chartis suis in medium attulit, quæ tamen parvi pendebantur à gubernatore, communi, uti docuit eventus, omnium nostrum malo & incommodo. Cum autem nullos conspiceret in littore sinus ac diverticula, missus est ad explorandum littus secundus à gubernatore una cum mercatore, qui Sinus sic satis commodos deprehenderunt & maris altitudinem ad orgujas triginta & quadraginta, vadumque arenas volvens nigras.

Duo è classarijs terram conscenderunt, & conspecto primum qui è planitie in mare excurrebat torrente, phocas quoque plurimas, hircos, capras, aliaque quadrupedum animalium genera oberrantia hic videbant. Fructus quoque quibus refici possent corpora, invenerunt, & capti pisces 10 *Crocovvaden*, & unicum *prafemum*. Navis nostra partim propter adversos ventos, partim propter malaciam eò provehi non potuit, ut anchoræ locus esset.

II Observavimus nos maris æstu longius à littore repulso, & propter nimiam tranquillitatem totum diem fluctuum nutu ferebamur, nec stationem usquam reperire potuimus. Qui ad stationem Borealem in viridi positam valle contendere volet, insulam ab Orientali parte circumnaviget oportet. Sub meridiem ad altitudinem 33½ graduum perveneramus. Lembus noster trecentos pisces hamo captos advexit. Visi quoque ipsis hirci, & capræ rufæ, barbatae, ac cornute, quas, quia dumetis & vepretis se abdebant ilicet, capere non potuimus. Cancros etiam insignis magnitudinis vidimus. Creduntur hinc Hispani magnam piscium exsiccatorum copiam in continentem transmittere.

III Quatuor nos ab insulæ littore miliaribus retroactos cognovimus, ideoque in Terram Australem contendere decrevimus, deserta hac insula, è qua nihil præter aquam & pisces reportavimus. Altitudo erat, triginta trium graduum & minorum quadraginta.

IV Optata tempestate vecti uno die naturali 38 miliaria emensi sumus.

VIII Malè habebat præfectus. navarchus diarrhæa laborabat. Nec tamen quæ muneris sui erant neglexit præfectus, verum perpetuò ad nubeculam nigram, quæ, nisi post Solis occasum, conspicua non est, respexit. Observabat autem aliam aliquam nubeculam, propè polum, subpallidam.

XI Ventus nos impulit vehementior, & ad altitud. grad. 23 & 12 minorum. provexit, ita ut secundo jam Tropicum Cancri transiremus. Hic spirare cœpit Subsolanus & Vulturinus. Cursum in Trasciozephyrum direximus.

XVII Ex communi consilio decretum fuit, ut mutato cursu versus superiores partes Terræ Australis contenderemus, quod & factum.

XIX Eundem tenuimus cursum, aere sereno. Sub meridiem altit. attigimus grad. 13½, unde collegimus nos 300 à Peruviae orâ leucis abesse.

XX Subsolanus spirabat, pisces volantes vidimus (*pÿlsteerten* vocant) sub meridiem altitudo erat grad. fere 17.

XXI Magni nobis ex Austro incubuerunt fluctus decumani, quales in Hispanico mari excitari solent. Piscem vidimus longitudine cubiti unius½, cui erat gladij instar

instar prominens quid, longitudine etiam cubiti! & ingentes in dorso pinnae; quem quidam cornutum piscem vocabant. Velocissimè his diebus navigavimus.

xxiv Spirante Euronoto cursum recta in Occidentem direximus, & jam 460. à Peruvia aberamus miliaribus. Telluris desiderio tenebamur, & ne hic ulla occurreret terra Australis, metus erat. Ex nauarcho audivimus, nisi sperasset hic loci & cis insulas *Salomonis* inventam iri terram Australem aut Hollandicam Indiam, nunquam se pedem patrio solo moturum fuisse.

xxxI Terram nullam conspeximus, sed avium magnam frequentiam. Mirabamur nusquam nos insulam *S. Pauli*, quæ in hac altitudine sita est (erat autem ea grad. 15 $\frac{1}{2}$) oculis assequi posse. Ingruebant adhuc ex Austro decumani.

Calendis Aprilis ventum ad altitudinem grad. 15. & 8. minutor.

iiii Dies Paschatis erat. Jam mensis erat, ex quo ab insula *Iohannis Ferdinandi* discesseramus. A *Peru* 720. miliaribus aberamus. Scorbuto corripì cœperunt navales focij.

APRILIS.

ix E Septentrione spirabat *Æolus*, cursu in Occidentem instituto ad altitud. grad. 15. Hoc die fatis concessit *Iohannes Cornelij Schouten*, navis liburnicæ nauclerus, & frater nostri naucleri, postquam jam per mensem morbo pectoris & scorbuto laborasset.

x Favebat adhuc navigantibus ventus, aëre pluvio & procelloso. Cadaver defuncti aquis mæsti ac tristes commisimus. Post dictas preces chirurgus noster terram conspexit, juxta quam navigantes idoneum figendæ anchoræ locum quærivimus, sed frustra. Missus in terram fuit lembus, sed relatum à vectoribus nullam hic fidam esse propter vadosa maris loca, & ferventes maris æstu arenas, stationem. Postea nauarchus in terram exscendit commodissimè, sed reversus cum lembum contingere non posset, funi alligatus in aquas se præcipitavit, & ad socios non sine vitæ discrimine pertractus est. Retulit hic nullas se aquas dulces reperivisse, sed hic illic lacunas aliquot aquis amaris repletas, & avium in arboribus nidiculantium & piscium copiam. Hæc insula illa est, ad quam delatus fuit *Magellanus*, dicta illi *desuenturada*, cujus meminit *Hieronimus Benzoni*. Insula parva est, ambitu trium miliarium, quibusdam locis situ valde humili, quam media sui parte mare subinde inundat.

Abundè fert nasturtium aquaticum, amari admodum saporis, sed adversus scorbutum proprietate quadam conducens, cujus magnam copiam ad navem detulerunt classarij. Vis illi erat acris & mordicans, qualis dracunculo esse solet, catharticum adhuc & purgandi potestate præditum. Situs insulæ est in altitudine grad. 15. & 15. minutor. 920. a Peruvia tractu miliaribus. Et quia tres hic canes Hispanos vidimus, eam *Canum* (*Honden-eylandt*) insulam appellavimus. Hinc directo in Occidentem cursu ad insulas *Salomonis* contendimus.

xi Flabat Mezes. Sub meridiem altitudinis gradus 15. supputavimus. Nox procellosa fuit, & metus nos tenuit, ne alicubi hic in insulas, quales *Tuberones* sunt, impingeremus.

xii Exhibuit præfectus navis gubernatoribus Tabulas tractus Australis & *Nove Guinea*, ut, quo contendendum esset, ediscerent.

xiv Flabat ab ortu Subsolanus. Eratque hic decimus mensis, ex quo *Texelâ* solvimus. Post meridiem *Bartholomæus Petri*, Assistentium unus terram observavit versus *Corum*, duobus à nobis miliaribus, consitam arboribus, uti *Tuberones*. Insula magna erat, sed situ humilis. Recreabat hæc res non parum spe refectionis animos nostros,

D E S C R I P T I O I N D I Æ

nostros, præcipuè ægrotorum. Quare cursum versus eam in Occidentem direximus, ut quæ Septentrionem spectat superare eam possemus & opportunum firmandæ navi vadum explorare. Dum navigamus, eminus remigantem ad nos vidimus Canoam, hoc est lintrem, in quo quatuor erant viri nudi nec amicti vestibus, colore subflavo, qui manibus navem nostram prensabant, clamantes & voci ferantes. Verum nec illi nos, nec nos illos intelligere potuimus. Postquam jam propius ad telluris oram accessimus, fundo carebat mare, quare denuò in altum delati sumus. Mox alia nobis occurrit Canoam, cujus vectores, uti à prioribus factum, clamitabant, & magna vocis contentione dicere non nihil velle videbantur; verum nec hi intellecti. Subvertebat schaphulam ipsorum decumanus, fluctus, sed hi mira agilitate eandem denuò erexerunt. Cumque anchoræ hic nullibi idoneus esset locus, in suscepto ac instituto itinere perreximus.

Ambitus hujus insulæ est 20. circiter miliarium: & maximè versus Mezen & Zephyronotum exporrigitur, posita in altitudine grad. 14. & 35. minutorum. Situ depressa est, uti *Tuberones* insulæ, & arboribus, quas *Cocos* vocant, passim consita. In insulæ medietate aquæ erant. Homines vidimus non longè à sylva, propter aquæ rivum, habitu corporis flavo, capillis nigris; iisque post cervicem in nodi formam convolutis. Inter eos hominem vidit præfectus media corporis sui parte velatum.

xv Summo manè denuò versus Insulam cursum direximus, sperantes firmandæ alicubi navi oportunitatem nos inventuros, quam spem augebat vadi arenosi ratio; sed rursus frustra fuimus. Qui ad oram insulæ stabant indigenæ, nos sublatis in altum corporis tegumentis, ac arborum ramis ad terram ut accederemus, invitabant, navemque qua poterant in littore sequebantur. Missus fuit ad littus lembus noster ad explorandam maris altitudinem. Interea temporis accessit ad hunc Canoam tres vehens viros, cum quibus locuti nostri sunt, sed linguis hinc inde ignotis. Nos tres illis cultellos & coralliorum non nihil dedimus, munusculum, uti videbatur, ipsis non ingratum. Illi contra porrectâ nostris manu sinistra & junctis schapharum tædis suam erga nos benevolentiam varijs humanitatis officijs testabantur. Postea manuum illis jactu ut ad navem nostram se conferrent significabamus, quod & fecerunt, licet meticulosiores hac in parte viderentur. Mirabantur navis nostræ molem & structuram, subridebant subinde, & quasi multa dicturi ora vultumque componebant. Verum in navem nostram transcendere volebant.

Cum ipsis propinassemus vix primoribus labris degustabant, & post longam expectationem sibi retinebant scyphum. Ferro undequaque inhiabant, & num naviû clavos evellere possent, omni nisu tentabant. quare duos tresve clavos ferreos illis dedimus, quos avidè & cum gaudio auferebant. Caseum quoque ipsis & panem dedimus, sed hæc intacta reliquerunt. Placebant ipsis ferramenta omnia, quod verò nobis darent habebant nihil. Capilli ipsis erant nigri, quos in nodum in vertice capitis aut cervicis constringebant, cutis flava erat, digiti manusque coloribus varijs pictæ ac variegatæ, corpus omne compactum, torosum & pingue, statura insignis, nasi simi ac depressi, aures perforatæ, in quas ferreos, quos à nobis acceperant, clavos & corallia ingeriebant: pudenda solummodo panniculo aut matta Guineensi, hoc est, confecto ex juncis tegumento velati. Circa lembum nostrum oberrabant, è quo manum, (anchoræ species minore est) qua telluri adfigi solet schapha, auferre parabant. Navis peristylum, aut, qua obiri potest puppis, pergulam subinde conscendebant, moxque in Canoam suam se demittebant. Visum tandem fuit præfecto, ut denuò terram
conscende-

conscenderent sclopetarij sex, unà cum *Adriano Nicolai & Nicolao Iohannis*, qui vecti lembo, quas commutare se posse sperabant merces, secum vehebant. Etenim colligere nobis ex varijs, quæ dabant, signis videbamus, insulam hanc porcos & gallinas alere. Magnam arborum, quas *Cocos* vocant, frequentiam eminus videbamus. Vix terram conscenderant nostri, cum statim illos adorti sunt, & dejecto in terram uno ex nostris saccos vestesque undique explorabant, num ferramenta aliqua ac clavos invenire possent. Mox & duos alios vi in sylvam pertraxere, quod conspicientes ter in confertam hominum turbam explosimus, statimque perterriti sparsim aufugere. Quia verò nusquam hic fundum reperire potuimus, insulam hanc (*sonder gront*) *Vadi exper-tem*, hoc est, abyssum vocavimus. Consita erat arboribus, quas palmites vocant, & in locis penitioribus aquam habebat salfam. Quare cum de indigenarum in nos benevolentia desperaremus à littore recessimus, instituto in Occidentem cursu, & flante Euronoto. Cum autem placidissimum hic experiremur mare, non longè nos à terra abesse collegimus, vicinosque esse aut *Salomonis Insulis*, aut *Terra Australi*. Posita erat insula hæc in altitudine grad. 14. Nec verisimile nobis est, antehac detectam fuisse hanc insulam, quod ut crederemus, fecit, inter alia, summa indigenarum paupertas. Fœminæ à lumbis ad talos usque velatæ incedebant, virosque suos acrius increpare videbantur, quod durius nobiscum egissent.

xvi Sub occasum Solis novam terram conspexit navarchus noster, eamque depressam, arenosam, petrosam, & arboribus consitam. Verum nec *Cocos*, nec palmites vidimus. Deserta videbatur & incolarum expers. Missâ ad explorandam maris altitudinem schaphâ ad orguias 40. vadum offendimus, sed statio minus erat idonea. Terram nostri conscenderunt & aquarum recentium lacunas invenerunt, uti & nasturtium hortense & lactucam, qualem in India orientali reperire est. Ex nasturtio jusculum confecimus, quo refecti non parum sunt ægri. Ad gradus deinde 15. contendimus, ne sinum *Quiros* præterveheremur. Etenim communis omnium erat sententia nos non longè a Continente Australi abesse. Præfectus terram supradictam *VVaterlandiam*, *Aque terram* vocavit, hanc ob causam, quod aquas nobis recentiores suppedi- tasset. Sita erat in altitud. grad. 14. minor. 46.

xvii Varij generis aves vidimus, quibus alæ erant amplæ & latæ valdè. Vnde certò collegimus, à parte Australi terram esse. Sex modios aquæ hodie singulis assignavimus. Delapsus quoque in navem fœcundus imber aquarum nobis recentium copiam fecit.

xviii A latere navis depresso terram vidimus, positi in altitud. grad. 15. a priore terra *VVaterlandia* eam 20. circiter miliaribus abesse conijciebamus. Missus in terram lembus præter aquas salvas non repperit.

Iuxta littus proceræ staturæ hominem currentem videbant, manu arcum tenentem. Verum cum inermes essent nostri nonnihil à littore retrocesserunt: dumque remeant alios insuper sex viderunt in littore, qui mox in sylvam vicinam se recipiebant. Tanta hic erat muscarum vis, ut scapham undique & remos & ipsa nostrorum corpora operirent; quin ad triduum nos insequeretur hic exercitus, donec venti procellâ discussum dissipavit. Quare *Muscarum terra* dicta fuit.

xxi Flante Septentrione aër erat nubilus, & ad plagam Australem audita tonitrua & visi crebri fulminum ignes. Cursum in Occidentem instituimus.

xxiii Ingruebant ab Austro decumani, eratque jam altitudo polaris grad. 15. minut. 50.

xxiv Flante

D E S C R I P T I O I N D I Æ

XXIV Flante Subsolano, tempestas subinde imbrem deferens navi incubuit. Ingentem avium vidimus multitudinem.

XXVIII Circa meridiem altitudinem observavimus grad. 15. flante adhuc Apeliota. Itum versus Zephyrum *volucρώτερον*. Noctu malacia erat.

MAIUS. **C**alendis May vehementius flare cepit Apeliotes, nobis in Zephyrum *volucρώτερον* contendentibus. Fluctus ex Australi plaga antehac savientes mitescere cœperunt.

III Altitudinem observavimus grad. 15. hoc die convaluerant penè nostri omnes esu nasturtij istius hortensis, & à scorbuto liberati prorsus sunt. Quinque aut sex *Dorados* in mari Australi vidimus, & pisces aliquot volantes. Hac meridie 1300. nos à Peruvia miliaribus abesse collegimus.

IV. V. VI. VII Eodem vecti vento eundem quem antè cursum tenuimus.

VIII Signa vicinæ telluris vidimus; nempe ramos arborum folijs denudatos: ad hæc ulvam & plurimos pisces, quos *Bonjettos* vocant. Post meridiem præfectus noster è puppis pergula oculos quaqua versum circumferens, versus Zephyronotum albicare aliquid observavit, quare advocato ad se navis gubernatore & jam propius accedentes, velum esse arbitrati sunt, istius formæ, quam *Bezaen* vocant. erat autem navis ex Australi parte aliò contendens, quæ conspectis nobis quasi hostile quid metuens non nihil deflexit. Nos exposito lembo octo in eum sclopetarios descendere iussimus, qui cum viderent omnia ad conflictum parata esse, jamque armatos missilibus stare singulos in transtris ac navis acroterijs, sclopeti ictu unum ex his trajectis scapulis vulneraverunt, qui in mare statim se præcipitem dedit, quod & fecere alij insuper numero quindecim aut sexdecim. Verum priusquam navi exilirent, vultum cineribus deturparunt, relictis in navi uxoribus, liberis, sene uno, cui canicies barbam tinxerat, & juvene. Atque illi quidem, quorum unus puerulum amplexu tenebat, natando evadere sperabant, donec prætervecti essemus. Nostri propè accedentes naviculam lembo harpagone adfixere, & natantes ad navem nostram, uti & naviculam ipsam, protruserunt. Tegetes plurimas uti & gallinas in aquas jam antè conjecerant, nec defensionem suam studebant. Erant de Indorum genere, quibus corpora flava sunt, quorum nec nos linguam intelligebamus, & qui nostrorum quoque linguas, licet varias, ignorabant. Nos viros in navem nostram transcendere iussimus & cibo ac potu humaniter excepimus. Fœminæ lachrymis maritorum mortem (suffocatos enim jam putabant) deplorabant, qui tamen natando evasere. Lembus noster duos eorum, qui in aquas se præcipitaverant, servavit. Circa vesperam in naviculam suam ad uxores descenderunt, quæ osculis maritos gratulabundæ exceperunt.

In Canoa ipsorum nuces *Cocos*, radices *Obes*, stramenta aliquot, & ex arborum corticibus contexta tegumenta reperivimus. Aquam salisam puerulis, qui tres erant numero, bibendam dabant. Missus est ad uxores ipsorum à præfecto *Adrianus Nicolai* & *Daniel le Maire*, qui ipsis varij generis minutias offerret, quas avide arreptas statim è collo & uberibus suspendebant. Cum discederemus, ex fœminis una miserè ejulabat, quæ virum suum submersum putabat. Vicissim illæ duas nuces *Cocos*, & duas tegetes ac stragula juncta *Adriano Nicolai* dederunt. Crines illis erant nigri, quibusdam spassi, alijs crispi. Fœminis resecti erant capilli, ut à viris dignosci non possent, nisi uberum adspectu. Navem habebant mirabilis formæ, ex duabus naviculis aut schaphulis sesqui cubito à se invicem sejunctis, constantem, quibus per transversum illigatæ incumbabant trabes, & lignorum strues, quas tabulato straverant, ut pervium na-

vium

vium ordinem facerent. Supra hoc tuguriolum aut casulam ex stramentis ac tegetibus exstruxerant forma oblonga, in qua se continebant uxores ipsorum ac liberi. Hanc autem navem remis crassioribus ad proram & puppim moderabantur. Erectus erat in anteriore navis parte malus, rudentibus hinc inde ligno transverso alligatus. Antenna quoque utebantur, & adverso vento navigare sinusque obliquare edocti erant. Funes affabrè ex diversa materia torti erant: plutei navales ex rubro constabant ligno.

Securim habebant ex lapide lydio nigro constantem, quâ ægerrimè carere velle videbantur. Vela ex stragulis ac tegetibus junceis confecta erant. Sola conjecturâ non ad pyxidis nauticæ ductam, navigabant. A nobis discedentes versus Euronotum cursum instituebant.

x Summo mane, placido mari, flante Euronoto versus Zephyrum *νοτιώτερον* contendimus. Præfectus hesternò die vicinos nos esse telluri augurabatur. Verum hodie altissimum montem qualis in *Ternata* conspicitur vidimus quem in insula positum judicavimus. Situs erat ad Zephyronotum *νοτιώτερον*, nostri respectu. Post meridiem conscenso malo aliam insulam detexit, ad prioris plagam Australem, quæ situ erat depressa & aspera.

Harum insularum, quarum una major, altera minor erat, mentionem facit *Quiros*, quare & reliquas, quarum meminit, nos reperturos putavimus, uti & Continentem Australem. Paulo post velum vidimus ad latus navis Boreale, aliudve inter dictas insulas. Piscatores esse arbitrabamur, cum noctu ignes in navibus accenderent.

x i Insulam prætervecti iter Austrum versus direximus, flante Subsolano. Vadum bolide deprehensum ad orgujas 14. idque testaceum & arenosum, mox ad orgujas 16, 20, 25, 26. Hoc superato denuo vadi expertes in altum delati sumus. Duos piscatores vidimus, quorum unus ad nos appropinquans multa loquebatur, sed quæ intelligi à nobis non poterant.

Propius eum ad nos coralliorum conspectu pellicere conabamur, sed frustrâ. Pisces quos ceperant nobis eminus ostentabant, quare funem in ipsorum naviculam conjecimus, cum appenso vasculo, ad excipiendos, uti rebamur, pisces.

Verum illi emisso funi duas nuces *Cocos* corticibus suis adhuc involutas, & piscem alatum insignis magnitudinis alligaverunt. Vasculum autem sibi reservaverunt, feramentorum amore.

Circa meridiem insulæ appropinquavimus, reperto vado, coque arenoso & testaceo, qua parte ea ipsa insula Circium spectat. A littore aberamus altero tormenti bellici jactu, ubi altitudinem maris ad orgujas viginti sex deprehendimus.

Duos iterum è mari reduces piscatores vidimus, qui in insulam, duobus à priore distitam miliaribus ad Austrum, contendebant. Erat ea magnitudine vasta, sed situ ac solo depressior.

Cum autem nos in insulam cursum dirigere viderent, ad nos festinarunt, & circa navem oberrarunt.

Schapha nostra maris profunditatem exploratura, eam reperit orgujarum quindecim, quatuordecim, duodecim.

Quare ad insulam tendentes ad viginti quinque orgujarum altitudinem substitimus, sub finem insulæ. Piscatores dicti navigantes nos sequebantur, & primum propius accedere non ausi, mox fiduciam cepere navem nostram con-

Q

scen-

DESCRIPTIO NAVIGATIONIS



- | | |
|--|-------------------|
| A. Duae canoae conjunctae. | E. Malus navis. |
| B. Tabulatum instratum naviculis. | F. Rudentes. |
| C. Tentorium sive tuguriolum tabulato superstructum. | G.G. Antenna. |
| D. Remorum forma. | H. Insigne Galli. |

scendendi, ac tandem multis precibus invitati duo eorum navarchi cubile (*Cajute*) sive Casteriam subintrarunt: quod videntes relicta Canoa omnes ad nos transiverunt, in navis acroterijs sive pluteis navalibus consistentes. Hic *Theodorum Boelis* pulsantem chelyn attenti cum admiratione audiverunt, nec à risu sibi abstinere poterant. Classiarij saltare & choreas agitare exorsi sunt, quorum in saltando gestus illi quoque imitari coeperunt.

Petimus

petijmus ab ipsis, ut Nuces *Cocos*, *Banannas*, *Oubas*, porcos, gallinas & id genus alia nobis adferrent, quod certis signis se facturos promiserunt. Nos com meatum omnem clavis alijsque mercibus nos redimere velle significabamus. Postquam à nobis discessissent, reversi sunt, ducentas nuces *Cocos* asportantes. Mox tantus horum hominum numerus ad navem confluit, ut eam penè obruere velle viderentur. Suspensis è collo nucibus ad nos adnatabant, furto undique, ad quod proclives erant valde, intenti.

Clavos, glandes æneas, & obvia quæq; auferbant, quin cultellum coci famulo extorserunt tanta vi, ut digitos ejus graviter vulnerarent, & hac præda læti præcipites se ilicet in mare dabant.

Vnus eorum atramentarium æneum, alter culcitram, & togam nauticam, alius alia auferens de navi defiliit. Vnus quoque eorum in cubile quoddam irrepsit; adeò ut Argi oculis undequaque opus esset, ad occurrendum hic illic vesanæ horum hominum rapacitati. Lembum nostrum è littore jam solvere parantem duodecim cinxere Canoæ, & perpendiculum nauticum gubernatori vi extorserunt, additis insuper minis; quare bis in illos solo pulvere tormentario explosimus, quod dum contemnerent lusufque ipsis videretur, glande ducem ipsorum percussimus, cujus casu ac morte perterriti diffluxerunt ilicet, nec ultrà nobis molesti fuere. Gens erat pauperrima, nullis legibus, nullo rege, sed suo solummodo nutu vivens. Iuncis corpus undique velaverant, agrestium in morem. Collum tenui strinxerant filo, è quo cochleæ pendebant, & columba, quam vendere nobis volebant.

Quidam numismatum loco conchas margaritarum è collo suspenderant, alij armillis ex conchis margaritarum confectis brachia cinxerant, more eorum, qui promontorium *Bonæ Spei* incolunt.

Altera insula incolis erat frequentissima, domosque habebat longa serie contiguas; littus, quod sylvis passim obijciebatur, arenosum erat.

Circum vesperam ignes ac focos hic illic plurimos conspeximus, arbitrati suæ quemque indigenarum culinæ jam rationem habere, & cœnam apparare. Incolæ hujus insulæ habitu corporis erant vegeto & robusto, sola verenda tecti, varia autem ipsis capillorum cura & forma. quibusdam in tutulum vincti erant, alijs arte quadam crispatis, alijs prorsus resecti. Natandi peritissimi erant. Situs hujus Insulæ *Cocos* est in altitudine 16 grad. & 10 minut.


xii Mane aër erat nebulosus & pluvius. Vix discussis nebulis emerferat Phœbus, ecce 35 ad nos advolant Canoæ, onustæ omnes nucibus, quas *Cocos* appellant. Itaque hoc die instituta mercium commutatione 700 nobis nuces *Cocos* comparavimus, præter eas quas hesternò die nacti eramus, adhæc magnam *Bananarum* & radicum *Oubarum* vim.

Eopse die inter nos & ipsos convenit, ut quinque *Cocos* uno clavo redimerentur, aut duobus coralliorum lineis.

Statutum quoque, ut suos primum nobis fructus exhiberent, priusquam merces nostras reciperent, utque venditionum emptionumque contractus non in ipsa navi, sed è puppis pergula instituerentur.

Iamque facillimâ viâ inibantur mercimonia, & commutationes mutuæ. Illi postquam lintres suos exonerassent, mercibus nostris acceptis è puppi in mare se præcipitabant, agrestes planè ac feri: inde ad suas quisque natando properabat Canoas. Signis quibusdam significabant insulæ Regem brevi adfore, qui

DESCRIPTIO INDIAE



- A. *Insula Cocos.*
 B. *Proditorum Insula, sic dicta, quod insidias nobis struerent insulani.*
 C. *Velitationes cum Indis, in quibus aliqui cecidere.*
 D. *Indorum canoa, quas summa dexteritate regere norunt.*
 E. *Navis Concordia, ad quam commercij gratia Indorum Capo. conflunt.*
 F. *Re furto sublata è puppi in mare se precipites dant Insulani.*

nobis βασιλικὰ δῶρα misit, porcum, gallum, & gallinam. Internuncius ac regionum, munerum lator, nihil, quo pensari hæc regis posset liberalitas, repetebat. Post horam ad nos adremigabat Canoa, nobiles istius regionis viros vehens, comitata triginta Canois. Ipse rex medius sedebat, sub junceo stragulo, quod tentorij in morem supra ejus caput tetenderant. Cum navi nostræ approinquaret, tē magna

magna voce inelamabat, & quartum jam inelamanti acclamabant pariter reliqui omnes. Honoris ac suæ erga nos reverentiæ signa edebat varia, modò manu frontem feriens, modo rejectis in cervicem manibus. Vnum ex primoribus suis ad nos misit, qui stragulum nobis ex subtilioribus juncis contextum, & aliud papyro non absimile præbuit. Pergulam cum nobilibus suis, quibus corpora erant benè curata, conscendit. Nos Cererem ipsis ac Bacchi pocula ministrari curavimus, quorum sapore minus affici videbantur. Adhæc effigiem Principis *Mauritij* ipsi ostendit præfectus, ignarus, an, quid sibi eâ vellet, intelligeret, uti & pectinem & speculum, quæ ipsi perplacebant. Verum pro donarijs acceptis vicissim illi data est linteï panni orguia una, securis, & duo coralliorum fasciculi, quos unus eorum avidissimè arripiens in mare se præcipitem dedit, & Regi obtulit, qui junceo solum stragulo velatus humaniter munuscula nostra accepit, & in cervicem inclinato in tergum capite rejecit, & mox quatuor aut quinque nobilium suorum vertici imposuit. Postea cultrum quoque ipsi & capitium rubrum dedimus. Qui in navi nostra erat, Canoas, quæ frequentes ad navem accedebant, manus signo longius recedere jussit, vocem hanc *Fanou Fanou* aliquoties ingeminans. Signis varijs intelligere nos volebant, cui insulæ imperaret Rex ipsorum, & quis regis esset filius. Loquebantur multa, sed mentem capere non potuimus. Hoc intelligere nobis videbatur, velle eos, ut propius ad littus navem adduceremus, quo de comœatu omni, porcis, gallinis, vaccis & fructibus varijs nobis commodius prospicere possemus. Nos significavimus, simulac de aqua recentiore nobis abunde prospexissemus, propius nos accessuros. Quare discesserunt à nobis, illis ingenti clamore, nostris tympanorum & buccinarum sonitu ac vexillo pacifero amicitiam mutuam benevolentiamque testantibus. Valdè ipsis placebat cingulum Præfecti, quod acupictum variatumque artificiosè esset, quin & ferramenta omnia habere amabant. Vnus eorum sub ipsam carinam se misit, ut clavos evelleret, cui festucæ manum digitosque perfoderunt. Commutabat quoque cum ipsis hamos aliquot præfectus, quos tamen reservare sibi maluissent. Reverenter admodum se erga nos gerebant, modo in genua provoluti, modo pedes nostros exosculati. Ad navis nostræ conspectum attoniti hærebant, nec explere oculos videndo poterant. Aurium lobi diffissi ipsis erant, & in ipsos propè humeros propendebant. totum corpus maculis notatum erat, quales pulvis nitratus inurere solet. Capillus ipsis diversicolor erat, mystacesque & mentum vestiens barba abrafa prorsus.

XIII Antequam illuxisset, duæ Canoæ, iisdem quibus antè legibus, nobiscum merces commutabant. Mox quadraginta ad properabant, *Cocos*, *Bananas*, fues & gallinas adferentes. Pro clavo, quem (*vijsduym*) *quinque pollicum* vocare solent fabri, porcum accepimus; & duarum horarum spatium plus quam 700. nobis *Cocos* comparavimus. Postea Canoas alias accedentes vidimus, quæ, uti opinabamur, Regem, quem *Latou* vocabant, vehebant. Hæ undequaque navem cingebant, ut mali aliquid eas moliri suspicaremur. Velum inter alia eminens Galli imaginem depictam ostentabat, coloris rufi & puniceï, quam scapham reliquæ omnes Canoæ, tanquam ducem sequebantur. Atquæ hæc ipsa per classem hic illic obnavigabat, & quid agendum esset præscribebat singulis. Nos retractis in navem anchoris iter parabamus, quod conspicati, navem adorta est una ex Canois, & sublato ingenti in cœlum clamore, ad incutiendum nobis terrorem, faxis jacere hostiliterque nos impetere cœperunt. Quare explosis in illos sclopetis aliquot duos aut tres eorum necidimus, reliquis enatantibus, cum uxoribus, quas secum adduxerant. Certò nobis persuadebamus, eos omnes suas in unum vi-

D E S C R I P T I O N A V I G A T I O N I S

res contulisse. Erat enim hominum numerus ingens. Navalibus focijs animus erat terram conscendere, & gentis hujus perfidiam ferro ulcisci; verum secus visum Præfecto totique Senatui nautico.

Nobilis iste, qui pridie ejus diei in navi nostra fuerat, præfecto fruticem annexa adhuc radice sua obtulit, quem tum temporis accipere recusavit. Postero die denuo per internuncios eundem fruticem offerri jussit, & ne mala oboriretur nobis suspicio, ipsi particulas ejus mandere ac dentibus confringere cœpere, quas tamen mox exspuebant. Quæ res suspicandi occasionem præbuit, propositum ipsis fuisse, aut veneno tollere præfectum, aut insaniam ipsi conciliare. Insulæ, quæ miliare unicum à nobis aberat, nomen à *Proditione* indidimus, quoniam maxima horum hominum multitudo ex ea ad nos confluxerat.

xiv Aër erat nubilus, sed discussâ radijs solaribus caligine, versus Occidentem aliam insulam conspeximus, septem à nobis miliaribus, & 30. à priore insula leucis distitam. Longitudinem ejus ab Austro in Septentrionem duorum plus minus esse miliarium conijciebamus, altitudinem 16. graduum, quæ eadem erat cum altitud. insulæ *Cocos*. Cum ad littus appulsemus 27. ad nos remigarunt Canoæ, ut bolidis jactum penè impedirent. Erant & hi, uti superiores, furto dediti. funiculo enim arrepto perpendiculum plumbeum refecare conabantur; verum nos saxis è peristylio ipsis minabamur, ni abstinerent. Clavos quoque ferreos prensitabant. Lembus noster versus littus ad explorandam vadi altitudinem abiturus penè ab hominum multitudine obrutus fuit. Verum bis explosa bombardâ duos eorum occidimus, quo spectaculo reliqui territi ad littus properabant, clamantes *Bou, bou, bou*. Hac siquidem voce inauditum fortè ipsis antehac bombardæ sonum referre voluerunt. Canoam è littore solventem conspeximus, quæ mortuorum cadavera quæsitum ibat. Lembus vadum non repperit, nisi quod molli lapide constabat, ad orguias circiter 20. 30. 40. 50. Magnam arborum nuces *Cocos* ferentium & tuguriolorum frequentiam vidimus, etiam cursitantes in littore ac locis montanis indigenas. Avium quoque modulamina & canoræ voces audita. Ejusdem hi incolæ cum prioribus erant staturæ ac indolis. Quid gallinæ, quid sues essent, ignorabant, nec nomina horum animalium, *Vacka en omo*, à præfecto nostro usurpata intelligebant. Priusquam insidias nobis struxissent, pro coralliorum aliquot fasciculis quatuor pisces volantes recepimus. Consultum videbatur Præfecto, ut in ipsa insulæ ora firmaretur navis, utque abactâ tormentorum bellicorum explosione hominum, quæ in littore stabat, multitudine, & instructo sclopetarijs lembo, aquatum in terram exscenderemus. Verum ex plurium suffragio secus statutum. Hanc *Bonæ Spei* Insulam vocavit præfectus, quia spem conceperat, futurum, ut hic novi commeatus quo valdè jam egebamus copia sibi fieret.

xv Circa meridiem altitudo polaris erat graduum 16. & 12. minutorum. Flante Euronoto versus Occidentem tendebamus.

xvii Summo mane aère navigavimus placido & sereno, ad altitudinem grad. 16. paulo plus. Deficiente verò aquæ commeatu concisum nonnihil fuit demensum, & vini Hispanici singulis assignata mensura minor, idque loco jentaculi. Crica vesperam hamo piscem *Albicoret* cepimus. Ex communi consilio institutus versus Occidentem cursus.

xviii Phœbus nitidum caput undis extulit, & totum diem flante sic satis Zephyro & Zephyronoto navigavimus. Iam subductâ ratione 1550. miliaribus à Peruvia

nos

nos abesse collegimus. Nulli hic nos aut ab Australi aut Septentrionali plaga pressere decumani. Dicebat præfecto navis ductor, spirare ab occasu Æolum, ideoque posse nos versus Arctum cursum dirigere, quod consiliū navarcho summopere placuit, qui ipsum hortabatur, ut in Arctum tenderet; sed dilata res in meridiem post observatam poli altitudinem. Navis ductori expedire videbatur, ut porrò versus Occidentem iretur, spe reperiundæ telluris. Sed vicit alter. Quare flante circa vesperam Austro decretum, uti recta in Thrafciozephyrum dirigeretur cursus, qua *Nova Guinea* terminatur, verum regressit gubernator, hoc servato cursu futurum ut in medias *Nova Guinea* terras prolaberemur, præteritis insulis aliquot ad mercandum idoneis. Itaque denuò decretum, ut Septentrionem versus ad 11. & 12. gradus iretur, & in primò obviam terram ad aquandum exscenderemus. Noctu aliquot pluvialis aquæ congios collegimus.

xx Sereno cælo, aëre placido, flante Austro versus Septentrionem itum, ad altitudinem grad. 15. Sub vesperam duas insulas conspeximus versus *Mezen* Orientalem, sex circiter à nobis miliaribus, ad quas læti gavisque contendimus.

xx Viciniores jam insulis eramus, & fumum ex ijs adscendentem conspeximus. Duæ erant insulæ, una magna satis, altera parva. Verum venti iniquitate impediti ad navigare vix potuimus.

xxi Duobus ab hinc aberravimus miliaribus. Situ apparebat tellus satis edito, & arboribus confita. Iuxta littus, quod albas arenasolvebat, longa serie arbores *Cocos* crescebant. Sub meridiem hinc inde ab utraque insula *Canoæ* plus quam 23, quæ singulæ tres habebant viros, adventabant, alta voce nobis acclamantes, quo ritu adventum hospitibus gratulantur. Nos buccinarum clangore, & altum quoque inclamantes clamoribus & congratulationibus ipsorum respondimus. Eadem erat Canoarum structura, quæ in insula *Bonæ Spei*, eadem hominum ratio, idem color, ijdem capilli, eadem statura, & membrorum proportio, idem quoque linguæ idioma. Verum sordidiores & squallidiores nobis videbantur. Merces, quas commutarent, non habebant. Nos clavos aliquot & Corallia ipsis dedimus, illi nobis pisciculos duos tresve. Et hi quoque furacissimi erant. Undique navem conscendebant & è pergula Præfecti indusium furtim surripiebant. Hortabatur illos mercator noster, ut redderent, sed illi recusantes duos in illum conjecerunt lapides, quorum alterum in ipsos retorfit. Quare classiariorum aliquis injussus totmentum in ipsos explosit, quo proculdubio ipsorum aliqui læsi sunt. Nam & cruentata quorundam corpora adspeximus, & indusio in aquas abjecto celerimè ad littus remeabant. Postea aliæ ad nos accessere *Canoæ*, à quibus ut *Cocos* & id genus alios fructus adferrent, petijmus. Vni Coralliorum fasciculum dedimus, quem Insulæ domino traderet, quod an factum sit ignoramus. Mox lembus noster cum primario navis ductore & navarcho & octo sclopetarijs maris altitudinem exploratum ibat, verum vadum non deprehendit. cum à littore discederent nostri, eos adorti sunt insulani, ex quorum numero tres tormentis lapideis & solopetis à nostris occisi, qui unum ex Canois ipsorum, in quâ perempti jam recens hominis cadaver inventum, advexerunt. Postea cum penuria aquæ nos affligeret, decretum, ut adducta propius ad littus navi summo mane armata manu aquatum iremus.

xxii Procella nos magno nostro incommodo ad medium Insulæ littus protrusit. Maris altitud. deprehendimus ad orguias 50. vado arenoso & testaceo. Eminus torrentem ac rivulum è planitie per arbores labi observavimus. Atque propius accedentes ad altitudinem orguiarum quadraginta quinque navem firmavimus. Longius jam à lembo declinabant, præcipue cum inopina sclopi majoris explosio terrorem

ipsis

D E S C R I P T I O N A V I G A T I O N I S .

ipsis denuò incussisset. Hoc die 700 nobis Cocos, aquam adhæc, *Calabassas* & *Batattas* aliaque id generis comparavimus. Quidam flexis genibus & inclinato capite radices, quas *Aconas* vocabant, in cervicem more suo rejectas nobis obtulerunt. Præibat verba senex quidam, & finita oratione acclamabant reliqui. Verum cum recusare eas nos viderent in mare abjecerunt. Ipsi eas dentibus arrodabant, mandebant, sed non deglutiebant. Significavimus ipsis, ut Cocos, Bananas, porcos & gallinas adferrent; quod factum, pro quibus corallia ipsis & clavos ferreos dedimus. Quas primum advehebant sues semiasæ erant, nec à sordibus ac sanguine purgatæ satis. Exempta erant intestina, & in locum eorum herbas & lapides ignitos ac candentes ingesserant, hoc consilio, ut interiores quoque partes calor ignis coqueret. Porcinas carnes familiares ipsis esse inde collegimus, quod magna horum animalium passim oberaret frequentia. Opinio multorum erat, has semiasatas ab insulæ Domino nobis donatas esse, quanquam pro ijs cultrum ipsis, & forficem nec non corallia dederimus. Verum tertius, quem adducebant, porcus à Rege missus videbatur.

Erathic mediocris magnitudinis, & solum hunc Canoa veçtabat, è loco in quo Rex ipsorum suum *Belay*, hoc est, sedem regiam fixerat.

Senes cum duo ad sportabant, & demisso à nobis è navis pergula funi alligabant. Atque hæc hodiè transacta sunt, nemine ipsorum intra navis foros admissis. Furtim nihil auferre moliebantur, merces suas nobis credebant, ut alij nobis facti viderentur.

Solvit mox è littore Canoa fœminas aliquot vehens, quæ navem, & quibus hic illic depicta erat, imagines, magnâ cum admiratione contemplabantur, & picem digitis atrectantes naribus eos admovebant, ut odore affici eas dixisses.

Hæc post ad explorandam maris altitudinem & commodam stationem missus lembus, quam in Sinu quodam idoneam reperiverunt, propè fluentum aliquod, sub ipsum littus, vbi etiam firmandæ navis locus erat opportunus.

Navarchus Terram Australem detectam jam ajebat, cum & flumina hic recentis aquæ, & porcos & similia plura invenissent.

Proposuit navarchus, an non consultum foret, ad quinque hic hebdomadas morari. Sex nobis pisces volantes comparavimus, qui cari quoque ipsis esse videbantur. Singulos clavo ferreo, aut coralliorum linea redemimus. *Crocovadam* quoque pro clavo nacti sumus.

XXIII In sinum ipsum ad littoris oram navem deduximus propè aquisitionis locum. Indigenæ bacillis armati turmatim ad *Belay* sive regis tentorium confluebant, quingenti circiter numero, deliberaturi, uti videbatur, quid facto opus esset. Etiam fœminæ cum liberis suis in schaphulas se dabant & ad spectandam navis molem accurrebant. Aliunde quoque ex pagis adventantes vidimus, qui ramos arborum, è quibus vexilla alba pacis signa suspenderant, manibus portabant. Quidam honorem nobis exhibituri caput ad genua penè ipsa inclinabant. Sub vesperam senex quidam canicie venerabilis, nomine Regis sui quatuor nobis obtulit Cocos cortice carentes, nec quidquam reposcebat. Perhumaniter nos invitabat, ut in terram exscenderemus; verum signis ipsi demonstravimus, consultum minimè hoc nobis videri, nisi receptis obsidibus.

Quotquot navem lustraverant, ab alijs undequaque magna corona cingebantur, ut navis formam aliaque, quæ in ijs vidissent, rariora ediscerent.

XXIV In terram exscenderunt *Adrianus Nicolai* & *Reinerus Simonis*, una cum *Casteriz*

Caſteria (*cajutam* vocant) cuſtode. Viciffim ad nos obſides quatuor miſſi, quos receptos in Cajutam cibo & potu excepimus. Viri videbantur primaria dignitatis, ſecumque filioloſ duos adduxerant, ſtatura, oculis, capillis totoque corporis habitu pulcherrimos, moribus denique ad omnem modeſtiam compoſitis. Noſtri donariorum loco corallia, ſpecula, catenam vitream, & capitium rubrum ſecum attulerant. Valdè ipsis placebat induſium *Adriani* noſtri, idque ob niveum candorem; quæ cauſa fuit, quod induſium è navi adferri juberet.

Præfectus unum ex ſuis induſijs miſit, additis cultellis duobus, & tintinnabulis. Honorificè exceptus fuit *Adrianus*, præcipuè à Rege, qui in terram ſe ante pedes ipſius ſumma humilitate demiffit, & Indorum more ſedens hæſitabundus ac animi dubius ad dimidiam pene horam prono in terram capite jacebat; donec eum erexit *Adrianus*, cujus mox pedes & manus oſculatus eſt.

Idem factitabat alius quidam ex primoribus, plorans & ejulans. Arrepto *Adriani* pede cervicem ſuam calcari voluit, eundemque ſtoreæ aut junceo ſtragulo impoſuit, ipſe in terram ſe reclinans, Regi donaria tradi juſſit, qui hilari ea fronte accipiebat, vocem hanc ingeminans, *Avvoo Avvoo*. Ad navem *avli daga* miſit, porcos tres. Impetrata quoque aquandi venia, cui operi intentis claſſarijs, nemini moleſtiam ipsis faceſſere patiebatur, miſſis ad ipſorum ſecuritatem miniſtris aliquot. Fœminam, quæ aquationem impedire conabatur, ſuſtibus tam crudeliter contudit, ut vix ſurgere ac pedibus in-niti poſſet.

Interea temporis detinuit in navi obſides Præfectus, moræ tædium cithara ac chely nec non tripudijs ſolatus.

Voces quoque quas proferebant, annotavit. Canoæ fœminas liberosque vehentes magno numero ad navem acceſſere, aliæ mercatus cauſa, aliæ voluptatis. Vnus eorum navem conſcendens gladium furtim abſtulit, nos remis ipſum inſecuti aſſequi non potuimus.

Ad terram ubi appuliſſet, ereptus illi enſis ad nos remiſſus eſt. Cervicem ſuam oſtendentes ſignificare volebant, ſi de fure *Herico* ſive Regi conſtaret, præciſam ipsis iri cervicem.

Petebat idem Rex, ut tormentum bellicum ſolo pulvere nitrato exploderetur, quod & factum, ſed metuens ſibi nihilominus abituriebat, jamque aufugiſſet, niſi ſecurum ipſum eſſe juſſiſſet *Adrianus* noſter.

Circa meridiem redditi utrinque obſides ad ſuos læti rediere. Auctum quoque fuit hoc die ſingulo Claſſarijs commeatus demenſum.

xxv Serenus illuxit dies; quare primo manè exſcenderunt *Adrianus Nicolai*, *Daniel le Maire*, & *Nicolaus Iohannis*. Præfectus donaria denuo ad *Latou* miſit, nempe pelvim æneam, & faſciculum coralliorum alborum, quæ gratiſſima ipsis erant. Mox piſcatum ivimus & piſcium mediocrem numerum cepimus. Iterum Cocos aſportarunt indigenæ, ſed harum jam nos faſtidium ceperat.

Ad navem accedebant viri aliquot robuſti, regij erant ſatellites, quorum magna erat apud promiſcuam plebem authoritas, verum obſides poſthac non petijmus, ratâ jam & probatâ tot benevolentia officijs pace. Senex quidam ſummâ reverentiâ n. bis dono obtulit porcellum, pro quo viciffim cultellum, clavum, & corallia ipsis dedimus. Prætereà è nobilium ordine tres ad navem acceſſere, manu ramos, è quibus vexilla pende-bant, in pacis ſignum prætendentes. Coronæ ex folijs Cocos contextæ è collo pen-debant.

D E S C R I P T I O N A V I G A T I O N I S


prono in navis tabulas vultu provolvebantur, manibus in Præsidis sinum coniectis, & pedes ejus exosculantes. Vultum attollere aliquandiu non audebant.

Ostendit ipsis Præfectus elephantorū dentes, horologia, tintinnabula, specula, sclopetra. Post meridiem exscendentes, regi donarium obtulerunt cochlear stanneum, pro quo remisit saginatum porcum, & insidentem baculo avem columbæ similem, quæ apud illos in precio est. Quare iterum ipsi catenulam vitream, fasciculum coralliorum, & malleolum donavimus.

xxvi Manè præfectus noster una cum *Adriano Nicolai* terram conscendit, adducto secum tubicine, & munusculis, quæ regi daret, instructus. Erant ea speculum sphæricum, corallia, & fila aurea. Ulterius paulò progressi regem offenderunt junctis manuum palmis in terram prostratum, Turcarum ritu. Nos exhibito quoque illi more nostro honore & surgere jussu ab illo sub *Belayam*, pluebat enim, deducti sumus. Hic nobis in storeâ aut tegete sedere jussis, ipse in terra ad latus nostrum confedit. Præfectus buccinas inflare jussit, ipsis rei novitate in summam admirationem raptis, quibusdam etiam ad tam immanem strepitum perterritis. Canistrum nucibus Cocos repletum nobis apponi jussit, quod ipsum tamen prius, ritu suæ gentis, in cervicem rejecerat. Post hæc venit secundus à Rege, sed compresso ore, vultu in nos converso, obliquo gressu accedens, manibus modo junctis, modo dissolutis, sed mox retrocedens, magna gravitate quædam pronunciavit, & in altum exiliens in nates studio concidit, pedibus sartorum more dispositis. Postea coram toto confessu orationem habuit, modo sublatis in cælum, modo dejectis in terram oculis, qua finita de limone fructu agresti & insipido foris in nucis pineæ formam corrugato edere cœpit, appositusque est ministrorum opera singulis idem fructus. Potus erat de succo radicum *Aconæ*. Has primum dentibus conterunt, mox in acervum congerunt, & lotis deinde manibus, aquam affundunt, quibus peractis manipulum lini capiunt & percolant, atque de hoc succo, quem folijs in piperis cuculli formam contortis excipiunt, singulis distribuunt. Præfectus Regi sphæricum speculum donavit, & solis & lunæ figuram splendoremque eo ipso referri significavit. Rex se speculum hoc in suo *Belay* sive regia sede suspensurum monstrabat, quod & factum. Navales socij hoc die pisces duos rarâ formâ ceperunt. Corpus ijs erat crassius, crassum quoque caput, cutis maculis tincta, oculi albicantes, alæ duæ aut pinnae majores, longitudine raxæ caudam æquant, inter quas cauda prominebat. Vespertilionem ferè referebat. Dum hæc geruntur post peractos varios honorum ritus, tandem Præfecti & *Adriani Nicolai* capitibus regiam coronam imponi jussere, & hic superatis tot maris incommodis & viæ periculis Præfectus noster hoc honoris præmium reportavit, ut Insulæ hujus Rex crearetur, & *Adrianus Nicolai* secundus à rege. Confectæ erant hæc coronæ ex plumis coloris candidi, quæ minoribus *Perrequitarum* & columbarum plumis, partim rubris, partim viridis coloris, quas in magno precio habere solent, exornatæ & variegatæ erant. Regij Consiliarij, quoties regi adsunt, cum bacillo cui columba insidet, adesse solent. Color columbæ varius est; dorsum alas tenus albus, cætera niger pingit, venter rubris plumis ab utroque differt. Dum Regum illi alloquio & benevolentia fruuntur, nos de aquis nobis abundè prospeximus;

xxvii Denuo aliqui nostrum exscenderunt una cum tubicinibus, ut buccinarum strepitu reges reficerent, & porcos mercarentur; sed nec precio quicquam nobis, nec donatione comparare potuimus. Ipsi enim abdomen comprimentes indicabant,

annonæ



- | | |
|---|--|
| A. Bini reges magno ceremoniarum apparatu sibi invicem occurrentes, & adventum gratulantes. | E. Hæc casarum figura. |
| B. Hic sub sub tentorio (Baleyam vocant) in iunceis stragulis confident reges : | F. Regis coronati imago. |
| C. Tubicines & tympanista nostri. | G. Regij consiliarij. |
| D. Rustici, ex herbis pramansis potum conficientes. | H. I. Capilli setarum in formam erecti. |
| | K. Fæminæ curto, uti viri nostrates, capillitio. |
| | L. Arbores, quæ Cocos ferunt. |

annonæ se penuriâ laborare, & à nobis cibaria petebant. Circa vesperam pisces cepimus, quorum aliquos regi misimus, qui eos crudos & necdum exenteratos, avidè voravit. Classiarij cum indigents caner saltare, & ludere ad lunam cœpere, & ad tympanorum numeros choreas ducere. Illi suo, nostri patrio ritu solum pullabant.

Effusè ridebant, cum in orbem nostros saltantes adspectarent. *Adrianus Nicolai & Nico-*

D E S C R I P T I O N A V I G A T I O N I S

& *Nicolaus Iohannis* digladiabantur inter se, & armis experiebantur, quorum agilitatem & verberum ictuumque varias formas mirabantur.

xxviii Duos iterum porcos à Rege accepimus, sed cariore precio. Hodie qui vicinæ insulæ præest *Latou*, hunc accessit, ut quod genus hominum essemus sciscitaretur. Summo hic honore exceptus est, magno stipatus comitatu, ut major ejus quam alterius videretur auctoritas & potentia. Nec rex quidem erat, sed Regis solummodo filius. Extimescere cœpit, ignarus quid hic ominis adferret adventus, *Adrianus* noster: verum bono illum animo esse iussit Rex, & ad prandium invitavit. Post meridiem sclopeto & bombardâ armatus exscendit Præfectus, hoc enim armorum genus videre desideraverant. Epulum instruere cœpit Rex, tantaque apposita est radicum Anconæ copia ut circumvallati videremur. Allatæ quoque assæ *Ousij* & *Cocos*.

Hic Reges excipiendi apud ipsos solennitas & ritus esse videbatur. Distractæ sunt Anconæ radices omnes, ex quibus potum confecere, quem liberaliter bibebant. Postea discessit regis iste filius, post cujus abitum liberius cum his indigenis agere cœpimus.

xxix Aquationi intenti erant socij Navales. Præfectus ad lustrandos montes & regionem insulæ transmontanam exscendit. In via sedentem offendimus Regis fratrem, qui nos præstolari videbatur.

Hic Comitem se præfecto junxit, & ut in montium convalles descenderemus hortabatur; sed penitus in mediterraneos tractus exspaciari consultum non erat, cum frequentibus alij alios bellis infestent.

Accurrit postea secundus à Rege, viamque nobis, qua per montium anfractus & prærupta patebat iter, monstravit, & subinde ad fontes & ad aquarum scaturigines nos deduxit. Cum sitire nos significavisset, ipse Rex laqueo pedem firmans *Cocos* arbores mira agilitate conscendit. Dixisses felem esse. Ille decerptis aliquot nucibus *Cocos*, eas singulari modo aperuit, & in amœnissimo sylvæ loco inter avium cantus confidentes, ex iisdem nucibus gratissimi saporis succum hausimus. Eminus insulam aliam vidimus, cum quâ hujus insulæ indigenæ bellum gerunt.

Petebant à Præfecto, ut sclopetum versus eam exploderet, hoc facto hostilis in illam animi signum daturi. Descendentibus obviam ivere fœminæ, quas suo more salutare nos iusserunt.

Cumque jam prandij instaret tempus, nobiscum in navem adduximus secundum à Rege. Sub prandio indicavimus illi, abundè satis de aquis nobis prospectum esse, sed decem nos adhuc desiderare porcos, *Cocos*, & radices *Vbes*, & regetes aliquot, quibus acceptis nos intra biduum discessuros promisimus. Hæc audiens alta voce exclamavit, & in navis pergulam procurrens lætum hoc nuncium suis vociferando quantum potuit significavit. Metuebant enim, ne si longius hic moraremur, omnem ipsorum comitatum absumeremus. Curiosè omnia scrutabatur & lustrabat, etiam ipsam navis galeam conscendens. Depictas vero in pergula imagines summâ cum admiratione adspectabat.

Interea ad navem accessit Rex ipse, nobilibus suis comitatus, porcum & canistrum nucibus *Cocis* repletum adferens, quæ in cervice posita summa reverentiâ præfecto exhibuit, antè ipsius pedes quasi eum adoraturus provolutus. Præfectus rege surgere iussu, pulvinar illi sterni curavit. Rex contra imperavit Nobilibus suis, ut Præfectum, & *Adrianum Nicolai* in altum sublevatos, supra capitis sui verticem attollerent, moxque in navem deponerent, quod factum, magno ceremoniarum & rituum istius gentis apparatu.

paratu. Præfectus in navarchi ipsum cubile deduxit, speculumque illi, quod propius intueri non audebat, ostendit. Tintianabulum quoque suum, quo uti per diem solebat, cultellos duos aliasque istius farinae minutias ipsi donavit. Hinc in inferiora navis loca deductus triginta conspexit ex ordine tormenta bellica. In ipsam navis capacitatem ac ventrem descendens, vasa omnia aquis repleta, anchoras & saburram mox & balistarum cubile lustravit. Aiebat præfectus, se istorum tormentorum vi fulmen Iovis ac Olympi tonitrus referre ac imitari posse. Antliam quoque illi & pyxidem nauticam ostendit, quarum omnium novitate & insolito conspectu detinebatur. Posthæc, cum præfecto nostro, quem ut Deum venerabatur, exscendit. Ambo ad *Baleyam* sive Regis tentorium portati sunt, ubi dapibus refecti, in sylvam mox exspaciati sunt, domos & habitacula incolarum lustraturi. Eminus saltantes tripudiantesque suo more conspexere rusticos, viros foeminasque, cum quibus jam antè navales socij choreas duxerant. Vespere reversi omnes ad naves sunt, interimque piscatum ivit *Daniel le Maire* ad lunæ jubar una cum *Adriano Nicolai*. Postea captis aliquot piscibus ad Regem iverunt, cui virgines quam plurimas adesse comperiverunt, quæ pullantes instrumentum quoddam antliæ simile, ad hujus soni numeros tanta agilitate ac dexteritate tripudiabant, ut defixo in eos obtutu animum oculosque videndo explere non possent nostri. His exercitijs ac ludis dum intenti sunt, pisces aliquot furtim ablati sunt, de quâ injuriâ apud regem questi in tantam iram rabiemque exarsit, ut incolarum duos penè ad necem usque arrepto fuisse verberaverit. Illi pisces crudos comedebant, cum intestinis & ornamentis omnibus.

xxx Statim antè jentaculum duos porcos nobis & aliquot *Cocos* dono misit Rex. Nos legatos piscibus excepimus, sed crudis, qui palato ipsorum quam maximè placebant, ut pro cupedijs eos & ferculis delicatioribus haberent. Mox clavum singulis dedimus & valere jussimus. Magnam deinde fructuum recentium vim jussu Regis in abitum nostrum advexerunt *Adrianus Nicolai*, & *Daniel le Maire* Principem à rege secundum prandio quam potuerunt opiparè exceperunt. Hæc post alterius insulæ Rex hunc invisum venit, stipatus nobilium catervâ, & foeminarum coronâ, qui & fructus quam plurimos secum adsportabat, & insolita rituum ac ceremoniarum forma in primo cum rege nostro congressu utebatur, modo in terram stratus, modo verso ad navem nostram, modo ad fluvium vultu. Tandem confidentes suum *Adova* cecinere. Erat autem Rex iste magnus *Grankay* sive utriusque insulæ dominus. Præfectus ipse spectatum in insulam exscendit, qui statim in storea sive junceo stragulo sedere jussus fuit. Ut verò rei alicujus novitate animos ipsorum afficeret, accenso pulvere nitrato flammam fune canabino excepit, & sclopum minorem attonitis omnibus explosit. In ipsorum gratiam directum fuit aliquoties in pendentes ex arboribus *Cocos* sclopetum, & excussæ ex alto nuces. Qui navem tenebant tormentum bellicum in montem exploserunt, ad cujus fragorem & immanem boatum perculsi fugere cœperunt. Postea novem advexere porcos, quos solenni nobis exhibuere ritu, pro quibus vicissim corallia illis, securim, cultros duos, æneos lebetes & annulos dedimus, quæ in eos sunt distributa, qui porcos adduxerant. Quibus peractis apparatus fuit epulum regale, appositæ Regibus, Nobilibus, tum viris tum foeminis radices *Ancone*, fructusque varij generis, & sues assæ, tanta copia, ut quingentis hominibus in prandium sufficeret cibus. Ad nos quoque aliqua hujus felicitatis & convivij redijt portio. Herbas primum mandebant, postea in vas ligneum præmansas conjiciebant, & affusâ eas aquâ macerabant, deque hoc succo Regibus alijsque Nobilibus propinatum fuit. Magnam radicum *Vbes* copiam, nec non porcos sedecim cruentato adhuc & sordidos hoc prandium absumpsit. Interea tu-


D E S C R I P T I O N A V I G A T I O N I S

bicines & tympanistæ nostri aures convivarum detinebant. Stupebat gens barbara buccinarum clangorem & numeros simul musicos sonique tam vehementis harmoniam mirata.

xxx1. Post jentaculum navem conscendit uterque Rex, nosque 6 porcis donarunt. Classiarj facta mercium & fructuum commutatione magnam sibi *Ousy*, *Banana-rum* & *Cocorum* vim comparaverunt, ut singulis jam septem nuces *Cocos* distributa sint. Rex huius insulæ (*Latou* vocabant,) Regem magnum hortabatur, ut interiora navis lustraret, verum metu quodam correptus non audebat. Quare præfectus noster arrepta ejus manu (erat autem Rex iste vir perhumanus, facilis, affabilis & forma decorus) eum in Conclave navarchi deduxit, ibidemque Principis *Mauritij* cataphraecti effigiem illi ostendit, dicens, hunc esse nostrum *Ariki*. Speculum quoque illi & tintinnabula, & tabulas Orbis geographicas ostendit, patriæ nostræ & harum quoque insularum situm. Singulis cum vini haustum propinavisset, respondit uterque. Hinc in peristylia aliaque navis diverticula deducti sunt. Singulis datus est coralliorum fasciculus, cum cultro, pectine & aliquot clavis. Nobilium quisque clavum unum accepit. Atque horum quidem unus cum victoris terebram abstulisset, & observatum hoc à Rege fuisset, ira percitus Rex cervicem ipsi quantâ potuit vi percussit, ut è navi se proripere coereretur.

Paulò post terram conscendit Præfectus comitante *Adriano Nicolai*, ut se in flumine ablueret. Postea Regem adivere, extremum illi dicturi vale, qui ipsos in stramentis sedere jussit, & cum jam eos abitum parare intellexisset, donaria insuper ipsis exhibuit, & discedentes ad oram & insulæ littus officiosè prosequutus est. Ita discessum. Pauperrima ac miserrima erat hujus gentis fors, tuguriola ac casas juxta maris littus positas inhabitans, quas ex ramis arborumque folijs exstruxerant, ambitu 25 pedum, & altitudine circiter 12. Subire eas nemo poterat, nisi inclinato ac inflexo corpore. Suppellectilem præter herbas aliquot exsiccatas, & clavam non habebant. Hæc enim in regis tentorio vidimus. Robusto ac vasto sunt corpore, cui rei firmandæ hoc facit: quod cum de montibus descenderet præfectus & de lassitudine conquereretur, Princeps à rege secundus humeros illi suos, quibus ipsum supportaret, commodare voluerit. Erantque montis loca adeo prærupta & declivia, ut soli non nisi summa cum molestiâ descendere possemus. Color illis erat subflavus, capillos magna curâ alebant, qui quibusdam artificiosè nexi, quibusdam crispati, quibusdam contorti erant. Alijs setarum instar in altum protensi & erecti erant. Mulieres deformes erant, pendulisque uberibus. Pudicitia leges ignorare videbantur, adeò familiaris illis erat cum viris promiscuè consuescere. Nulla hic ullius religionis ac cultus divini officia observavimus, mercaturam quoque omnem profus ignorabant. Videntur primi seculi esse fœtus, cum solis arborum ac terræ fructibus victitent, uti & piscibus, quos crudos vorant. Indidithis insulis præfectus nomen ab Hornâ Hollandiæ Borealis civitate, & *Hornanas* vocavit, sinum verò, qui nobis stationem hæctenus præbuerat, *Sinum Concordiæ* appellavit, in memoriam Navis nostræ. Anchorę hic jacturam fecimus, moxque explicatis velis è sinu solvimus, flante *Subsolano* & *Cæcia* ac instituto versus Septentrionem & Aparctiam Occidentalem cursu. Locus, in quo hæctenus commorati fueramus, positus erat in altitudine grad. 14. & 56. minutor.

LVNIVS. **P**rima Iunij summo manè sitæ erant Insulæ Hornanæ nostri respectu ad Phœniciam. Sub meridiem altitudinem deprehendimus grad. 13. minutor. 40.



A Conco: dia portus in quo anchoram firmavimus. B Locus ad quem aquatum processimus.

11 Serenissimus illuxit dies, flante ab Oriente Æolo. Versus Aparctiam Orientalem itum. Circa meridiem altitud. $12\frac{1}{2}$ attigimus. Nondum visa tellus. Opinabatur præfectus insulam *Bona Spei* & *Hornanas*, *Salomonis* esse insulas. Quicquid sit, conformes erant narrationi *Quiros*. Nec dubitandum, quin vicina alicubi sit Terra Australis. Aves nullas præter larum vidimus.

111 Eodem vento eundem cursum servavimus. Navis gubernator nos longe adhuc à Nova Guinea abesse opinabatur, licet secus statueret Præfectus. Meridies ad gradus $12\frac{1}{2}$ nos proventus vidit. *Albecorettas* hic conspeximus.

v1 Serenus quoque illuxit. Nulla adhuc apparuit tellus. Ulterius ad *Trasciozephyrum*

DESCRIPTION NAVIGATIONIS.

rum itum flante Apeliota. Præfectus suspicabatur jamdudum à latere nostro positam fuisse *Novam Guineam*. Quare decretum, ut versus Septentrionem tenderemus, quoad certis indicijs deprehendi posset noster aliarum regionum respectu situs. directo ergo in Arctum cursu sub meridiem gradus 11. observavimus.

xiii Nebulis involutus emerfit Phœbus. Hac vespera decretum omnium consensu ut in Occidentem iretur. Circa meridiem gradus observavimus 3. & 4. minuta.

xv In eundem terminum idem nos propulit ventus, magni ab Euronoti plaga advolvebantur fluctus, ut undarum impetu jactaretur navis. Nondum enim pars *Novæ Guineæ* Euronotum respiciens, latus nostrum clauserat. Sub meridiem altitudinem attingimus grad. 4½.

xviii Flante ab Arcto Æolo Occidentem versus navigavimus, Piscem *Bonjettum* cepimus. Magnam avium copiam conspeximus, Meridies altitudinem dabat grad. 4½.

xx Gubernator accurrens magno omnium gaudio terram sibi visam dicebat, ad plagam Australem, eamque montibus & collibus assurgentem, sitam ultra gradus quinque. Totam noctem deductis velis maris arbitrio ferebamur, ne ventorum impetus in terram nos propelleret.

xxi Expansis denuò velis propius adnavigavimus, & terram situ sic satis depressam esse vidimus. Mox alias quoque insulas sex sed parvas admodum & arboribus refertas conspeximus. Præfectus judicabat, terram illam montibus assurgentem, quam pridie videramus, initium esse *Novæ Guineæ*. Acrius aciem oculorum intendentes, non insulas, sed insulam esse compertum. cujus littus quibusdam locis depressum, quibusdam editum ac tumulis quasi arenosis assurgere videbatur. Ab hac terra in mare ingens pulvis aut terræ lingula porrigebatur, in quam fractus maris ac undarum impetus æstuebat. Nos hanc qua Boream adspicit prætervecti sumus. Duæ ad nos è littore accesserunt Canoæ, quæ tamen propinquiores nobis factæ, quasi sibi metuentes, retrocedere velle videbantur. Una quatuor, altera sex viros arcu & telis instructos vehebat. Nos corallia illis dedimus, quæ læti accipiebant, gestibus demonstrantes se ad Dominum suum ea allaturos esse. Nigriores hi erant & fusci magis, ijs, quos in Insulis Hornanis conspeximus. Capilli ad flavum colorem accedebant; mystaces resectæ ipsis erant. In horum numero senex erat barbam densam & canitie albicantem alens, corpore crasso & obeso, ac maculis variegato, quale hominum genus in prioribus quoque insulis videramus. Brachia ipsis & pectus imaginibus & figuris varijs depicta erant. Folijs corticibusque, non junceis, uti priores, stragulis pudenda tegebant. Canoæ prioribus similes erant, præterquam quod tam affabrè exstructæ non essent. Arundinibus ad piscandum carebant, sed lignis loco arundinum uti videbantur. Eodem quoque quo in Hornanis insulis idiomate loquebantur. Nullum ab ijs comeatum accepimus, quanquam plena esset arboribus *Cocos* ferentibus insula. Cognita ipsis erant *Oufij*, *Lieu*, *Fontij*, *Povacca*, quæ se habere negabant, dicentes lingua sua, *Aioutane ay*. Verùm hæc in vicinâ insulâ, quâ nobis monstrabant magis Occidentem versus, reperiri aiebant, ibidemque sedem esse sui *Ariki*, sive Principis. Idoneum hic figendæ anchoræ vadum non invenimus, quare Occasum versus contendimus. Circa meridiem ad gradus 43. & 47. minuta processeramus.

xxii Flante adhuc ab Oriente Æquinoctiali vento ad gradus 4½. navigavimus. Sub vesperam versus Zephyrum *volaxóπρον* duorum à nobis miliarium distantia insulam vidimus situ depressam, ad cujus latus Boreale defleximus. A priori ab Oriente in Occidentem protensâ, triginta duobus aberat miliaribus. Hanc insulam præfectus noster

noster *Marcken* vocavit, quod eam similitudine undequaque referret.

xxiii Eundem tenebamus cursum, aquaticos serpentes vidimus, qui terræ vicinitatem significare solent.

xxiv Ad gradus 4 & 25 minuta processum. Terram tubicen noster conspexit. Præfectus quoque proræ terram situ editam obijci observavit. Quare decretum ut versus Zephyronotum iretur. Insulæ erant, quarum duæ minores, una major erat, rupibus scopulisque, in quos maris illidebatur æstus, obsessæ. Arborum amœnitate, & Cocorum quibus consitæ erant copiâ arridebant. Verum figendæ anchoræ locum idoneum non invenimus, nisi integro à littore miliari. Vocavit eas Præfectus Insulas *virides*. Dum navigamus, aliæ adhuc complures insulæ visæ, sed propter ingruentem vesperam ab earum aditu abstinuimus. Nocte medio inter insulas supradictas itinere contendimus, quæ 15 à se invicem miliaribus distabant.

xxv Primâ luce insulam sublimem situ conspeximus, ad quam vela fecimus, ad latus ejus Australe deflectentes. Paulo post versus Occidentem in conspectum se dedit tellus edita, quam pridie non videramus; ideoque relictâ insulâ priorē, sita in altitud. grad. 4. quamque *Iohannis* insulam vocavit, eò dirigi cursum voluit Præfectus, littora Guineæ hæc esse conijciens. Circa meridiem eousque ad littus processimus, ut & domicilia in eo incolarum & ambulantes ad maris oram homines oculis assequi possemus; sed anchoræ commodum vadum non invenimus. Fumum è montibus adscendentem, sylvas, arborumque Cocos ferentium ordines eminens vidimus. Cum ad terræ angulum quendam, in quo vadum anchorarium reperturos nos pinabamur, pervenissemus, lembum classiaris aliquot iisque armatis instruximus, ut maris citca littora altitudinem exploratum irent. Verum priusquam solveret lembus noster, adremigantem ad nos vidimus Canoam, è quâ acriter nostros fundarum jactu missilibusque petebant. Sed exploso semel sclopo majore ad littus remeabat. Reverso ad navem lembo iter nostrum promovimus. Indigenæ in littore stantes discedentes nos clamoribus prosequuti sunt, sublatisque in altum arborum ramis eorum agitatione abitum nobis exprobrare videbantur. Hic Sinum esse observavimus, moxque reperto vado ad altitudinem 50 orgujarum navem fiximus. Sub vesperam duæ circa navem remigabant Canoæ, sed cum loquentes non intelligeremus, tympanorum pulsu ac buccinarum clangore eos refecimus. Tam propè ad eas accessimus, ut ad Lunæ jubar corallia illis ostenderemus, fasciculum in ipsorum schaphulas conjecimus, & clavos aliquot ferreos, quos læti ridentesque cum gratiarum actione accipiebant.

xxvi Septem nos cinxerelintres (*Prauyven*), telis, lapidibus, fustibus, gladijs ligneis & fundis armati. Nos corallia aliasque istius generis minutias ipsis dedimus, signis varijs significantes, ut porcos & Bananes adferrent. Illi contra missilibus fundisque nos impetere cœperunt. Sed exploso in illos tormento abitum parabant. Nostri illos persecuti decem neci dedunt, qui justam ingratitude suæ pœnam luerunt. Tres captivos abduximus, graviter vulneratos. Lintres quoque quatuor in potestate nostram redacti sunt, è quibus arma aliquot abstulimus, lintres ipsos incendimus. Vulneratorum vulnera refecta, sed eorum alter statim obiit. Post meridiem jussit Præfectus, ut instructo armatis aliquot viris lembo juxta littus navigaremus, oculisque ipsorum captivos exponeremus, si forte pro horum liberatione com meatum recipere possemus. Primum nulli comparuere, mox tres è sylvâ profilientes in ipsa littoris orâ substiterunt, ad quos quam poterant alta voce clamabant captivi. Perventum ad locum, e quo agros conspeximus sata ferentes, quæ altis culmis attollebantur, sed & hic neminem conspeximus. Quare captivo-

DESCRIPTIO NAVIGATIONIS.

rum unum in littus exposuimus, cui corallia aliquot & cultrum dedimus *Daniel le Maire* præfectus frater partem illi à lecticaria sindome rescissam, ad detergendâ vulnerû saniem dedit, hac spe, ut porcos adferret. Iam enim decretû erat, ut pro redemptionis precio decem solverent porcos. Qui apud nos remansit senex erat, nec hoc die de ejus liberatione cogitatum. Vespere duæ ad nos accessere Canoæ porcellum advehentes, quem facta permutatione in navem transtulimus. Fascem quoque Bananarum nacti sumus. His hominibus perforatæ erant hinc inde nares, è quibus annuli pendebant.

xxvii Absumptâ tertiâ parte aquarum, quæ vacua erant vasa recentioribus aquis replevimus. Hoc die porcum pinguem satis pro duobus clavis, corallijs aliquot & ænea pelvi nobis comparavimus.

xxviii Ad navem accessit schapha major, quæ viginti & amplius hujus gentis homines vehebat. Hi meticulosi licet essent tamen propius adremigantes depictas in puppe imagines magna cum admiratione contemplabantur. Postea alia è littore solvit Canoæ, in qua vir erat fascem *Panange* capiti impositum apportans. Sed cum de redimendo captivo non agi videremus, eum in in terram exposuimus. Non ita diu post tympanum pulsari audivimus. Suspicebamur hæc lætitiæ signa ab ipsis ob receptum captivum edi.

Toto ferè corpore nudi incedebant, velatis solummodo pudendis. Minus quam prioribus variegata his erant membra. Plurimas tamen cicatrices in ijs observare erat, licet minus adusti essent prioribus Insulanis. Mediocris erant statura, pingui & toroso corpore. Plurimi *Calabascum* portabant, in quo calx erat, cum quæ *Pinang* edunt. Honorem nobis exhibebant aperto capite & levatis supra verticem ac sic retentis aliquandiu capitijs. Arma ipsorum erant missilia, fundæ, clavæ, & enses lignei. Canum more mordebant. Captivi supradicti dentibus funes ac rudentes præsciderant. Vbi inermes nos viderent, morsibus nos impetebant. Gens erat effera, crudelis ac indolis perveræ. Solis sclopetis ejus rabies & immanitas domari poterat. *Oniliam* nobis in agris videre videbamur, incolasque nucibus Cocis familiariter vesci. Psittacorum voces audivimus, qui virides erant, quales Occidentalis habet India. Noctu vela fecimus.

xxix Ad latus Sinus, quod Trasciozephyrum respicit, positi eramus, nec hac nocte plus quam sesquimiliare confecimus, flante Austro. Circa meridiem littus legentes versus Trasciozephyrû *δύλιω πόντος* altitud. grad. $3\frac{7}{8}$ observavimus. Re tandem ad accuratius examen vocata Continentem esse & quidem Novam Guineam deprehendimus. Indigenæ *Papoo*s vocantur, colore ut plurimum nigro. Sub vesperam alias tres insulas situ editas conspeximus, distantes a magna insula miliaribus sex.

xxx Vario vento navigatum. Iuxta promontorium positi eramus, & ad Septentrionem Sinus esse videbatur. Accessere ad nos Canoæ affabrè exstructæ incisis imaginibus alijsque ornamentis depictæ. Nullum com meatum advehebant, in cæteris officiosi satis, exhibitis varijs reverentiæ signis Capitia capitibus imponebant, hastas, quas gerebant, nobis adspectantib. frangebant, amicitiam benevolentiamq; testaturi. Intrepide & navis pergulam & Navarchi conclave conscendebant. Pudenda folijs tegebant.

Sclopeti nostra illis explodenda dedimus. Modestè alij alios expectantes excendebant. Sub prandio cantilenis nos reficiebant, gratitudinem suam cantus lætitia testati. Corallia illis data sunt, transactusque hic hilari horum hominum consortio dies.

Arvinam & adipem olebant, uti incolæ *Capitis Bone Spei*. Alio, quam continentis incolæ, utebantur idiomate. Cû his ipsis bella gerebant. cicatricibus deformia erant corpora, nasi simi, labia magna, uti & ora. Barbas & capitis capillos calce pingebât, atq; hoc ornatu gaude-

gaudebant. Nec ab his quicquam accepimus, licet annonæ nos copia laborare ipsis significassemus.

C Alendis Iulij primâ luce malacia erat, nec tota nocte plus duobus miliaribus processum. A jentaculo plurimæ è littore solvebant Canoæ, quas commeatum IULIUS. advectare credebamus, sed aliud quid eas in animo habuisse eventus docuit. Propius enim accedentes jaculis fundisque nos hostiliter adortæ sunt. Aliquem nostrorum *Mosen* dictum telo vulnerarunt, mox & alium. Quare explosis quatuor tormentis bellicis & sclopetis aliquot duodecim ex ijs neci dedimus, hostilesque impetus majori vi retudimus. Insequabatur fugientes lembus noster, unamque ex Canois occupavit, in qua mortuum invenimus, alijs duobus in mare se conijcientibus, quorum alter trucidatus a nobis, alter captus fuit. Hunc in gratiam Moyfis vulnerati *Mosen* vocavimus, & in rei tam tragicæ memoriam Insulam quoque eodem nomine indigetavimus. Circa meridiem altitudo erat grad. 2'. Vescabatur hic populus arborum radicibus loco panis.

II Summo mane è prora sub Occasum terra quasi emergere visa est, quæ continua videbatur terræ isti, quam pridie sub vesperam videramus, inter quas sinum insignem esse observatum. Littus ad latus nostrum jacens simile valdè erat littoribus Novæ Guineæ. Nos cursum direximus versus promontorium quoddam. Circa meridiem altitudinem attigimus graduum 3'. Duobus circiter à littore miliaribus navigavimus, montem excelsum eminus conspicati.

III Prima luce à latere erat terra situ sublimis, quam velocissimo cursu prætervecti sumus, ut sub vesperam non appareret ultrà. Si Præfecti consilio obsequi voluissent alij, juxta littus navigatum fuisset servato semper telluris conspectu. Ingruente vespera ab occasu brumali denuo terram situ editam conspeximus.

IV Mane terram eandem vidimus arboribus virentibus consitam, & hic illic fumigantem. Interea dum medium inter insulas cursum tenemus ad latus navis sinistrum plurimas vidimus insulas altitud. graduum 2 & 30 minut. Versus unam earum contendimus fixuri anchoram, sed nocte præpediti adnavigare non potuimus. Putabat Navarchus Insulam *Ceram* esse.

V Procellis, tonitribus & fulminibus vexati cum ventorum quoque inconstantia luctati sumus. Sub meridiem ad altitudinem 3 grad. & 8 minutor. pervenimus. Æstus hic nos sic satis versus Occidentem propellebat. Adventante vespera ad occasum duas insulas situ depressas vidimus. Quare ut eas superare possemus annexi sumus, ad altitudinem Bandæ contententes.

VI Variâ tempestate, aere pluvio & procelloso navigavimus. Sub meridiem ad gradus 4 & minuta 10 elevabatur polus Antarcticus.

Ante meridem terram conspexit *Adrianus Nicolai* & montem, qualis est *Goudenapij* in *Banda*. Navarchus *Bandam* esse asseverabat, sed hallucinabatur, cum propè montem illum alij adhuc duo tresve flammivomi apparerent, quos Vulcani montes vocavimus. Placuit ex sententia omnium huc cursum institui.

VII Iusto adhuc intervallo à *Vulcani* monte aberamus. Accesserunt ad nos Canoæ aliquot, quæ tamen metuere sibi à nobis videbantur. Alta voce inclamabant, sed quid dicerent, nec nos, nec captivus noster *Moyfes* intelligebat. Mox 12 Canoæ ad nos properabant, quarum singulæ, quatuor, quinque aut sex viros vehebant. Alia erat his Canois forma, gens colore magis flavo, quam prior. Nullum hic nobis comparavimus commeatum. Visæ iterum duæ tresve minores insulæ, relictis quoque ad lævam Septentrionem versus alijs quatuor insulis, è quibus fumum attolli videbamus. Circa

DESCRIP TIO NAVIGATIONIS

meridiem aberat à nobis Vulcani mons sesquimiliare, versus Apelioten *Βορειότινον*. Varios hic aqua colores induere cœpit, quæ vicini fluminis signa esse solent. Ligna, arbores radicibus evulsæ, rami aliaque aquis innatabant. hac nocte tres *Vulcanos* sive arduos montes conspeximus.

VIII Cursu in Occidentem instituto Insulam iterum situ editam vidimus. Circa meridiem altitudo erat grad. 3 & 48 minutorum. Sub vesperam vadum ad 70 orgujas deprehendimus. Accessere hic ad navem Canoæ, duodecim viros vehentes, quibus corallia aliquot dedimus, sed nullum recepimus commeatum. Loquentes non intelligebat *Moyzes*, qui in terram exscendere non audebat, metuens forte, ne ab ipsis voraretur. Capillitio erant nigro. Veri erant *Papoo*s. Curiose admodum navem circumcirca lustrabant. Altitudo erat grad. 3. & 43. min.

IX Flante Austro angulum superare & Sinum ingredi non potuimus. Missus fuit ad explorandam maris altitudinem lembus, duobus tormentis lapideis & 10 sclopetarijs instructus; Accessere ad nos Canoæ viros fœminasque vehentes, etiam gravidas, quæ pacis erant certissima argumenta. Quidam missilia manibus tenebant, sed fundas, lapides, & clavas non habebant. Aliquot Cocos corallijs permutavimus.

X Magna ad navem insulanorum confluit multitudo, sed 40 aut 50 solummodo naves Cocos adferebant. Porcos petijmus, quos se allaturos significabant, sed spem nostram frustrati sunt. E collo conchylia, porcini dentes, similiaque pendebant, fœminis ad umbilicum usque pendula erant ubera, abdomen dolij instar distentum, dorsum gibbosum, supra quod infantes portabant, pedes graciles admodum, facies deformis prorsus.

XI Vela fecimus, & superatis duabus insulis pagum vidimus in littore. Post meridiem alia rursus inspecta est insula, quam circa vesperam prætervecti sumus. Hoc notandum, *Novam Guineam* versus Trasciozephyrum *δὸς ἀρκτικῆς* maximâ sui parte extendi, quibus tamen tractibus Occidentem, quibusdam Septentrionem spectantibus.

XII Sereno aère lecto littore versus Corum cursum direximus. Ligna quibus ostrea & carabi adhærebant aquis innatabant, Pisces diversi generis vidimus.

XIII Littus adhuc continuum esse deprehendimus, & sinuosum. Noctu ecnephias navi incubuit.

XIV Iuxta littus navigavimus. Præfectus propius accedere volebat, ut littorum tractus accuratius depingere posset, sed cavendum esse littus monebat navarchus. Plurimos pisces, & quas vocant *Ian van Genten*, aves volitantes vidimus. Iamque hæc Occidentalia esse Guineæ littora agnoscebat gubernator.

XV Littora passim arboribus consita vidimus, positi in altitud. grad. 4½. Navales socij ad orgujas 40 vadum invenerunt. Adremigabant ad nos Canoæ aliquot, quæ telis nos petere volebant. Quare solo pulvere nitrato in ipsas explosimus, ut terrorem incuteremus. Mox cum seriam pugnam molirentur, & nos seriò pugnavimus. Præfectus qui eminus Lembum expugnari putabat, in ipsum littus, ubi conferta hominum stabat multitudo, tormenta aliquot minora explosit, illi ilico in sylvam confugerunt. Quare perterritis jam instabant nostri, ut littus occuparent, verum illi novis animis nostros adorti sunt, plurimosque vulneraverunt. Nec minus segniter contra à nostris pugnatum fuit.

Verum navarchus timidior, cui jam *ἐνὶ πόντι κάπρωσε θυμὸς*, sub scamno lembi se abdebat, quæ causa fuit, quod navales socij per convicium ipsum Belgico sermone *den Dosteruyper* vocarent.

xv i Penitus sinum conscendimus. Lembus noster in terram exscendens 270. nuces *Cocos* advexit. Circa vesperam Canoa panem petitum venit. Toto corpore nudi incedebant horum locorum indigenæ.

xv i i Armatus quidam nos accessit, vectus Canoa, qui *Cocos* aliquot in mare abiecit, eo consilio, ut secundo maris æstu ad naves ferrentur. Mox auctâ fiduciâ ad navis pergulam accessit & corallia ex ligno prominenti suspensa dissolvit. Postea & alij accessere, & omnis generis commeatum adsportabant, pro quo cultellos, clavos, & corallia ipsis dedimus. Etiam viride nobis zingiber, & radices flavas ostendebant.

xv i i i Diem commutationibus transegimus. Accessit ad navem vir duas adducens mulieres. Navales socij piscatum ivere, operamque in trahendis verriculis commodabant incolæ.

x i x Iterum impetratâ à Præfecto veniâ piscatum ivere. Vnde quaque remigantes ad nos vidimus Canoas. Quare sinistri quid suspicantes classarios revocavimus. Verum amicè nobiscum mercabantur. Insulam suam *Moam* vocabant, aliamque è regione positam *Jnsou*. Magnæ insulæ nomen erat *Artimoe*. Tantus mercantium & negotiantium solo coralliorum desiderio erat numerus, ut alij alios protruderent.

x x Antè diluculum viginti ad nos delatæ sunt Canoæ, magnam adferentes *Cocorum* & *Bananarum* copiam, ut viritim quinquaginta nuces distributæ sint. Fervebant hinc inde operæ. Hic arma sua, hic fructus attollebat permutandi cupidus. Hæc gens ad navis nostræ conspectum minus stupebat, nec adeò curiosè, uti antea factum, eam lustrabat. Vnde ab Hispanis interdum hæc loca frequentata esse probabiliter colligebamus, quod & ex *Potteysen* observatum. Quare postquam de commeatu abundè nobis prospexissemus, in altum delati sumus, & sub meridiem tres insulas situ editas præternavigavimus. Magnitudo illis erat trium circiter miliarium, folique viriditate & arborum frequentia gratissimus erat earum conspectus. Alias præterea terras vidimus, directo versus *Corum* itinere.

x x i Aer nebulosus telluris nobis conspectum eripuit. Post meridiem denuò apparere cœpit. Sub ipsum littus insulæ alicujus majoris ferebamur, & invento ad orguias 15. vado arenoso & testaceo anchoram fiximus, usque dum illuxisset dies. Ignis hic illic conspeximus. Tonitrua, fulmina & frequentes pluviae itineris difficultatem augebant.

x x i i Quatuordecim insulas esse deprehendimus, quæ justo à se invicem distabant intervallo. Sub meridiem uno ab Æquatore Austrum versus positi eramus gradu. Navales socij piscatum ibant, sed ob vadi asperitatem nullos capiebant pisces. Insulas quoque incultas esse deprehenderunt, densissimis nemoribus & sylvis obsitas. Ab insula *Moa* 20. miliaribus aberant. Decretum, ut flexo ad Borealem insularum plagam itinere littorum institueretur exploratio, quæ Zephyronoto obversa erant.

x x i i Tandem velificando insulas superavimus. Sub vesperam angulum aut terræ cuspidem vidimus, & insuper, quæ ad nos properabant, Canoas novem, Ternatensium more fabricatas. Armatæ erant jaculis. Timidiores primum videbantur, sed propius accedentes, *Sano* clamabant & *Cocos* capitibus suis imponentes manuum jactu nos ad se invitabant. Nos appropinquantes amicè excepimus & corallia aliquot ipsis dedimus, quæ ambabus ulnis amplectebantur. Una ex his Canois præfectum vehebat, qui ut missilibus nos peterent imperavit, cumq; recusarent, iratus unum ex mancipijs suis verberibus crudeliter excepit. Torquem ex arborum pictis corticibus affabrè elaboratum è collo suspensum gestabat. His dimissis aliunde alij advenere, promissis & crispatis

D E S C R I P T I O N A V I G A T I O N I S

capillis, super quos, quod pacis apud illos est signum, aquam effundebant. Annulis perforatae erant nares, quibusdam etiam aures. Armillis ex conchâ margaritifera brachia cingebant. Nonnullis per ipsum nasi isthmum sive interceptum trajecti erant annuli stannei. Hi *Cocos*, falces duos *Bannanarum*, piscium tostorum copiam, tabacum, pruna lapides intus habentia nigros & læves, etiam melones, corallijs & cultris permutabant. Corallia *Ooraija* vocabant. Hi alio quam incolæ *Moe* utebantur idiomate. Alia ipsis forma, minus ad nigredinem accedens, sed promisso magis capillitio, valdè similes *Papoorum* genti. Patinam nobis porcellanam dabant & poculum, rubro ac viridi colore variegatum, pro quibus duas illis coralliorum lineas dedimus. Nullum illos desiderium tenebat videndæ navis, quod argumêto erat frequentata ante hac ab Hispanis fuisse hæc loca. Cui rei fidem & hoc faciebat, quod fœminam conspiceremus, quæ corallia flava ambrae similia habebat. Hæc ipsa alijs corallijs redimebat Præfectus. Noctu malacia erat, soloque maris æstu ferebamur.

x x i v In altitudine viginti minutorum positi insulam magnam prætervecti sumus. Una erat ex earum numero, quæ sub littore *Nova Guinea* jacent, quod ipsum jam antè affirmaverat Præfectus. Iam demum quibus terrarum oris viveremus liquidò constabat, spesque erat, propediem nos nostrates nostros invisuros. Ad latus navis dextrum insulam parvulam conspeximus, inter quam & priorem cursum direximus. Postea ex oculis nostris se subduxit tellus. Decretum, ne à plaga Æquinoctialis Australi recederemus, quo medium inter *Novam Guineam* & insulam *Gilolo* iter tenetemus. *Navarchus* minus rectè in *Louvam* & *Coubellam* nos venturos, & post insulam *Gilolo* positos putabat.

x x v & x x v i Ad latus navis sinistrum multum terræ situ depressæ vidimus. Circa vesperam observavimus nos hoc servato cursu terræ occururos. Quare ad plagam Borealem nonnihil deflectentes tres iusulas ad Septentrionem sitas à latere navis dextro reliquimus. Maximam *S. Jacobi* insulam vocavimus, quod *Iacobi* festo detecta esset. Littora versus *Trafciozephyrum* excurrabant.

x x v i i Denuò conspecta fuere *Nova Guinea* littora, ad quæ sesquimiliaris solummodo intervallo contendimus. Sub meridiem altitudo erat 10 minutor. à partè Australi. Animus erat omnibus in continentem exscendendi, sed maris malacia impediebatur.

x x v i i i Tranquillum adhuc erat mare. quinque à littore maris æstu miliaribus repulsi nusquam littorum terminum videbamus.

x x i x Aër nebulosus erat & pluvius. A littore unico solum aberamus miliari. Innantia aquis vidimus arborum folia & ulvam. Circa meridiem iterum minores insulas sub ipsum littus positas observavimus. Nos lecto littore, quod arboribus passim virebat, processimus; Uerum homines nusquam aut Canoas vidimus, quod loca hæc maritima non inhabitari certissimo erat argumento. Flante Circio versus *Zephyrum* *νοτιώπρον* tendebamus. De nocte aliquot a littore miliaribus terræmotum in navi percepimus, quo expavecti classiarij è suo quisque cubili prosiliit.

x x i x Mane terram vidimus, quæ mox insula esse videbatur, sed propius advecti ab utroque littore terram conspeximus. Hoc die tam horribile tonitru auditum, ut navi incommodum aliquod allatum esse crederemus. Dixisses fulminum continuis ignibus flagrare navem. Hanc tempestatem imber vehemens excepit.

x x x i In sinum aliquem nos delatos deprehendimus, undique enim terra septi videbatur. Quare versus Septentrionem directus cursus ad angulum telluris maximè Orientalem, quod & hoc consilio factum, ut num illic reperirentur Canoæ, exploraremus.

mus. Verum partim æstus, partim ex fluminibus delapsi aquarum euripi à terræ aditu nos prohibebant. Vespere misso lembo vadum ad 10, 20, & 30 orguias attigimus. Anchoram ad orguias 12. non longe à littore, quod incultum videbatur, fiximus.

Calendis Augusti tranquillo & placido mari ferebamus. Ante nos terram vidimus, **AVGV-** quæ in Occidentem porrigebatur, uti & Insulam ab ea non nihil sepositam, ubi **STRVS.** Etum *Nova Guinea* terminari opinabamur, sic littus hoc omne emensi insignes commodosque stationibus sinus observavimus. Tellus tam densis erat consita arboribus, ut sylvam esse dixisses. Sub meridiem quinta gradus parte ab Æquinoctiali aberamus à parte Australi. Insulas ad Borealem ejus plagam plurimas conspiciebamus. Sub vespere anchoras in vado lapidoso fiximus.

11 Ex ipsis saxis & vadi lapidibus eruenda nobis erat anchora. Funem anchorarium retraximus integrum, sed amisso anchoræ dente. Hoc die secunda vice Æquatorem transivimus. Æstus tamen maris versus Arctum nos non nihil propellebat.

111 Rectè penè in Occidentem itum. Frequentes insulæ ad latus navis sinistrum visæ, mox è mari placido turbatum & procellosum ingressi sumus. cujus causa erant Syrtis & scopuli, in quos illisus maris æstus in majorem molem fluctus attollebat. Quare ob ingruentem noctem anchoram ad altitudinem 12. orguiarum fiximus. Sex immanes Balænas vidimus. Indicabat Præfectus hos esse scopulos istos, qui in tabulis infra *Papoo*s notantur. Æstus marini linea modo in Zephyronotum, modo in Septentrionem, modo in Occidentem ibat. Ad terminum *Nova Guinea* nos pervenisse opinabamur, cujus littus ad 280. leucas emensi fueramus.

1V In altum vecti extra telluris conspectum processimus. Ad insulam situ humilem contendimus, omni vi ad navigare conati, sed maris æstu non nihil ab ea repellebamur. Terribili hic tempestate jactati fuimus. Noctu vela deduximus, ne in ipsum littus impingeremus.

V Insulam attigimus, positâ in altitudine 30. minutorum à parte Æquatoris Boreali. Multas in ea vidimus Cocos & Palmites. Mox ad nos accessit schaphula minor hominibus referta, candidum attollens vexillum pacis prænuncium. Nos tubam inflavimus, illi ad suos rediere. Postea alij advenere cum quibus varijs loquebamur linguis, Malaccana, Ternatana & Lusitanâ. Monstrabant nobis non ad Boreale sed Septentrionale latus insulæ navigandum esse, & bidui tempore in *Bachian* insulam pervenire nos posse. Hæc gens *Ternatensium* & *Tironensium* incolis non erat absimilis, quidam habitu & corpori forma rusticos insulæ *Gilolo* referebant, cute erant subflavâ, crinibus nigris, Indicis amicti vestibus, femoralibus & endromis. Perhumaniter nos salutabant, ingemnantibus aliquoties *Tabekuan*, etiam capita more Christianorum aperientes. Quendam Lusitano tectum pileo videbamus, qui Lusitana loquebatur lingua. Mores iidem qui Moluccarum incolis. Æthiopes se dicebant, & hoc die, qui Veneris erat, sabbathum celebrari. Tabaci, Cocorum, Bananarum, oryzæ, pisorum, fabarum, porcorum, gallinarum & piscium nobis faciebant copiam. Aves quoque quas *Paradijs vogels* vocant, videbamus, quarum unam facta permutatione, nobis comparavimus. Quidam armillas stanneas, quidam ex ebore gestabât, & digitis inditos habebât annulos flavos, quos nostrorum multi ob fulgorem aureos putabant. Non ita diu post, cum in *Suppij* essemus, intelleximus hanc insulam *Maban* esse, incolasque *Tidorenses*. Navem nostram conscendere non audebant, cum hostes nos Hispanorum esse suspicarentur. Avidè expetebant *Manna, Manna*, hoc est, corallia. Minus fidam quoque nos hic stationem elegisse affirmabant.

D E S C R I P T I O N A V I G A T I O N I S

mabant. Ex variarum circumstantiarum concursu facilè observavimus nos in angulo aliquo insulæ *Gilolo* hærerere, ideoque non longè nos à nostratum abesse colonijs. Iam tertio nos sub Æquinoctiali positos esse omnium conjectura erat.

v i Mane sereno aère denuò ad nos schaphulæ accessere mercatus gratia. Verum favente Æolo vela fecimus instituto in Septentrionem cursu, ad superandum insulæ *Gilolo* angulum.

v i i Nulla apparuit tellus, cœlum undique & undique pontus. Invalescebat Auster, meridies pluvias dabat, sub vesperam serenitas erat, conspectaque ad latus navis depressum terra, quam latus *Gilolo* Boreale esse conjectabamus. Altitudinem jam attigeramus 3. grad. Septentrionem versus. Cursum versus *Moratay* direximus, quæ nostri respectu ad Zephyronotum posita erat.

v i i i Aër erat pluvius. Itum in *Corum* mari procelloso. Sub meridiem ad altitud. 4. grad. proVecti eramus. Nox pluvijs, ventorum tempestatibus, tonitribus & fulminum jactibus horribilis erat.

x Ad altitud 3. grad. & 45. minut. perventum. Noctu vehementius flare cœpit Æolus, ut ad *Pheniciam* contendere cogeremur. Quare hunc cursum tenere aliquamdiu decrevimus, ad superandam *Borneam*, utque flantibus Austris insulam *Celebes* prætervehi possemus.

x i & x i i Ad Borealem angulum *Gilolo* terram vidimus, cujus nobis conspectum æstus marinus subinde eripiebat, subinde reddebat. Verum attingere eam non potuimus. Frequentes hic experti sumus tempestates, quas *Travades* vocant.

x i i i & x i v Eodem ferè loco hæsimus, obnitente æstu.

x v Positi eramus in tertio gradu Boream versus. Nulla apparebat circumspectantibus tellus.

x v i i Flante Phænicia & Austro in Occidentem iter direximus, vadum quærentes, licet frustra. Tota nocte undarum arbitrio ferebamur.

x v i i i Borealem insulæ *Gilolo* angulum superavimus, æstu nos versus littora propellente. Post meridiem tres ad nos accedebant schaphulæ sublato pacis vexillo. Regionis nos situm indolemque edocebant. Flabat mox Zephyronotus, nosque antè *Soppij* positi ad sinum ejus contendimus. Pagus erat, propè quem commoda dabatur navibus statio. Hic loci antè biennium aliquamdiu substiterat navis *Pavo*. Iusto ab ipso tellure intervallo brevia erant & vado saloca, altitud. 10. aut 12. orguiarum, quibus superatis ad altitudinem 26. orguiarum anchoras fiximus. Incolæ statim ad nos accedebant, utpote qui *Ternatenses* essent, & ab Hollandorum starent partibus. Linguam Malaccanam callebant, ideoque cujates essemus ipsis exposuimus. Ex iisdem intelleximus, nos bidui solum itinere à *Ternata* abesse. Pisces & carabos corallijs permutabant. Missi erant à *Sangage*, exploraturi quod genus hominum essemus. Altitudinem hic observavimus grad. 2. & 40. minutor. ad Septentrionalem Æquatoris plagam.

x i v Nitidissimus illuxit. Flante sub meridiem Septentrione in sinum nos recepimus fixa ad altitud. orguiarum 12. anchorâ, idque vado testaceo. Insulani ad nos accedebant, liberaliter ea, quæ ad refectionem nostram faciebant, suppeditantes, nempe oryzam, testudines, *Sagu*, gallinas & pisces. Pro quo com meatu ipsis pectines, tintinnabula, & clavos dedimus.

x x Permutandis adhuc mercibus occupati eramus. Magnam *Sagu* copiam accepimus. Oryzam solo linteo panno permutare volebant. Hoc die *Ternatensis* huc appulit procurator (*Correcor*) oryzam quærens, qui nobis narrabat sedecim naves maiores in

Ternata

Ternata esse, Hollandicas omnes, quæ *Maniliam* peterent. Verriculo hic nostro pisces cepimus.

Sequentibus diebus de vario nobis comœatu, oryza, aqua, piscibus recentioribus, *Brafemis*, *Bannanis* & nucibus *Cocis* abundè prospeximus.

Hæc gens indole erat proba, infestissima Regi Hispaniarum, subdita regi *Ternatensi*, quem dominum suum supremum agnoscebant. Vix verbis exprimi potest, quanto omnes perfusi fuerimus gaudio, quod liberius jam cum hominibus conferendi, & de annona nobis optimâ prospiciendi obtigisset opportunitas, post devorata maris tœdia, emensam Oceani vastitatē, & post tot rerum discrimina accasus. numero eramus 75 omnium, quæ ad victum facerent, egeni. Vt luculentâ jam nobis Deo Opt. Max. gratias agendi materiam suppeditatam esse crederemus.

xxv. Confectis hic quæ conficienda habebamus, à statione *Soppy* discessimus.

Ad finem usque hujus mensis ventorum inconstantia & varietate ultrò citroque cursumur.

Prima & secunda Septembris flante Zephyronoto littus legimus, devitatis qui è ^{SEP-} littore protendebantur scopulis. Navigatum autem adverso maris æstu, qui non ^{TEM-} parum nos remorabatur. Ad insulæ angulum contendentes ad orgujas 40 substitimus. ^{BER.} Navales focij in terram exscendentes piscationi intenti erant, & præter pisces, *Cocos* insuper 50 asportabant.

III Aër erat nebulosus & pluvius. Præfectus cum fratre suo *Daniele* & navis gubernatore exscenderunt, & conscenso monte ex alto se regionem omnem spectaturos sperabant. Verum prærupta montium aditum ipsis negabant. Descensuros præcipitia terrebant, & postquam à calle aberravissent, tandem incolumes ad suos reversi sunt. Lembum ubi conscendissent, per rupem excavatam tanquam per euripum ac cataractam navigavimus. Aliam adhuc insulam ad angulum hujus vidimus.

IV Postquam aliquandiu hic morati fuisset, varijs impetiti ventis, vela fecimus, flante *Coro*, sed cum judicaremus æstu maris nos interjecta inter insulam & continentem spatia superare non posse, sinus ultrò citroque obliquavimus, parum promoventes, ita ut distinctè quinque insulæ oculis obijcerentur. Prima *Bihoa* dicta erat: Secunda in quam Præfectus exscenderat, *Doij*, Tertia *Tuacaro*, Quarta *Pou*: Quinta *Salangarij*, sita versus littus *Gammacanorre*. Hæ quinque insulæ *Moro* vocantur.

V Per totum diem hic ventus nos detinuit adversus. Aliqui nostrorū piscatum ibant & pisces aliquot insignes, quos *Crocovades* vocant, ceperunt. Dum in terram exscenderet nostri, tres è sylva profiliere viri scuto & gladio armati. Nostri *Orang Hollanda* clamabant, quasi dixissent, *Hollandi sumus*, qua voce audita, illicet ad littus procurrebant, aquam capiti affundentes in pacis ac amicitiae signum. Mox amplexabantur nostros, & vultu ad hilaritatem composito quasi gaudentes ridebant. Ad navem una ibant tostum piscem adducentes. Hi in hanc insulam ex *Gammacanorre* se contulerant *Sagu* quæsituri. *Malaccanam* linguam mediocriter callebant. Vbi corallia aliquot ipsis dedissemus, in terram eos exposuimus. Porcos aliaque se advecturos promittebant. Aberat, uti aiebant illi, à nobis *Gamacanorte* tribus miliaribus.

VI E regione insulæ *Salangarij* positi eramus, anchoras ad altitud. 17 graduum vado arenoso fiximus. Tormentum bellicum explodi è terrâ audiebamus.

VII Velis remisq; annexi parum profecimus. Sub meridiem accessit ad navē schaphula,

T

quæ

DESCRIP TIO NAVIGATIONIS

quæ præfecto pisces aliquot dabit. Nos vicissim vectori tres cultros, tres forfices, tres fasciculos coralliorum, & tria vitrea vascula recipiendo oleo idonea dedimus, ut cato factis redempti fuerint pisces. Nostri piscatum abeuntes tantam cepere piscium vim, quæ omnibus ad prandium sufficeret.

VIII. IX. X. XI Perpetui flabant Zephyronoti, cum præteritis aliquot diebus partim ob ventos contrarios, partim ob malaciam duo tantum miliaria confecissemus. Præfectus cum *Adriano Nicolai* lembum armatis aliquot viris instruebant, *Gammacanorre* insulam petentes, sed pertingere ad eam non poterant, miliari aut uno altero ab ea remoti. Adeo ut impossibile nobis esset instituto versus Zephyronotum cursu *Ternatam* contingere.

XII Idem qui antea erat ventorum status. Navarchus noster *Vilhelmus Cornelij Schout* instructo viris armatis lembo *Ternatam* petijt, commeatum inde haberi posse sperans. Eopse die vela fecimus, iterumque, quod ægrè nos habebat, anchoram jecimus ad altitud. grad. 15.

XIII Luculenta fuit piscium captura. Etiam tres porcos, quos à rustico acceperant, adducebant classiarij. Affirmabant rustici eos canum operâ captos. Nos, quod petebant precium, ipsis solvimus. XIV E locis mediterraneis flabant venti. Navigatum ad sesquimilliare, iterumque fixæ anchoræ.

XV Post meridiem mediocri vecti vento juxta littus sinum quendam & montem acclivem præternavigavimus, ubi *Lolodam* ingressi nos refecimus. Ad angulum ac cuspidem insularum *Toggesongij* propè accessimus, confectis hoc die ob faventem nobis maris æstum miliaribus quinque.

XVI Ad sesquimilliare insulas *Toggesongij* & *Lolodam* prætervecti eramus in sinu quodam terræ positi. Aer erat nubilus, subinde & pluvius. Ante meridiem discussis solis radio nebulis minantia in cælum montis *Gammacanorre* fastigia vidimus. Etiam visæ insulæ *Ternata* & *Tidora*, necnon insula *Irij*. ad latus Occidentale altissimum montem *Sabubu* conspeximus.

XVII Non constabat sibi Æolus. *Ternatam* attingere conabamur, sed ad sinum *Sebou* cum pervenissemus, ex eo prodeunte vidimus navem *Rotterdamensem*, cui nomē *Hesperus* (*Morgensterre*) unam ex *Spilbergij* navibus, qui tū temporis ad semestre in *Moluccis* insulis hæserat. Vehebat hæc navis Admiralium *Verhagen* & *Gasparum Iohannis*, uti & Navarchum nostrum, qui jam per aliquot dies his adfuerat. hoc die *Ternatam* appulimus. Præfectus cum navarcho statim exscendit, cum jam paulò antè missus ad eos fuisset à Generali sive summo Indorū præfectus. Erat autē tum temporis Generalis (ita vocant) *D. Laurentius Reael*, vir Musarū & belli studijs clarus, qui *Gerardo Reynst* jam pridem successerat. Ab hoc uti & ab alijs rerum Indicarum Officialibus, quorū major pars hic sedē fixerat, perhumaniter & benignè excepti sumus. Prætereà hic de successu expeditionis navalis à *Spilbergio* susceptæ plenè edocti sumus, uti plurimos suorum, antequam ad fluvium *Spirito Sancto* pervenisset, desideraverit, & *Liburnicā* suā in ipso freti *Magellanici* aditu amiserit uti duos in hujus freti transitu menses consumpserit, & hoc superato littora *Chiles* & *Peruvia* prætervectus fuerit: uti civitatem *Paytam* funditus everterit: uti cum octo *Hispanicarum* navium classe dimicans, de Admiralio & Vice-Admiralio & tertia quoque navi triumphaverit, licet non sine suorum quoq; insigni clade; uti *Limam* & sinus quamplurimos, licet exiguo fructu, perlustraverit: uti juxta *Novæ Hispaniæ* littora in *Manillas* insulas trajecerit, & sic porrò in patriam remeaverit. Intelleximus quoque 10. naves bellicas instructas esse, quæ classē nostram in *Ternata* adornatam jamque in *Manillis* commorantem adoriri in animo habebat.

Etiam

Etiā de miserando obitu *Petri Bottij* Generalis ad *Mauritij* insulam certiores facti sumus. Hæc, uti & aliarum rerum patriam concernentium narratio, afficiebat nos, qui omnium, quæ alibi gererentur ignari, hætenus extra anni solisque vias, quasi in alio orbe, Neptuno undique cincti, positi fueramus. Sub vesperam anchoram fiximus antè *Malegam, Ternatense* oppidum, ad altitudinem orguiarum 11. vado arenoso. Præfectus una cum navarcho in terram se exponi iussit, ad salutandum *Laurentium Real* Generalem, qui viæ suæ & longi itineris discrimina molestiasque enarravit. Hic magnificè nos & liberaliter excepit, præsentibus Admiralio *Stephano Verhagen*, & *Gasparo Iohannis Ambona* Governatore. Mox ad naves reversi sunt.

xviii Ex consilio præfecti & navarchi vendita sunt ferramenta omnia, aliaque plurima, quæ ex *Liburnicæ* conflagratione collecta hætenus navi asservata fuerant. Venditi etiam duo lembi & quatuor tormenta fusilia *liburnicæ*, etiam magna plumbi vis, anchoræ novem, & duo funes anchorarij. Quorum omnium precium 1350 regalia valebat.

Octiduum hic hæsimus, nondum ad iter accincti. Etiam quindecim hic ex nostrorum numero mansere, qui impetrata venia operam suam *Indicæ Societati* locarunt auctius stipulati salarium. Vasa nostra aquis recentibus implevimus, & cibarijs penè absumptis à Generali oryzæ magnam copiam, vas aceti & vini *Hispanici*, necnon carnes emimus.

xxvi Mane præfectus cum navarcho apud Generalem jentabat, qui comitante toto Senatu Indico eos ad littus usque honorificè deduxit, præmissa peditum cohorte, quæ in aciem disposita ter in gratiam nostram explosit, & hoc militari ritu vale nobis dixit. Sub meridiem surgente ab *Australi* plagâ *Æolo* vela fecimus, comitante *Spilbergij Lucifero*, quem longè post nos reliquimus. Tendebat ille in *Motir* insulam. In navem nostram recepimus *D. de Breen*, & *Iohannem Philippi* Generalis armigerum, stipatorem corporis vocat *Cicero*, qui in *Bantam* exponi volebat. Navarchus *Luciferi* nos porcellanis aliquot vasis, candelis & butyri vasculo donavit.

xxviii Magna æris tranquillitate sub littora ipsa *Tidora* ferebamur, non longè ab *Hispanorum* propugnaculo, intra tormenti ferè bellici iactum. Favente verò æstu & insurgente *Æolo*, hoc die insulam *Figulorum*, quam *Pulocavallo* vocant prætervecti, sub vesperam juxta *Motir* insulam nos positos offendimus. Noctu ad eandem cum *Machian* insulâ longitudinem cursum direximus.

xxviiii Insulas *Cayo* & *Gouriries* conspeximus. sed propter malaciam parum profecimus. Iamque quartum nos lineam *Æquinoctialem* transire observavimus.

xxx Eminus proræ objectam esse *Bachian* vidimus, insulam longè lateque protensam, situ depressam, multisque sinibus & promontorijs insignem. Ante meridiem maris nos æstus ante *Bachian* perduxit.

xxx Ad latus maris dextrum *Bachian* erat, *Gilolo* ad latus maris sinistrum, aliasque præterea nobis rectè objici insulas vidimus.

Calendis Octobris ad latus navis sinistrum terras vidimus à se invicem avulsas, colibus assurgentes. Australis erat *Gilolo* insulæ pars. Postea magnam insulam, *Obij* dictum, vidimus.

i i Conspecta nobis est *Zeram*, & instituto versus *Zephyronotum* cursu ad *Burro* insulam contendimus.

iii Apparere nobis insulæ *Maripa*, *Kilang*, *Burro*. Circa meridiem ad sinistram

DESCRPTIO NAVIGATIONIS.

navis partem *Burro* erat, in altitudinem grad 3. ad latus *Æquatoris* Australe.

iv, v, vi Diebus flante Euronoe *Burto* præternavigavimus, & septimo *Cambonam*. De nocte verò non longè à *Buqueronnes* aberamus.

viii Summo mane flabat *Apeliotes*. Circà vesperam duas insulas minores prætervecti sumus, etiam *Celebes*, in qua plurimos ignes conspeximus.

xi Propè *Macassar* eramus, ad *Maduram* tendentes.

xii Eundem tenuimus cursum, eodem acti vento. Circa vesperam ab ortu *Æquinoctiali* surgebat *Æolus*, cum paulò antè anchoram fixissemus ad quindecim orguiarum altitudinem, propè scopulos, quos *Pater nosters* vocant, in quibus & algam, & loca denudata mari, fractumque maris æstum observavimus.

xiii & xiiii Eadem adhuc & ventorum & cursus nostri erat ratio. Hoc die ad sinistram navis nostræ partem erat *Madura* insula.

xv Insulam *Maduram* prætervectis apparuit littus *Iave*. Eodem adhuc die *Tubam* insulam præternavigavimus. Multi hic nobis obviam facti piscatores è mari redeunt.

xvi Ventos è terrâ delatos sensimus. Post meridjem ante *Iacatram* ad quinque cum dimidio orguias anchoras fiximus, juxta navem *Amstelodamensem* cui *Hollandia* nomen erat positi, quæ huc ad mercatum oryzae concesserat. Hodie exscendit Præfectus ut de novo sibi commeatu prospiceret. Erat enim hic pecorum, gallinarum, ovorum, tamarindorum, *Arack*, piscium parabilis annona, idque vili fatis precio.

xvii & xviii Modò è locis mediterraneis, modò verò è mari flabat *Æolus*. Abundè hic de oryza, fabis, piscibus exsiccatis, alijsque, quæ ad victum necessaria sunt, nobis prospeximus.

xix Commeatus omnis in navem translatus erat. Accidit hic, ut oborta ingenti tempestate anchoram amitteremus, rupto fune anchorario.

xx Versus *Iacatram* vela fecimus. Navi nostræ iam tum vehebamus quinque armenta cornigera, eaque viventia, quæ futuræ famis solatia essent.

xxi Circa vesperam tribus ab *Iacatra* miliaribus sterimus.

xxii Antè *Iacatram* anchoram fiximus ad altitudinem quatuordecim orguiarum. Quatuor hic naves Belgicas & tres Anglicas offendimus, & præterà *Ionckam* (navis genus est) quæ impetrata antè à Societate venia *Bandam* mercatus causa petebat. Hac nocte unus è navalibus socijs obiit, qui inter tot superstites primus in navi nostræ fatis concessit, cum liburnica nostræ duos jam antè desiderasset.

xxiii Vela omnia deduximus. Postero die ægros in terram exposuimus. Post meridiem quoque huc appulit Præfectus *Iohannes Petri Conrardus*, vectus navi cui *Bantam* nomen erat.

NOVEM BER. **I**psis Calendis Novembris Præfectum nostrum aliosque navis nostræ officiales coram se ac Senatu suo vocavit loci hujus præfectus, & ex mandato Indicæ Societatis ipsis significavit, quâ vecti fuissent navem, bonaque omnia arresto gravari ac detineri. Displicuit quam maximè hæc res præfecto nostro, multisque rationibus satisfacere his ipsis conatus fuit, sed frustra. Responsum, nihil de jure ipsius, quod præterderet, diminui. Rem omnem propiori in *Hollandia* examini subjiciendam, illic de facta sibi quereretur injuria, aliaque plura. Quare acquiescere coactus fuit, sumpto secum omnium bonorum commentatio.

Accidit hoc primo Novembris, ipso Sanctorum omnium festo, secundum computationem nostram, secundo autem, si nostræ gentis computationem spectes. Ratio diversitatis

tatis est, quod è patria tellure Occidentem versus tendentes terræ jam globum una cum Sole obivissemus, ideoque semel minus nobis occidisset Sol, quam nostratibus. Ijs verò, qui ab Occidente Orientem versus profecti fuerant, semel plus ortus fuit Sol, quod ipsum 24 horarum discrimen importat. Ideoque computationem nostram mutare coacti fuimus, & omisso unico die, Martis nempe, à die Lunę ad Mercurij diem saltum fecimus, ita ut sex solummodo esset dierum hæc septimana.

Quare creptâ hic nobis navi nostrâ, plurimi Classiariorum hic loci in ministerium primoribus Societatis Indicæ se addixerunt. Præfectus verò noster una cum Daniele fratre suo & Navarcho Concordiæ alijsque insuper decem, in navem, cui *Amstelrodammum* nomen erat, quæ in patriam remeabat, transcendit. *Adrianus Nicolai & Nicolaus Pe-* DECEM
tri navis gubernator, alijsque decem, navem cui *Zelandia* nomen erat, conscenderunt, è BER.
civitate *Bantam* solventes 15 Decembris.

XXXI Obijt *Jacobus le Maire* Præfectus noster, magni animi juvenis, qui toto hoc itinere luculentum virtutum suarum specimen præbuit, diligentiamq; suam, industriam, ac prudentiam singularem omnibus nobis ac singulis probavit.

C Alendis Januarij flabat *Trafsciozephyrus*, ortâque tempestate deductis velis, conspecta adhuc eminus navi *Zelandiâ*, ferebamur.

II E conspectu nostro tempestas *Zelandiam* subduxit, quæ postea denuò apparuit. IANVA-

XXIII Insulam *Mauritij* eminus conspeximus, & XXIV propè eam anchoras fiximus. Simulac verò de aquis nobis prospexissemus, vela fecimus. RIVS.

S Eptima Martij Caput *Bonæ Spei* superavimus, instituto versus Insulam *S. Hele-*
næ cursu.

C Alendis Aprilis visa est nobis dicta Insula, & postero diè sub ipsum littus in anchoris stetimus. Atque hic *Zelandiam* navem, quæ à nobis tempestatum vi aberraverat, ingenti omnium gaudio, præter omnem spem offendimus. MAR-
TIVS.

VII Curatis ijs, quæ annonam spectabant, vela fecimus, & decimoquinto hujus mensis Insulam *Ascensionis* vidimus. APRI-
LIS.

XXIV Duas naves conspexere navales socij, uno ab Æquatore Austrum versus gradu, sed propter nimiam a nobis distantiam dignosci non poterant.

XXV Lineam æquinoctialem quintò jam transivimus, & XXIX apparuit nobis stella polaris, quæ jam viginti mensibus nobis occultata fuerat.

A Ltero Iulij die in *Zelandiam* appulimus, vecti nave, cui *Amstelodammum* nomen IULIVS.
erat, postquam molestissimum hoc iter biennij ac octo dierum spacio confecissemus, desiderato *Jacobo le Maire* præfecto nostro, viro-juveni multis nobis nominibus colendo, cui hujus Navigationis prudens & circumspecta moderatio, ac novi Freti aliarumque plurimarum insularum detectio æternam apud posteros famam memoriamque conciliabit.

NARRATIO

*Navigatio instituta mandato & auspicijs Regis Hispaniarum Anno
M. D. C. XIIX mense Octobri, idque à duabus. Caravallis, qua solven-
tes portu Lisbonensi versus Australes mundi partes ad lu-
strandum Fretum Le Maire profecta sunt, ductu D.
Iuan de More Capitanei, & confectis ijs, qua à
Rege in mandatis habebant, Hispalin
reverse sunt mense Augusto
Anno M. D. C. XIX.*

Postquam ad Regem Hispaniarum perlatum esset de Freto quodam à *Jacobo le Maire* detecto, & rem ita se habere fide dignis authoribus accepisset, duas *Lisbonæ Caravallas* adornari curavit, instructas viris 60. commeatu, qui in biennium sufficeret, omnique apparatu bellico, quas ad explorandum Freti hujus sive novi in mare Pacificum transitus situm, misit, postquam gubernatores & naucleros Hollandos, inter quos fuit quidam *Johannes de Witt* Amstelodamensis, sibi comparavisset. Solvebant hæ naves mense Octobri Anno 1618. è portu Lisbonensi sub ductu & imperio, Capitanei *Johannis de More*, cui hoc specialiter mandatum, ut diligenter attenderet, num qua ratione aditus ac transitus hujus Freti exstructis in littore utroque munimentis intercludi alijs posset. Postquam verò maris Septentrionalis latitudinem emensæ essent, feliciter in fluvium *de Genero* ad *Brasilia* oram appulerunt, ubi refectis victu corporibus, & de aqua recentiore alijsque ad vitæ præsidium necessarijs sufficienter instructæ versus Fretum supradictum contendunt; verum nonnihil à Freto Magellanico versus Orientem protrusæ in sinum delatæ sunt, cui *S. Georgij* nomen indiderunt. Terram conscendentes homines proceræ staturæ viderunt, qui toto capite super nostrates eminebant, à quibus humaniter & benignè excepti sunt. Capitaneus *Don Juan de More*, merces cum Indis commutare cœpit, & pro ferramentis aliquot auri massam sesqui pede majorem recepit. Quantū autem ejus esset pondus, & num ex his terris petitum, an aliunde invecum esset, rescire non poterant ductores Batavi, cum solus commercia cum ipsis iniret Capitaneus, nec ad hæc arcana alijs admitterentur. Hinc discedentes in conspectu semper telluris navigarunt, usque dum ipsum Fretum *le Maire* tenerent, cujus situm talem deprehenderunt, qualem in Tabulis geographicis de hac navigatione conceptis & editis videre est: Hoc solum discrimine, quod non eam illi esse latitudinem, quæ in tabulis annotatur, affirmarent. De longitudine Freti, nempe eam septem esse miliarium, idem attestabantur. Quamquam verò in ipsis jam Freti faucibus positus esset Capitaneus *Juan de More*, illudque nullo negotio transire posset, tamen præternavigato ejus ostio littus legit ad leucas 30, instituto versus Orientem & *Apelioten volucómpov* cursu, ut num alius hinc daretur transitus in mare Australe cognosceret, sed dum littora continua esse videret, continentem hanc Australem esse judicavit, quæ longo tractu versus Caput *Bonæ Spei* & ulterius expansiatur. Mox Fretum repetentes *Caravalle* minus diei spatio transiverunt, jamque in mari Australi positæ terram quoque ad Orientalem freti partem quam in suis tabulis
Hollandi

Hollandi Ordinum terram, *Staten lant* vocant, ad leucas triginta prosequutæ sunt, quam amplioem hic, quam prope fretum esse observaverunt, nec ullibi perviam, sed rupibus, præcipitijs, & locis montanis præruptam & asperam, qualis *Norvvegia* esse solet adspectus. Hæc post, iterum repetitò Freto illud prætervectæ sunt, postquam jam terram quoque prope Freti angulum repperissent, hominibus frequentem. Magnam quoque balenarum vim ab utraque freti parte deprehenderunt, & sic cursum juxta littora ejus terræ, quam *Mauritij* nomine appellavimus, versus Fretum Magellanicum instituerunt, detectis etiam & observatis insulis, quas de *Barneveltij* nomine nuncupavimus, necnon promontorio *de Hoorn*, in eadem quæ in Batavorum tabulis annotatur altitudine posito, quo loco nulla vicinior Austro hæctenus detecta fuit tellus.

Ab hoc loco servatis semper in conspectu littoribus ulterius provectæ oram omnem lustraverunt, num alicubi pervia ea esset & transitum datet, sed excepto fretò *Magellamico* aliud non invenerunt, licet alium adhuc dari transitum à promontorio *Prouvvaert* in mare Australe affirmant Angli quidam & præfectus *Spilbergius*, licet exiguis imò nullis nixi rationibus. neque enim vel nostri vel Hispani hunc observare potuerunt. Ut certò certius sit univèrsam terram, quæ Fretò *Magellamico* ad Austrum coextenditur continuam esse insulam, quam nostri *Mauritij* insulam vocaverunt. Eadem *Caravalle* in mari Australi positæ, littora *Chiles* lustrare cogitabant, sed defectu commeatus, ab instituto itinere prohibita sunt. Dederat quidem in mandatis Rex, ut de commeatu in biennium ipsis prospiceretur, verum eorum quibus hæc res demandata erat improbitate accidit, ut vix ad decem menses sufficere posset commeatus, quare hac necessitate compulsi secundo vento per Fretum Magellanicum in mare Septentrionale delatae sunt, postquam in eodem Fretò loca quædam jussu Regis, & inter alia locum, in quo *Philippi* civitas exstructa fuit, lustrassent. Adhæc in eodem Fretò arbores reperiverunt, quarum corticibus fragrantissimi odoris, vis, qualis piperi, imò acrior multò inerat. Ex his aliquos secum *Hispalim* advexerunt, & libras singulas 16. regalibus vendiderunt. Sic incolumes confecto hoc itinere in Hispaniam reversæ *Hispalin* appulerunt *Caravalle*. Speciatim enim hoc in mandatis habebant, ne in *Portugalliam* appellerent, licet affirmaret Capitaneus *D. Iuan de More*, se non obstante mandato hoc in *Portugalliam* reversurum fuisse, si quidem tunc cum appelleret, Regem *Lisbonæ* morari antè scivisset. Cum urbi appropinquarent, quod festo *St. Laurentij*, domus Burgundicæ patrono accidit, tormentorum explosione gaudium suum testatae sunt. Capitaneus verò *Lisbonæ* Regi totius itineris rationem, & quæ de Fretò supradictò explorata habebat, exposuit. Quare Rex ex consilio *Domus Contractuum* ilicet octo naves *Hispali* adornari jussit, quæ militem, socios navales, tormenta bellica, rudentes aliaque nautica utensilia in *Philippinas* insulas per hoc Fretum veherent, idque in usum navium, quæ in insulis *Manillas* exstruuntur. Solvendumque erat ijs ipsis navibus circa Novembrem Anno 1619. sine ullâ ulteriore morâ.

Quin & decretum in Hispania, ut hac viâ utpote faciliore & compendiosiore, nec tot periculis exposito, quotannis auxilia mitterentur ad *Philippinarum* & *Moluccarum* insularum defensionem. Etenim navarchi Batavi, & inter hos *Petrus* quidam *Michaelis de Cardoelen*, qui una cum hac octo navium classe gubernatoris titulo insignitus in *Philippinas* insulas profecturus est, Regi affirmaverunt se (nisi humanitus quid accidat) octo aut novem mensium spatio iter in *Philippinas* & *Moluccas* insulas confecturos, faventibus nempe in mari Pacifico & ventis & undis, ut duorum mensium spatio ex eodem mari in insulas supradictas perveniri posse firmiter statuunt, cum necessum non sit,
hic, uti

DESCRIPTIO NAVIGATIONIS

hic, uti alibi, certa anni tempora & navigandi tempeſtivities, *Mouſſonnens* vocant, obſervare. Res profecto hæc eſt commodiſſima humano generi, tam brevi tempore integra corporum valetudine ex Europa in *Philippinas* & *Moluccas* navigari poſſe, cum Caput *Bonæ Spei* præternavigantibus, obſervandæ ſint ventorum anniverſariæ oportunitates, nec niſi 14, 15 aut 16 & pluribus ſubinde menſibus hoc iter conficiatur, & præter maris tempeſtates conjunctam quoque habeat hæc navigatio tot morborum neceſſitatem, ut ſubinde tertiam, ſubinde mediam & amplius, vectorum partem in itinere mori contingat, priuſquam ad deſtinata loca pertingant. Illud conſtat, *Gerardum Reynſt* in hoc iter conſumſiſſe menſes 16. priuſquam *Bantam* appuliſſet, à quo loco tam immani adhuc intervallo diſtant *Moluccæ*, prætereà ſociorum ſuorum plus quàm quartam partem in itinere deſideraſſe. *Adrianus* quoque *Vouteri* quatuor navium claſſe Indiam Orientalem petens, novendecim menſium decurſu *Bantam* pervenit, in quo itinere navis *Vliſſinga* 163. viros deſideravit, cum non niſi ducentos ex *Hollandiâ* ſolvens accepſiſſet, & qui ſuperſtites manſerant, ægrum & conſectum adeò morbis corpus traherent, ut nauticis officijs vix ſufficerent. Naves quoque dictæ *Urſa candida* & *Nigra* poſt octodecim menſium jactationem demum in *Bantam* appulerunt, tertia ac quarta parte ſuorum deſideratis. His adde naves alias, *Aquilam* è *Zelandia*, *Concordiam* Amſtelodamo, *Arborem aurantium* Hornâ miſſam, quæ duodecim, tredecim & amplius menſibus in viâ hæſere. Vnde facile eſt colligere, difficiliorem eſſe navigationem, quæ in *Moluccas* & *Ambonam* juxta *Bonæ Spei* promontoriû inſtituitur, quam quæ per novû hoc Fretum ſuſcipitur, cum hac viâ ex hiſ terris quinque menſium ſpatio in *Peru* & *Chilem* pervenire detur, octo autem menſibus in *Moluccas*, ſine ulla inſigni navigantium clade. Exemplo eſſe poteſt navis *Concordia*, quæ hac viâ in *Moluccas* nullo ſuorum ſociorum deſiderato ſalva ſoſpeſque pervenit. Nequaquam verò tam expedita eſt prior navigatio, utpote quæ præter anni tempeſtivities, quas obſervare neceſſe habet, etiam in *Bantam* tribus, quatuor, & quinque menſibus naves remoratur, priuſquam iter ſuum promouere poſſint, ut de tempore nihil dicam, quo opus eſt, ut hinc in *Moluccas* aliaque Indiæ orientalis loca perveniant.

BREVIS NARRATIO

Omnium, quæ per

FRETVM MAGELLANICVM
inſtitutæ ſunt, Navigationum.

De Ferdinandi Magellani Navigatione.

Claſſis hæc, *Ferdinando Magellano* præfecto, ſerò admodum, decimo nempe menſis Auguſti die Anno M. D. XIX, *Hiſpali* ſolvit, & cum in *Tenerifam* appuliſſet, poſt aliquot dierum moram, tertio Octobris die hinc diſceſſit, poſtque dies quindecim littora *Guineæ* & promontorium *Blanco* tenuit, quo loci per viginti dies eam ventus deſtituit, & integro inſuper menſe contrarius detinuit, tandemque poſt multas maris moleſtias 13. Decembris in Portum ſive fluvium *Genero*, qui in *Braſiliâ* eſt pervenit. Hic reſectis aliquandiu corporibus,

ribus, & novo comiteatu, qualis hic loci haberi poterat, instructus lecto *America* littore ulterius contendit. Septimo verò Ianuarij die Anno 1520. ad altitudinem 24. graduum proventa, in fluvium *de la Plata* venit, ubi aquationi aliquot dies impendit. Sexto Februarij in itinere perrexit, & 5. diebus unicam solummodo leucam, confecit. noctu 5. aut 6. à littore leucis recedens, insignem sinum offendit *S. Matthæi* dictum, quem occupare conata est, ut, nun pervius esset, exploraret. Sed cum hic propter maris abyssum anchora figi non posset, ad alium Sinum *de los Patos* properavit, quo loci exiguam repperit insulam Pinguinis avibus abundantem. Mox in sinum *de los Trabaios*, ad latus Boreale portus *S. Iuan* delata, commodum hic hybernandi locum esse iudicabat. Etenim ab Aprili hic initium sumit hyems. Hinc discedentes festo *Palmarum* in portum *S. Juliani* in altitudine grad. 49. positum pervenit, ubi hybernare tutissimum putavit. Ex hoc loco ulterius missus fuit Navarchus, ut fretum aliquod detegeret, qui insignem fluvium *S. Cruz de Mayo* repperit, magnamque in mari balænarum vidit frequentiam, sed tandem ventis littori illisa navis periit. Reliqui exactis jam mensibus hibernis Aprili, Maio, Junio, Julio, Augusto, è portu *S. Iuliani* 24. Augusti discessere, & in fluvium *S. Cruz* appulerunt, ubi refectiois ergo duos menses subistere Septembris & Octobris, & ultimo Octobris discedentes lecto semper littore ad promontorium *de las Virgins* perducti sunt. At 6. Novembris fretum ipsum occupavit, & 27. Novembris postquam in eo dies 20. jactatus esset in mare Australe pervenit, & ad 18. usque Decembris versus Septentrionem cursum tenuit, donec ad altitud. grad. 32. proventus esset, unde cursum versus Thrafciozephyrū ad Æquinoctialem usque lineam instituit. 24. autem Decembris in altitudine 26. grad. positus erat ad latus Æquatoris Australe, postquam jam nullam 30. dierum spatio tellurem, nullos mortales conspexisset. Tandem duas insulas minores detexit, sed incultas & ab incolis destitutas, quas *Desventuradas* vocavit. Refert *Guido* cum trium mensium & viginti dierum spatio extra omnium littorum conspectum navigasse. Anno 1555 mensis Septembris die sexto in *Sevillam* sive *Hispalim* appulit navis *Victoria*, postquam triennio & diebus insuper viginti in mari oberrasset.

De Navigatione Classis sive navium Episcopi Placentiæ

D. Iutieres Carvajal.

Secundam, quæ *Fretum Magellanicum* transijt classem instrui iussit *Placentiæ* Episcopus, constabat navibus quatuor, quæ ex Hispania solventes & *Moluccas* petitura per *Fretum Magellanicum* iter parabant, in quod postquam obsecundantibus ventis delati essent, & jam ad viginti miliaria proventa essent, tanta ex adverso incubuit tempestas, flante ab Occidente Æolo, ut tres in littora impactæ naufragio perierint, quarta verò procellarum vi retroacta in apertum mare Septentrionale repulsa fuerit. Quæ tamen ipsa postea sedata tempestate in fretum reversa est, socios quæsitura, quos magno numero in littore palantes ac oberrantes conspexit. Inclamabant hi alta voce & miseræ suæ solatium ab alijs qui in mari erant implorabant. Verum Capitaneus apud animum suum revocans, nec navem suam tot mortales capere posse, nec de comiteatu, qui tot alendis sufficeret, sibi prospectum esse, minimè consultum iudicavit in terram exscendere, sed iter suum prosequutus *Fretum* superavit. In mari Australi positus & à socijs omnibus destitutus minimè consultum iudicavit, tam exigua hominum manu ulterius versus *Moluccas* iter prosequi. Quare mutato consilio versus littora *Peru* & *Limam* contendit, ad quam cum appulisset, in rei memoriam retracta in terram fuit navis, quæ etiamnum

V

specta-

D E S C R I P T I O N A V I G A T I O N I S

spectatur, erecto ejusdem navis malo ante ipsius Palatii fores.

De reliquis, qui ex trium navium naufragio servati fuerant, erant autem 250, quorum Capitaneus *Quiros* dictus erat, in hunc usque diem nihil fando accepimus. Exacti autem jam sunt anni circiter quadraginta, ex quo hæc accidisse commemorantur.

De tertiâ Navigatione per Fretum Magellanicum instituta solventibus è Chili navibus.

Tertia per *Fretum Magellanicum* navigatio non trajecto mari Atlantico, uti priores, sed juxta littora maris *del Zur* instituta fuit, jussu & mandato *M. Garciae de Mendoza*, imperij *Chili* Gubernatoris, qui duas eò sub ductu Capitanei *Ladrilleri* naves misit. Hic ergò fretum à parte Occidentali & è mari Pacifico ingressus, angustias ejusquoque emensus est, verum cum ad fauces freti mari Septentrionali objectas pervenisset, in apertum Oceanum se dare ausus non fuit, cum turbatum hic & procellosum mare experiretur (erat enim jam hic loci hyems) ideoque eadem via remeans in *Chilen* reversus est.

De quarta Navigatione D. Fray Garciae, & Iofre de Loaysa qui Anno M. D. XXV. sex navium classe, Caroli quinti Imperatoris auspicijs ac mandato fretum hoc transiverunt.

Mense Julio è portu *S. Lucar* solventes, ea quæ ad refectiorem erant necessaria in insula *S. Matthæi* sibi comparaverunt. Atque hinc discedentes tertio Novembris, *Brasiliam* quarto Decembris in altitudine 20. graduum conspexerunt. Crebræ ipsos à 14. Januarij die, ad 18. usque exercuerunt tempestates. In ipso freti aditu propè promontorium *de las Virgins* navis jaecturam fecere, moxque 18. Fretum ipsum conscenderunt, è quo adversantis Æoli violentia repulsi aliquamdiu in fluvio *S. Alphonsi*, & fluvio ac portu *S. Cruz* oberraverunt. Octavo Aprilis denuò Fretum occuparunt, ac primo Junij illud emensi mare *Pacificum* tenebant, repertis ac observatis quamplurimis in utroque freti ostio insulis minoribus in altitudine grad. 48. Diebus 52. illud transiverunt, amissa *Patacha*. Quinto, postquam fretum superavissent, die oborta tempesta diffecit classem, & amisso ex oculis Capitaneo, nunquam de eo quicquam audivere. Verum iter suum prosequuti versus *Moluccas* in *Mindanao* insulam appulerunt. Magnam balenarum frequentiam circa ostia freti in ipso littore conspiciebant, quas eò procellarum & tempestatum violentia propulerat. Quin & in fluvio *de S. Cruz* Iaspides varij generis lapidesque hæmorrhagiam sistentes, aliaque rariora, invenerunt, uti & ligna odorifera, magnamque cinnamomi virentis copiam. Referebant iidem ab utraque freti parte terras habitari.

De Navigatione Francisci Draci versus Fretum Magellanicum.

Anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, mensis Novembris die decima quinta è portu *Plemmyde* solvebat, in quem adversis ventis repulsus, denuò decima tertia Decembris quinque navium classe mare conscendit. Vigesimo quinto

quinto ejusdem mensis promontorium *Cantjen* in littore *Barbarie* positum tenuit, 26 ad insulam *Mogador* appulit, in quam postquam *Pynasse* exposuisset, 30 Decembris vela fecit, 17 Ianuarij Anno 1578 ad promontorium *Blanco* pervenit, & post aliquot dierum moram hinc discedens, 27 Insulam *de Majo* superavit & 29 in *S. Iago* delatus, quam illic offendit navem cujusdam *Mino de Sylva* secum abduxit. Mox ad insulam *Brava* contendit, & postquam sibi de aquâ recentiore prospexisset, cursum versus *Brasiliam* instituit, à ventis per tres hebdomadas propè *Æquatorem* destitutus. Calendis Aprilis visa ipsi *Brasilie* littora in altitudine grad. 33, verum nulla facta exscensione recta fluvium *de la Plata* petijt, quem conscendit, ad altitudinem orgujarum 53 & 54. Atque hic post aquisitionis curam in altum vectus ad gradus usque triginta novem pervenit, ibidemque non longè à scopulis antè Sinum positis, anchoram fixit. navi hic unâ aut alterâ exustâ iter suum, cum reliquis quatuor navibus prosequutus, 20 in Sinum *de las Islas* sive portum *S. Iuliani* in altitudine 49 graduum situm delatus; 27 dies ibidem substitit, refectis recreatisque nonnihil corporibus. Decimoseptimo, lecto littore navigavit, sesquimiliaris solummodo à tellure intervallo, maris profunditatem deprehendens ad orguias 20 & 25, postque quatrimum ad ostium *Freti Magellanici* pervenit, ubi adversantibus ventis aliquandiu ab aditu prohibitus, tandem flante *Cacia* 21 Augusti Fretum ingressus est, & 24 insulam, quam *Robben* vocant, in Freto positam superavit, nec ullo ventorum aut tempestatum incommodo retardatus, felicissimè Fretum emensus 6 Septembris in mare Australe pervenit, ubi ingruente procellarum vi à se invicem divulsa naves, mox iterum collectæ cursum versus *Trasciozephyrum* & *Septentrionem* instituerunt, subinde in intercurrentes insulas facta exscensione. Ac sic juxta littus navigantes in *Chili* propè *S. Iago* delatæ sunt. 17 Februarij antè civitatem *Aquapulco* in Nova Hispaniâ in anchoris steterunt. Hinc solventes ad gradus 43 provectæ frigidissimum experti sunt aerem, mox ad grad. 38 in Sinum commodum *Nova Albion* dictum se receperunt. Decimotertio Octobris ad Insulas perventum, positas in altitudine graduum octo ad latus *Æquatoris Septentrionale*.

Decimoquarto *Moluccas* insulas tenuerunt, & in Angliam reduces tertio Novembris Anno 1580 appulerunt, confecto biennij & 10 mensium spacio itinere. Hoc notandum, septem mensibus, & diebus quatuor ex Anglia ad Fretum usque *Magellanicum* navigasse *Franciscum Dracum*, & fretum 16 diebus superasse.

Quæ verò navis *M. Iohn VVinter* vehebat, postquam unacum reliqua classe Fretum transivisset, oborta tempestate à socijs aberravit, octavo Octobris, & Fretum repetens viginti sex dierum spacio illud emensa est, ac 11 Novembris denuo in mare Septentrionale delata fuit, & secundo Iulij Anno 1579 in *Britanniam* reversa, ad 55 gradus plagæ Australis se provectam narravit, sed mox a socijs tempestatum violentia abreptam aberrasse.

Prorex *Peruvie* accepto nuncio de adventu harum navium, quæ auro & argento spoliarent obvia quæque, tres naves bellicas 250 militibus instructas misit, quæ *Dracum* persequerentur. sed cum neque propè promontorium *S. Franc*, neque prope *Panamam* eum reperirent, ratæ cum per Fretum domum remeasse re infectâ in *Peruviam* reversæ sunt.

De Navigatione Petri Sarmiento, qui è Lima solvens Anno 1579 ad lustrandum Australe Freti Magellanicum littus missus fuit.

Postquam ad aures *Francisci de Toledo* Vice-regis Peruviae pervenisset, *Franciscum Dracum* per *Fretum Magellanicum* in mare Australe delatum passim circa ejusdem littora ferro & igni obvia quæque populari, quo huic malo obviam iret, duas naves instrui jussit, quæ postquam è *Callou de Lima* 11. Octob. solvissent, ipsis Calendis Novembris terras *Desaventuradas* prætervectæ sunt, in altitudine graduum 25 $\frac{1}{2}$. Prima, quæ in conspectum se dedit tellus, in altitud. grad. 49 $\frac{1}{2}$ posita erat, ad quam felicissimo cursu minus 30 diebus pervenerunt. Mox in apertum mare cursum direxerunt, ad evitandum ventos Australes. hic multarum insularum congeriem & velut Archipelagum invenerunt, judicabatque *Sarmiento* hic loci Fretum esse: ideoque lustratis littorum sinibus, diverticulis, Canalibus, etiam conscensis montium jugis, non nisi avulsas à se invicem & divisas terras viderunt, interq; hujus loci situm & grad. 50, insulas tam majores quam minores 85 numeraverunt. Verum cum Fretum hic nullum offenderent, in altum vectæ sunt, ubi tam vehemens ipsis incubuit tempestas, ut huc illuc disiectæ altera alterius conspectum effugeret. Postero die scæviente adhuc Æolo altitudinem polarem graduum esse 51 $\frac{1}{2}$ observavit, in qua altitudine Fretum ad latus Septentrionale positum est. Plurimas in mari Australi detegebat insulas, quarum possessionem Regi suo vendicabat, inditis unicuique nominibus. Alicubi in portu, quem *Vermeio* vocabat, ostrea repperit, quæ margaritas habebant. Hinc conscenso Freto intellexit hac *Dracum* transivisse, moxque angustias, quasdam in Freto observavit, in quibus extructis propugnaculis prohiberi transitu possent exterorum naves. Etiam cum indigenis & Gigantibus consilia contulit, utilegere est apud *Argensolam*. Superato Freto versus *Cabo Verde* contendit, hinc verò in *Hispaniam*, ubi maximis muneribus illum decoravit Hispaniarum Rex, qui ejusdem *Petri Sarmiento* rogatu classem instrui jussit, sub *Diego Flores de Baldez*, ad muniendas propugnaculis Freti hujus angustias.

Alia navis, quam tempestas abreptam in altum mare protruserat, post aliquot dierum jactationem terras versus Orientem positas vidit, posita in altitudine graduum 56. Quidam *Hackuyt* refert, hanc navem ad gradus 58 pervenisse, plurimasque detexisse in mari Australi insulas, aliudque Fretum, cujus etiam *Acosta* meminit, sed altius Austrum versus positum, idque occasione insulæ cujusdam permagnæ sitæ ad latus Australe Freti, quam *Gent la Campana* vocant. Hinc lecto littore *Chili*, *Liam* petijt.

1581. Anno 1581, Rex Hispaniarum hortatu *Petri Sarmiento*, cum navibus 23, quæ 2000 viros & novum *Chiles* præfectum, aliaque ad propugnaculorum extructionem necessaria & milites 500 vehabant, misit *Don Diego Flores de Baldez*, ad muniendum propugnaculis locum, & deducendas hic Hispanorum colonias, quibus *Sarmiento* gubernatoris titulo imperaret. Annus & ultra excurrerat, priusquam in Fretum perveniret, bis terve in fluvio *de Genero* hybernans, & amissis naufragio aliquot navibus.

*De navigatione Thomæ Candisch per Fretum
Magellanicum.*

Solvebat *Candisch* hic *Pleymuydá* 21. Iulij duabus navibus, quæ 70. ac 30. dolia capiebant, & uni liburnicæ præfectus. Calendis Augusti *Forte-venturam* conspexerunt. Nono Augusti promontorium *Blanco* tenuerunt, 26. in *Sierram Lionam* delati sunt, ubi dum corpora reficiunt, quindecim dies commorati fuerunt. 10. Septembris ab *Isle verde*, sive *Madragumba Brasiliam* petierunt. Primo Novembris ad promontorium *Frio* in *Brasilia* appulerunt. In insula *S. Sebastiani* dies viginti refectionis causa hæserunt. 23. Novembris hinc discedentes, in portum *Desire* 17. Decembris delati sunt. Anno 1587 die Ianuarij tertio ad *Capo de Virgines* pervenerunt. Sexto ejusdem mensis *Fretum* occuparunt, & in *Porto Famine* apud Hispanos integrum mensem manserunt. Ad 24. usque Februarij in Freto jactati sunt tempestatibus varijs & ventis adversis, quo tempore in mare Pacificum pervenerunt. Septem hebdomadibus *Fretum* transiverunt. Cum in altitudine 49 graduum positi essent, ecce tempesta naves disiectas separavit, non sine naufragij periculo, 15 Martij ante insulam *S. Marie* steterunt, 4 Novembris ad *Californiam* appulerunt, altitudine graduum viginti trium. Anno 1588, decimo quarto Ianuarij in *Philippinas* insulas pervenerunt. Calendis Martij in portum delati sunt ad latus Australe *Iave Maioris*.

Denique quinto Septembris in Angliam redierunt post viginti quinque mensium & quindecim dierum jactationem. Decem mensibus & octodecim diebus à Freto in *Manillas* usque navigaverunt: a *Pleymuyda* ad *Fretum* usque *Magellanicum* mensibus quinque, diebus sedecim.

De altera Thomæ Candisch versus Fretum Magellanicum Navigatione.

Postquam vigesimo sexto Augusti Anno 1591. *Pleymuyda* solvisset, 29 in Sinum *S. Salvatoris* qui in *Brasilia* est delatus est, ubi ad secundum usque Decembris diem vento destitutus hæsit. Circa hæc tempora navem *Hispanicam* è fluvio *de la Plata* venientem saccharo & *Negros* onustam cepit. Hujus verò navis *Naucleus* eum in insulam *Placentiam* triginta à promontorio *de Frio* Occidentem versus leucis, deduxit, ad quam quinto Decembris appulit. Sex septemque Lusitanorum domos spoliabat, 2. hinc solvens, decimoquarto *S. Sebastiani* insulam attigit, unde ad expugnandam urbem *de Santos* profectus fuit, decimoquinto antè *Santos* urbem in anchoris stetit, postero verò die eam invasit, captosque incolas templo inclusit, sibi que de com meatu abundè prospexit. Vigesimo Ianuarii Anno 1592 relicto hoc loco, oppidulū *S. Vincentij* incendio vastavit. 24 in altum vectus recta Fretū petijt. 7 Februarij tempesta classi violenta incubuit. Dissipatæ hic illic ventorū violentia naves jactabantur. Quare decretum ut in portum *Desire*, qui in altitud. est gradus 48. iretur. 16 Martij redijt ad socios *Pinasse* navis, quæ etiam huc venturum Præfectum sperabat, quod priore sua navigatione hic reficiendi se suosque oportunitatem invenisset. 6 Martij duabus navibus in Portū *Desire* delatus est. decimo octavo tota classis aliquandiu sparsim jactata

D E S C R I P T I O N A V I G A T I O N I S

denuò collecta fuit, unica excepta nave, quæ Angliam repetijt. Vigesimo hinc solventes Fretum petierunt. Octavo Aprilis ad ostium ejus post crebras tempestates pervenerunt. Decimo quarto primas Freti angustias. 16°. verò alteras superaverunt, quæ decem à prioribus distant leucis. Decimo octavo ad promontorium *Frouvvard* delati in altitudine quinquaginta trium cum dimidio graduum steterunt. Vigesimo primo tempestatum vis eos retrusit in angustias quasdam, quatuor à promontorio Freti Australi leucis, quo loci ad decimum quintum usque May manserunt, summa annonæ inopia laborantes, conchylijque & herbis marinis victitantes.

Candisch, qui hic diuturnas non esse nives nec perpetua frigora optime sciebat, iter urgebat, verum maxima sociorum pars de alia expeditione cogitabat, aut in *Brasiliam* reverti malebat. Verum ipse constituit promontorium *Bonæ Spei* adire, cum com meatu alijsq; ad victum necessarijs præsidijs destituti essent. Sed suorum tandem victus suasionibus *Brasiliam* repetijt. Quare decimo octavo May egressi Freto, 20. non longè à portu *Desire* aberant, cumque noctu cursum mutasse Præfectum suspicarentur alij, à Præfecto aberraverunt, ideoque cum postero die ex oculis effugissent, eum portum *Desire* petijisse opinabantur, puteumque, qui recentem habebat aquam, ad Australe portus latus invenerunt. Sexto Augusti nondum reperto Præfecto insulam *Pinguinorum* petierunt, & hinc rursus ad Fretum contenderunt. Nono ejusdem mensis die præ ventorum vehementia vela omnia dejicere coacti fuere. Decimo quinto ad insulas ante hac incognitas delati sunt, quæ 17. à continente aberant leucis, sitæ ad Boreale Freti latus, propè quas parum aberat, quin naufragio periissent, nisi sedata fuisset tempestas. Decimo octavo aère caliginoso decem à promontorio Freti leucis in anchoris steterunt. Decimo nono primas Freti angustias superarunt, vigesimo alteras. anchoras fixerunt in *Canali* quodam sive anfractuoso loco, ubi plurimos offenderunt Barbaros hominesque agrestes, qui non obstante intensissimo aëris frigore in sylvis & nemoribus Satyrorum more vivebant. Corpore erant robusto, & saxi magnæ molis quatuor aut quinque librarum ipsos longo intervallo impetebant.

Vigesimo quarto hinc discedentes postero die ad eam Freti partem pervenerunt, quæ Thraciozephyrum spectat. Vigesimo quinto anchoras fixerunt 14. à mari Australi leucis, decretumque ut hic loci præfectum præstolarentur. Erat enim fretum hic angustius, trium solummodo leucarum latitudine. Verum cum hic frigoris illos affligeret inclementia, & jam deficeret com meatus, statutum, ut mare Australe peterent, & insulam *S. Mariæ* sitam climate temperato, partim ut de com meatu sibi prospicerent, partim ut hic præfectum expectarent. Quare decimo tertio Septembris vela facientes eodem die mare Australe conspexerunt. Decimo quarto versus interiora Freti ventorum vi repulsi sunt.

Secundo Octobris denuò in apertum mare Australe delati sunt. Sequens nox tam fuit procellosa, ut quò cursum essent directuri ignorarent, nec fretum repetere audebant, cum à funibus anchorarijs essent destituti. Quarto & quinto Octobris sæviebat indefinenter *Æolus*, jamque aquas hauriebant naves, donec undecimo Octobris promontorium *Desirado* conspicerent, duorum miliarium distantia. Mox propius accessere ad ipsum littus, à quo tempestatum impetu in fretum protrusi sunt, tanta acti aquarum rapiditate, ut sex horis viginti quinque decurrerent miliaria, & vigesimo quinto Octobris denuò insulam *Pinguinorum* tenerent. Vigesimo mare Septentrionale ipsos habebat. Trigesimo Octobris portum *Desire* refectionis ergo petebant.

Anno 1595 trigesimo Januarij ad *Jslam Placentiam* in *Brasilia* appulerunt, & undecimo

cimo Iulij in Angliam, confecto viginti duobus mensibus cum dimidio itinere.

Illud quoque certo constat, Anno 1595. ex Anglia navigasse Ducem quendam *Haukens* dictum, qui per Fretum hoc in mare Australe delatus, tempestatum vi versus Austrum propulsus est ad gradus usque 56. verum insulas plurimas reperit, continentem nequaquam.

*De navigatione instituta per Fretum Magellanicum à Iacobo Mahu
& Simone de Cordes, Rotterodamo solventibus quinque
navium classe Anno 1598.*

Iacobus Mahu & Simon de Cordes è portu & statione *Goereaná*, quæ in ostio *Mosæ* est, 1598.
propè *Brielam*, solvebant 27. Iunij, quinque navium classe; aduersisque ventis in littora Angliæ propulsi sunt, ubi ad 15. Iulij in anchoris steterunt. Hinc discedentes prima Augusti in eadem cum promontorio *S. Vincentij* altiudine positi erant, & 19. ejusdem mensis ad littora *Barbariæ* prolapsi sunt, unde cursum versus insulam *de Cabo verde* instituentes, ultimo Augusti insulam *S. Iago* viderunt, in qua quæ ad refectiorem corporum facerent, comparaturos facile se sperabant, licet frustra. Calendis Septembris sub *Isla de Majo* delati sunt, verum cum hic recentiores aquas ac commeatum sibi comparare non possent, postero die *S. Iago* petierunt, ubi cum commeatum sibi poscerent preciumque liberaliter ac perhumaniter posceret, nec impetrare tamen ab incolarum inhumanitate possent, terram conscenderunt, & armata manu oppidulum expugnarunt, sibi que de aquis invitis indigenis prospexerunt. Verum ob aëris insalubritatem morbo corripiti cœperunt. Sexta Septembris vela facientes, undecimo in *Islam Branam* appulerunt, in quam aquatum ivere, frustra reluctantibus indigenis. Decimo quinto Septembris flante Meze & instituto versus Euronotum cursu in altum proveci sunt. 24. ejusdem mensis obiit Classis Præfectus, cum non longè à littore abessent, altitudine maris ad orguias sex. Ab hoc tempore scorbutum inter navales socios grassari cœpit. 29. iter suum profecuti sunt instituto versus Zephyronotum *νοτιώτερον*, & Libonotum cursu, quæ ad 4. usque Octobris tenuerunt. Quo tempore mutato cursu versus *Africum*, uti & sexto ejusdem mensis versus Vulturum concesserunt. 28. indictus fuit precum & jejunij dies, positique erant in altitudine grad. unius cum dimidio ultra Æquatorem. Secundo Novembris decretum, ut terram primò obviam conscenderent, ad recreanda egrorum corpora, ideoque cursum direxere versus *Annobon*: & cum 150. miliaribus se à tellure abesse crederent, sub ipsum littus positi erant. Cum verò in altitud. trium grad. Australium positi essent propè littora *Manicongo* erant, à quo loco itinere terrestri promontorium *Lopo Gonsalves* petierunt, & littora *Guinea*, quæ ad commeatum facerent studiosè quærentes, quo refecti non nihil ac sibi penè restituti sunt ægri; qui mox recidivam passi sunt, ob aëris nimiam intemperiem. Quare 9. Decembris in *Annobam* insulam contenderunt, ad quam post meridiem delati, vi oppidulum occupaverunt & aquatum ivere. Sed rursus ardentibus febribus correpti plurimi sunt, alijsque morborum generibus laborare cœperunt.

Secundo Ianuarij Anno 1599. flante Phænicia versus *Fretum Magellanicum* contenderunt, instituto in Zephyronotum cursu. 22. ad altitud. grad. octo cum dimidio proveci 1599.
insulam *S. Ascensionis* conspexerunt. Ultimo verò dicti mensis die in vertice sive Zenith erat Sol. Mox *Abrolhos* præterveci sunt flante Meze, cursu versus Zephyronotum *νοτιώτερον* directo.

DESCRIPTIO NAVIGATIONIS

directo. Nono Martij ad altitudinem 41. graduum processerant. 23. bidui ac tridui tempore nebulosum ac conspissatum caligine cælum experti sunt. 28. in altitudine 50. grad. positi, vadum ad 60. orguias deprehenderunt. 29. ad altitudinem grad. 50. pro-
 vecti fundum ad orguias 80. attigere. 30. & 31. flante Circio versus Zephyronotum
 rectâ contenderunt, altitudine maris deprehensa ad orguias 67. & 80. Calendis Apri-
 lis sub occasum terram conspexere. 6. Aprilis in *Fretum Magellanicum* delati sunt, flante
 Austro, mensesque jam erant novem & dies totidem, ex quo patria solverant, trimestre
 verò, ex quo ab *Annabon* insula discesserunt. Verum hyemis inclementiâ varijsque tem-
 pestatibus, frigoris adhæc ac inedia incommodis fractæ fuere ipsorum vires. Circa hæc
 tempora incunte Aprili quinque aut sex diebus flante Apeliota & Mese navigarunt, quo
 temporis intervallo Fretum transire potuissent. Verum dum aquationi intenti sunt, sibi-
 que de lignis prospiciunt, venti oportunitatem neglexerunt. A septimo siquidem Apri-
 lis ad vigesimum usque idoneum satis & propitium ventum nacti sunt, cujus ope Fretū
 superare potuissent, sed mox mutato illo in Austrum & Zephyronotum, à transitu freti
 prohibiti sunt. Cum autem mensis May hic loci in hyemem incidat, variæq; hos tractus
 exerceant procellæ in Freto hæere ad 23. usque Augusti. Stationem fixerant in *Sinu Viri-
 di*, mox vela facientes subinde in anchoris steterunt, donec 23. die Fretum emensi,
 & mare Australe ingressi sunt, postquam semestre jam in Freti angustijs hæsisent. Quin-
 to & sexto ejusdem mensis flante Meze cursum versus Zephyrum tenuerunt. Nondum
 in hunc usque diem sex navium & unius lembi classis dissipata ac divulsa fuerat, donec
 insurgente procellâ 7. Septembris, turbato admodum & procelloso mari, duæ naves, qui-
 bus nomina erant *Charitatis* & *Fidei*, quæque *Veertium* & *Cordes* vehebant, ad sinistram
 navis latus lembos intra foros recipere coactæ fuerunt. Interea temporis Admiralium
 proximè sequitur *Veertius*, & quæ futuræ calamitatis præludia fuere, iusignem jactu-
 ram passa est Liburnica, cui à *Lato nuncio* nomen erat, amissis aliquot navis partibus, an-
 tenna alijsque, quæ res effecit ut dejectis velis (erat enim tempestas vehemens) tor-
 menti explosione opem aliorum posceret. Mox vela quoque deduxerunt *Veertius* & *Fid-
 es*. U gebat iter Admiralium, sed *Charitas* ad alias accedens idem quod illæ fecit, ut
 quatuor jam conjunctæ essent naves. Hæc post densâ admodum oborta caligo alios
 aliorum oculis eripuit. Interim quassam navem reficit Liburnica. Octavo Septembris
 naves tres una cum lembo à prævia navi, quæ viam monstrare solet, aberraverunt. Poste-
 ro die Admiralium cum *Charitate* vela fecerunt, sperantes jam præcessisse reliquas duas li-
 burnicas, quas non ita diu post conspexere. *Cordes* & *Veertius* naupegos suos liburnicæ
 concessere, qui novam antennam fabricarent, sed factum hoc ipsorum incommodo, ne-
 que enim postea ijs visi sunt. Etenim postero diè qui 30. erat Septembris, flante Trascio-
 zephyro, mutato cursu versus Zephyronotum contendimus. Circa vesperam invalescen-
 te vento iterum liburnica vela omnia dejecit, feceruntque idem Vice-Admiralium, *Fides*
 & *Fidelitas* aliæque naves. Intempesta nocte vela fecerat liburnica nullo instituti cursus
 dato signo. Quare vicinæ sibi invicem mansere naves *Fides* & *Fidelitas*, sperantes futurum
 ut *Cordes* ad ipsos accederet, nec iter prosequeretur. Interea magis magisque sæviit tem-
 pestas, & postquam jam illuxisset nullam circumcirca navem, vela nulla conspexere. Qua-
 re Capitaneus *Veertius* deductis nonnihil & sufflaminatis velis ad Capitaneum *Cordes*
 contendit, ea cum ipso decreturus, quæ ad navigationis securitatem facerent, & specia-
 tim, ne quisquam nisi dato signo vela faceret, eaque vel expanderet vel deduceret. Hi er-
 go flante Austro 17. Septembris ad grad. usque 54. ad Australem freti partem prolapsi
 sunt. Eopse die obiit Nauclerus *Veertij*, qui una cum *Corde* iter suum prosequutus est.

Totos

Totòs 24. dies continuis tempestatibus ac procellis non sine naufragij metu maris ac fluctuum atbitrio jactati fuere, & dissolutis navium compagibus magnam aquarum copiam hauserunt. Interdum à se invicem divulsi, mox iterum conjungebantur. 25. Septembris nova ex Aquilone incubuit tempesta, quare contractis velis flante Zephyro in Thrafciozephyrum cursum direxerunt. Media nocte ad Septentrionale freti latus delati sunt, in ipsum littus, quod præ noctis tenebris observare non poterant protrusi, à quo se 20. miliaribus abesse conjectabant. Quare non leviter periculi præsentis metu percussi sunt, cum ad eam terræ oram se prolapsos viderent, in quâ fluctus incumbunt. Erat tempesta tam vehemens, ut thoracia deduci necesse esset. Mox tribus miliaribus se à Freto abesse observarunt, cumque à littore illos solvere non permetteret Zephyri vis, decretum ut in fretum se reciperent, ibidemque commodam navibus stationem quærent, & classi se jungerent, quæ ad bimestre in insula *S. Mariæ* moratura erat. Itaque secundo acti vento fretum petierunt, lecto continentis littore, & circa vesperam ad Australem freti angulum pervenerunt. Postea fretum occupaverunt, & maris æstu ad sex aut septem miliaria in penitiores freti partes propulsi sunt, atque hic tutam in sinu quodam stationem nacti aliquamdiu substiterunt, venti & aëris ad repetendum mare oportunitatem captantes. Temperato hic fruebantur aëre, quanquam ad finem usque Septembris flaret Zephyrus. Calendis Octobris tam vehemens exorta fuit tempesta, ut tribus anchoris firmari naves necessum esset, sed sedata mox ventorum violentia, spes eos tenebat mitioris cæli, ob adventantem æstatem. Verum fefellit miseros opinio hæc, nam toto bimestri inducias nullas dabat Æolus, & madidis tum pluvia, tum fluctuum aspersione velis navigatum fuit. Decimo quinto sæviabat rursus Thrafciozephyrus, ac è montium jugis ac præcipitijs delapsi venti perpetuas dabant tempestates, ut vix officium facerent funes anchorarij. In summa novem hic hæserunt menses, nihil promoventes, sed majorem indies aëris clementiam expectantes. Octavo Decembris gravissima & a quâ ferè mergebantur procella naves obruit, sublatis ad rostra usque maris fluctibus. Cum ad breve tempus flaret Apeliotes & Mezes vela fecerunt, verum diversis locis & *Veertius* & *Cordesius* in anchoris steterunt, ventis jam adversantibus. Undecimo Decembris à se invicem divulsi sunt. *Veertius* ulterius procellarum impetu in fretum propulsus fuit, donec Olivario obvius esset factus Decembris die 16. Uigesimo iter prosecuti flante Euronoto, non ita diu post *Japyga* experti sunt. Navis *Weertij* sordibus maris obducta, segniter navigabat, nec *Olivarium* assequi poterat, minus idonea ad obliquandos sinus. Quæ res necessitatem *Olivario* imposuit *Weertium* missum faciendi. Idem *Weertius* varia incommoda in eodem freto passus fuit, cumque jam nec *Cordesium* inveniret, nec classem suprascriptam, fretum relinquere & domum repetere coactus fuit. Freto exibat 21. Februarij. At Martij 24. ad littora *Novæ Guinæ* pervenit, & circa medium Junij in portum *Goereanum*, postquam jam domo abfuisset 25. menses.

Cordesius vectus navi, cui *Fidelitas* nomen erat, in mare Australe delatus fuit, & in *Chili* appulit, non reperto itineris socio *Weertio*. hic de comœatu sibi prospexit, & urbeculam arcemque Hispanorum expugnavit, & *Chilenses* mancipatos libertate donavit, quo beneficio tantam apud eos invenit gratiam, ut Regis illi titulum decernerent indigenæ. Hinc juxta *Peruvie* oram navigans & socios quærens plurimas naves cepit, & tandem in *Moluccas Tidoram* venit, quo loci erepta illi à *Lusitanis* fuit navis, & *Nauclerus* cui nomen erat *Antonio Nigro Malaccam* captivus abductus.

Liburnica quæ *Theodorum Gerardi* vehebat, tempestatum vi versus Austrum propulsa fuit ad gradus usque 64. in qua altitudine posita ad Australem plagam solum monto sum

D E S C R I P T I O N A V I G A T I O N I S

& nivibus opertum eminus conspexit, qualis *Norvegiae* esse solet facies. Versus insulas *Salomonis* exporrigi videbatur. Hinc *Chilam* petijt, & ab insula *S. Mariae*, quo loci socios se reperturum putabat, aberrans, in portum *S. Iacobi de val Parayso* se recepit, & cum humanitatis ac benevolentiae officia omnia negarent indigenae, itinere longo confectis vectoribus, & commeatus indiga, in hostium manus se dedit.

Non dubium quoque quin Vice-Admiralius, quem *Charitas* vehebat, & cui Naucleus *Jacobus Quack* praererat, à reliquis duabus *Fide* nempe & *Fidelitate* abreptus, in Austrum protrusus fuerit. Postea in *Chilam* appulit, & in Insula *S. Mariae* socios praestolatus fuit. Mox ad cuspidem *Lanapie* pervenit, ubi viginti tribus suorum, quos Indi trucidaverant, desideratis *Japonam* petijt.

Admiralius, quem navis *Spes* vehebat, iisdem quibus aliae tempestatibus jactatus per fretum in mare Australe venit, & juxta *Peruviae* oram *Chilen* attigit ad altitudinem grad. 46. Ubi ad 28. dies reliquas naves expectavit, interim refectioi suorum studens, & de commeatu sibi prospiciens. Hinc solvens ad ostia *Baluviae* pervenit, quibus praeteritis *Mocham* petijt, quo loci *Charitatem* invenit, cum qua ad Insulam *S. Mariae* contendit, prope quam in Continente viginti tres è socijs ab Indis interfecti sunt. Quare ab insula *S. Mariae in Iapan* cursum direxerunt, ubi Admiralius, & Vice-Admiralius mox quoque appulerunt.

De Navigatione Olivarij de Noort, qui quatuor navium classe Anno 1598. è Belgio solvit.

Solvit *Olivarius de Noort* è portu aut navium statione, quam *Goereanam* vocant, decimo tertio Septembris. Nono Octobris ad Septentrionalem promontorij *de Blanco* partem in littus ferè, non sine naufragij periculo, impegit. Decimo octavo in altitudine 11. grad. cum esset flabat in proram Zephyronotus. Tertio Novembris Austrum nactus est, & ab undecimo Octobris aut Austro aut Zephyro flante navigatum fuit, donec *Guineam* attingeret in altitudine trium grad. & quatuor minutorum. Undecimo Decembris sub insulam *de Principe* stetit classis.

Anno 1599. Calendis Ianuarij *Annabon* se in conspectum dabat, & in eodem die in *Rio Janero* directus cursus. Duodecimo hujus mensis multos è socijs adversa valetudo afflixit. Tertio Februarij visa *Brasilia* in altitud. 20. grad. Nono in fluvium *Ianero* se recepit, quo loci cum de novo sibi commeatu prospicere vellet, vi ab indigenis telluris aditu prohibitus est. Decimo sexto ad insulas duas incognitas delatus, magnam palmitum & concharum copiam offendit. Vigesimo secundo ad insulam *S. Sebastiani* appulit, ubi refectis corporibus in insulam *S. Helene* contendit, à qua tamen aberravit. Trigesimo iterum conspecta fuit *Brasilia*, in altitud. 20. grad. Secundo Junij insulam *S. Clare* vidit, in quam necessario exscendendum fuit, ut palmitum succo & prunorum acidorù esu ægros refocillaret. Hic loci navem *Concordiam* flammis absumsit. Trigesimo iterum in *S. Sebastiani insulam* reversus est. Vigesimo Septembris in *Porto Desire* pervenit, ubi magnam avium *Pinguinorum*. vitulorum marinorum, & ovorum sibi comparavit copiam: Redditaque jam ægrotis fuit sua valetudo. Trigesimo Octobris in altum vectus, quarto Novembris promontorium *de Virgines* attigit, ibidemque mare ad altitudinem orguiarum septem accrescere & decrescere observavit. Quinto Novembris fretum classis occupavit, post quatuordecim mensium jactationem, centum è classe desideratis. Vigesimo quarto ulterius in freto provec̃ta erat, postquã adversis ventis jam quater ab

ab ostio repulsa esset. Hic *Sebaltium de Weert* offenderunt, qui ad viginti miliaria fretum conscenderat, & ventorum impetu remeare cogebatur. Mirabatur hic *Weertius*, tam bene habito corpore esse navales socios *Olivarij*, cum sui confectis inedia corporibus vix spiritum traherent. Circa vesperam vela fecerunt, sed cum tardius procederet *Weertius*, promontorium *Mauritij* superare non potuit. *Olivarius* iter promovens varia æstuum, fluxus & refluxus marini discrimina expertus est. Vigesimo nono Februarij fretum emensus in mare *Pacificum* delatus est, postquam quatuor in transeundo freto menses consumsisset. Prope promontorium *Desirado* magnam exiguarum insularum frequentiam repperit, quæ iuxta littora *Chiles* extendebantur. Duodecimo Martij in altitudine 46. graduum positus cum esset subductus ex oculis sui tempestatum vehementia Vice-Admiralius. Vigesimo primo *Mocham* appulit. Decimo quinto Septembris in freto *Manilia* stetit, post septimum, quo fretum *Magellanicum* superavit, mensem. Anno 1601. 1601. nono Februarij è freto *Balaboam* solvit. Vigesimo quinto Aprilis conspecta fuere *Capitis Bonæ Spei* littora. Vigesimo quinto Augusti in *Mosæ* ostio stetit, & spatio triennij, duodecim minus diebus Orbem circumnavigavit.

F *Ranciscus Dracius* sexto Septembris, è *Freto Magellanico* in mare Australe delatus fuit. Septimo verò ejusdem mensis cum unius gradus longitudine à freti ostio abesset, tempestatum vi ad ducentas leucas Austrum versus propulsus fuit, & ad altitud. 55. & amplius grad. in portum insulæ cujusdam se recepit. Hinc flante Austro rectâ Septentrionem versus contendit ad gradus usque quinquaginta quinque cum dimidio, & in insulis quibusdam recentem offendit aquam, & herbarum varia genera. Ulterius progressus in Sinum delatus est, ubi viros fœminasque nudas in *Canois* conspexit, cum quibus merces pro comineatu commutavit. Hoc quoque observavit, hic loci Solem octo à Tropico Capicorni gradibus positum non nisi duas horas nocti concedere. Unde concludebat Sole in Capricorno posito nullam hic esse noctem. In eadem cum *Freto Magellanico* positus altitudine cursum rectâ in Septentrionem direxit, & 29. Novembris *Mocham* attigit. Toto verò illo, quo à parte Australi ad latus ejus Septentrionale contendit, tempore, nullam tellurem, littora nulla conspexit.

NOTA.

FINIS.

CATA-

CATALOGVS

Vocabulorum aliquot, quibus ute- bantur indigenæ Insularum

SALOMONIS.

| V | Num. | | <i>Voces indigenarum Insula Cocos.</i> |
|---|-------------------------------|------------------------------|--|
| | Duo. | <i>Tacij, vel Taci.</i> | Sol. |
| | Tria. | <i>Loua, vel loa.</i> | Luna. |
| | Quatuor. | <i>Tolou.</i> | Stella. |
| | Quinque. | <i>Fa: D'fa.</i> | Oculi. |
| | Sex. | <i>Lima.</i> | Aures. |
| | Decem. | <i>Houvv.</i> | Lingua. |
| | Accede ad navem. | <i>Ougefoula.</i> | Labia. |
| | Discede. | <i>Nutifoy,</i> | Genæ. |
| | Pugnare. | <i>Fanou.</i> | Guttur. |
| | Mulier. | <i>Bac'ela.</i> | Uber. |
| | Porcus. | <i>Herri.</i> | Cor. |
| | Gallina. | <i>VVacka.</i> | Os. |
| | Ventus. | <i>Omo.</i> | Nasus. |
| | Piscis. | <i>Augin.</i> | Barba. |
| | Arundo piscatoria. | <i>Ica.</i> | Dentes. |
| | Nuces Cocos. | <i>Eca.</i> | Capilli. |
| | Banannas. | <i>Alieuvv.</i> | Ossa. |
| | Radices Obos. | <i>VVafoudgy.</i> | Pedes, & manus |
| | Cedò mihi Obos | <i>Oufij, Oubi.</i> | Ungues. |
| | meas. | <i>Toma may oufi.</i> | Venter. |
| | Ægrotus. | <i>Mataij.</i> | Dorsum. |
| | Cocos recentes. | <i>D'mauta</i> | Humeri. |
| | Corallia. | <i>Lickasoa, ou acachoa.</i> | Nares. |
| | Clavus. | <i>Hakoubea.</i> | Iuvenis, puer. |
| | Ferrum. | <i>Hequij.</i> | Filia. |
| | Hamus. | <i>Matau.</i> | Fœmina. |
| | Princeps. | <i>Latou.</i> | Dormire. |
| | In terram exscende. | <i>Ajouta, ou ajouda.</i> | Saltare ad numeros. |
| | Optimum ferrum. | <i>Moaij.</i> | Domus, tuguriolum. |
| | Ita. | <i>Da of ijto.</i> | Lapis. |
| | Abi. | <i>Alick-vvi.</i> | Arbor. |
| | <i>Acoua, radicis nomen</i> | <i>Acoua.</i> | Lignum. |
| | <i>est, arundini similis,</i> | | Ferrum. |
| | <i>& corticem haben-</i> | | Corallia. |
| | <i>tis variegatum.</i> | | |
| | | | <i>La.</i> |
| | | | <i>Massina.</i> |
| | | | <i>Fittou.</i> |
| | | | <i>Matta.</i> |
| | | | <i>Talinga.</i> |
| | | | <i>Alello.</i> |
| | | | <i>Lamoton.</i> |
| | | | <i>Calafou.</i> |
| | | | <i>Oua.</i> |
| | | | <i>Chou.</i> |
| | | | <i>Fatta.</i> |
| | | | <i>Coloij.</i> |
| | | | <i>Esou.</i> |
| | | | <i>Talaffa.</i> |
| | | | <i>Nyfo of lyfo.</i> |
| | | | <i>Ouroucq; , ourou.</i> |
| | | | <i>VVaaij.</i> |
| | | | <i>Fatinga lima.</i> |
| | | | <i>Maij nina.</i> |
| | | | <i>Tinay.</i> |
| | | | <i>Toua.</i> |
| | | | <i>Touauma.</i> |
| | | | <i>Mouri.</i> |
| | | | <i>Tama.</i> |
| | | | <i>Toubou.</i> |
| | | | <i>Farri.</i> |
| | | | <i>Mooij.</i> |
| | | | <i>Pipi.</i> |
| | | | <i>Fare.</i> |
| | | | <i>Fattou.</i> |
| | | | <i>Talie, of taliei.</i> |
| | | | <i>Lachai.</i> |
| | | | <i>Hackoumea.</i> |
| | | | <i>Casoa.</i> |

Navis.

| | |
|----------------------|-------------------------|
| Navisi | VVacha. |
| Sus. | Pouacca. |
| Gallus. | Moa. |
| Aqua. | VVaij. |
| Gallina. | Oufa. |
| Pluvia. | Oua. |
| Securis.Malleus. | Tocki gelsij. |
| Terra. | Kille. |
| Æs | Tattq. |
| Sedes. | Noffoa. |
| Patella. | Chienga. |
| Ebur. | Tatta. |
| Auster. | Massele. |
| Cultro lædetc. | Tuamo. |
| Vestis. | Casou. |
| Storea. | D'fau. |
| Oleum Cocos. | D'lolo. |
| Mons. | Maoucha. |
| Abnavigare. | Foulau. |
| Comede. | Tacki, nacki. |
| Attolle. | Foudij. |
| Banannas. | Fouti. |
| Obes radices. | Oufi. |
| Aqua. | VVaij. |
| Oleum. | Lolo. |
| Cafeus. | Poulaca. |
| Forfex. | Epouri. |
| Annulus digitalis. | Mamma. |
| Tympanum. | Nassa. |
| Bombarda. | Leaij tismoghel neluij. |
| | VVaijfogi. |
| Culter. | Fassi. |
| Speculum urens. | Lessi iloa. |
| Folia Cocorum. | Aes Cifaro. |
| Aqua Cocorum. | VVacki. |
| Saccharum. | Lolo. |
| Cortices Cocorum. | Pourou. |
| Fructus quidam. | Falafola. |
| Cochlea margariti- | Tiffa, of Tessa. |
| Tintinabulum. (fera. | Taula. |
| Cinnamomum. | Kaij. |
| Funiculus. | VVaffauvv. |
| Ignis. | Oumou. |
| Unum. | Taci. |
| Duo. | Loua. |
| Tria. | Tolon. |

| | |
|----------|------------|
| Quatuor. | Fa. |
| Quinque. | Lima. |
| Sex. | Houno. |
| Septem. | Fitou. |
| Octo. | VValou. |
| Novem. | Tvvou. |
| Decem. | Ongefoula. |

Ultra denarium numerum non ascendebant, nos ad centum numerare eos docuimus, hac formâ:

| | |
|--|---------------------|
| Undecim. | Ongefoula taci. |
| Duodecim. | Ongefoula loua. |
| Hoc, aut hic. | Equi. |
| Iuvenis. | Manta. |
| Videam. | Matta may. |
| Nihil est. | Neay, vel Eay. |
| Non. | Eai. |
| Ita. | Tio, vel Tiouvv. |
| Columba. | Loupe. |
| Nihil superest. | Eeuvv. |
| Cantus. | Adoua. |
| Hac voce adventum gratulabantur. | Lolle. |
| Cutis incisæ variegatio. | Tetau. |
| Gesticulationes trepudiantium. | Mon. |
| Animal cornigerum. | Niso. |
| Saccharum. | Lolo. |
| Obos minores. | Talo. |
| Vestis chartaceæ pibos cornutus. (ctc. | Keasiva. |
| Radicis, quam mandere solent, & è cuius succo potum conficiunt, nomen: | VVagga, vvagga bon. |
| Navis. | Acava: Atova, Cava. |
| Nomina obsidum. | VVacha. |
| Funis, quo vestes constringere ac succingere solent. | Tamay, Fosa. |
| Armillæ. | Cassa. |
| Digitus. | Tauvva pou. |
| Fructus cuiusdâ succulenti | Fatinga. |
| | Lolou. |

| | |
|-----------------|------------------|
| culenti nomen. | |
| Panis noster. | Masi. |
| Hepar. | Adde. |
| Hepar porcinum. | Adde puacca. |
| Rex. | Ariki. |
| Præfectus. | Larou, of latau. |

Vocabula quibus uti solent incolæ
Novæ Guineæ.

| | |
|------------------------------|------------------|
| Rex. | Latiouou. |
| Nuces Cocos. | Lamas. |
| Gallina. | Coocq. |
| Porcus. | Tembor. |
| Bannanas. | Tachouner. |
| Ova gallinacea. | Pasima Coo. |
| Aqua. | Dan vel Daan. |
| Piscis. | Hissou. |
| Carabi. | Corre cor. |
| Folia Syri. | Nomboug Po. |
| Pinanche navigij ge- nus. | Bou. |
| Calx. | Camban. |
| Oleum. | Poom. |
| Coralla. | Poutai. |
| Ferrum. | Herees. |
| Culter. | Coot. Bouo. |
| Caput. | Ea. |
| Nasus. | Nisson. |
| Aures. | Talingan. |
| Dentes. | Ysang. |
| Sinciput. | Possou Arongh. |
| Crinis. | Nihouze. |
| Manus. | Limangh. |
| Pedes. | Kekeijn. |
| Ubera. | Sou sou. |
| Brachia. | Pong liman. |
| Lingua. | Hermangh. |
| Labia. | Tabaing vouling. |
| Humeri. | Haliyug. |
| Venter. | Balang. |
| Dorsum. | Babeing. |
| Digitus. | Cateling liman. |
| Nates. | Poutong. |

| | |
|-------------------------------|----------------------------------|
| Dormire. | Heim. |
| Barba. | Incam besser. |
| Edere. | Nam Nam |
| Bibere. | Anda. |
| Genæ. | Paring. |
| Guttur. | Con Con Hangh. |
| Arundo. | Daan. |
| Sedes. | Sou. |
| Lapides. | Coore. |
| Ignis. | Eef. |
| Terra, ad terram. | Behoul. |
| Hamus. | Ioaul. |
| Cochlea margariti- Sol. | Corron Tamborin, (fera. Naas. |
| Luna. | Calangh. |
| Stellæ. | Maemetia. |
| Clava lignea. | Hereris. |
| | Foun. |
| Annuli in nares im- missi. | laoull. |
| Ebur, elephanti dens. | Tembron bis. |
| Restes. | Calcoloun. |
| Mare. | Taas. |
| Gladij lignei. | Seel. |
| Terra Rufa. | Taar. |
| Arena. | Coon. |
| Pluvia. | Ous. |
| Funda. | Gimmio Halla. |
| Hasta lignea. | Mareet. |
| Missile telum. | Howvan. |
| Plumę sive alæ telorū | Tounfiet. |
| Sanguis humanus. | Daar aug. |
| Sanguis porcinus. | Daar de rembos. |
| Capitia. | Nandikea. |
| Canoa. | Takoup. |
| Remigare. | Gemoe Hainoes. |
| Montes. | Fasser. |
| Non est. | Capte andesingim neaij. |
| 1. Unum. | 1. Tika. |
| 2. Duo. | 2. Roa. |
| 3. Tria. | 3. Tola. |
| 4. Quatuor. | 4. Fatta. |
| 5. Quinque. | 5. Lima of liman. |
| 6. Sex. | 6. VVamma. |
| 7. Septem. | 7. Fita. |

Octo.

| | |
|------------------------------|-------------------------------|
| 8. Octo. | 8. <i>UVala.</i> |
| 9. Novem. | 9. <i>Sivva.</i> |
| 10. Decem. | 10. <i>Sangafoula.</i> |
| Fructus certi nomen. | <i>Loongh.</i> |
| Expectare. | <i>Attingam.</i> |
| Nomen captivi cu- jusdam. | <i>Tarhar lieuvv.</i> |
| Non, novi. | <i>Kim kabbeling lougtee.</i> |

Voces incolarum Insulae Moyses dicta.

| | |
|-----------------------|---------------------------|
| Ita. | <i>Llu.</i> |
| Lignum rude. | <i>Sagu.</i> |
| Panis. | <i>Pouhonnori.</i> |
| Humeri. | <i>Carracerreram.</i> |
| Ubera. | <i>Sou fou.</i> |
| Genua. | <i>Pou hanking.</i> |
| Oculi. | <i>Mattanga.</i> |
| Videam. | <i>Matta may.</i> |
| Guttur. | <i>Comieconnon.</i> |
| Lingua. | <i>Caramme.</i> |
| Barba. | <i>Parre uvourou.</i> |
| Nasus. | <i>UVanfrugo.</i> |
| Bananas. | <i>Hivvoundi, Taboun.</i> |
| Statim aderit. | <i>Kirrekir.</i> |
| Porcus. | <i>Cambour.</i> |
| Cocos. | <i>Lamas.</i> |
| Nos. | <i>Tata.</i> |
| Expecta, vel, statim. | <i>Alep.</i> |
| 1. Unum. | 1. <i>Kaou.</i> |
| 2. Duo. | 2. <i>Roa.</i> |
| 3. Tria. | 3. <i>Tolou.</i> |
| 4. Quatuor. | 4. <i>VVati.</i> |
| 5. Quinque. | 5. <i>Rima.</i> |
| 6. Sex. | 6. <i>Eno.</i> |
| 7. Septem. | 7. <i>LVijt fou.</i> |
| 8. Octo. | 8. <i>Ejalou.</i> |
| 9. Novem. | 9. <i>Sivva.</i> |

| | |
|------------|------------------------|
| 10. Decem. | 10. <i>Sangapoulo.</i> |
| Gallina. | <i>Mitoo.</i> |
| Clava. | <i>Micoura.</i> |
| Ferrum. | <i>Masirim.</i> |

*Vocabula indigenarum Insulae Moo,
sita in altitud. 2 grad.*

| | |
|-------------------------------------|------------------------|
| Cocos. | <i>Lieu.</i> |
| Bannanas. | <i>Tandani.</i> |
| Porcus. | <i>Paro.</i> |
| Aqua. | <i>Nanou.</i> |
| Zinziber. | <i>Raaij.</i> |
| Culter. | <i>Ani.</i> |
| Piscis. | <i>Koijma.</i> |
| Canis. | <i>Aroue.</i> |
| Coralla. | <i>Sassera.</i> |
| Pecten osseus. | <i>Marmauvv.</i> |
| Clavus. | <i>Bee.</i> |
| Panis. | <i>Sagu.</i> |
| Liba. | <i>Soome.</i> |
| Vestes foeminarum. | <i>Maije.</i> |
| Armilla. | <i>Sabre.</i> |
| Arcus. | <i>Partina.</i> |
| Tela. | <i>Bare.</i> |
| Dormire. | <i>Maune.</i> |
| Pisces jaculis petere. | <i>Tineanij.</i> |
| Dens porcinus. | <i>Sona.</i> |
| Quadrupes. | <i>Pari-vvou.</i> |
| Sol. | <i>Arduio.</i> |
| Quinque. | <i>UVeer-faut.</i> |
| Auis candida. | <i>Mavi:kacketoua.</i> |
| Radix flava, Curru- mae similis. | <i>Aou.</i> |
| Coralla alba. | <i>Sassera poute.</i> |
| Non, non, nihil nihil. | <i>Taop, Taop.</i> |
| Abi hinc. | <i>Hoiida.</i> |
| Nomen Insulae est. | <i>Arti.</i> |

F I N I S.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

B R E V I S

ac Succincta

A M E R I C Æ,

S I V E

Nocti Orbis omniumque, qua in eo sunt, regionum hæctenus exploratarum descriptio,

Excerpta è

TABVLIS GEOGRAPHICIS,

P. BERTII.

Tabula V. Americae occidentalis.

Tabula VI. Americae orientalis.

B R E V I S

ac Succincta

A M E R I C A E

S I V E

No-vi Orbis omniumque qua in eo sunt regionum haecenus exploratarum descriptio,

Excerpta è

T A B U L I S G E O G R A P H I C I S,

P. BERTII.



Vinam hanc orbis partem perpetua temporum serie incoluerint, planè incertum est: nos de hac re non nihil in medium protulimus, quum de terrarum orbe diceremus. Marinæus Siculus in Chronico suo Hispaniæ contendit, loca ista olim Romanis lustrata & cognita fuisse, ex eo quod nummus antiquus Augusti Cæsaris effigie insignitus alicubi in aurifodinis inventus sit, missusq; in rei fidem summo Pontifici, per *D. Iohannem Rufum* Archiepiscopum Consentinum: quod quidè non tam facilè refutari potest, quam speciose dicitur. Mirum est, nummum vnicum repertum esse, præterea vestigium nullum: mirum amplius, nummum illum in aurifodinis latuisse, nullum postea uspiam eductum. *Narrabo Varrerij* verbis historiam verissimam, ut prudens lector ex ea judicet, an non fucus aliquis subsit sub nummo Augusti. *Eodem anno, aut certè paullo post, quam inclytus Portugallia Rex Emanuel Indiam subegit, florebat Vlyssipone in Poetica laude Hermicus Cajadus, homo Lusitanus, Angeli Politiani quondam auditor & discipulus, cujus etiam est Epigrammatum libellus. Is Latinis carminibus commentus est Sibyllinam vaticinationem, in columnis marmoreis incisam, qua per ambages significabat, Indos sub imperium & ditionem Lusitanorum esse venturos. Eos lapides data opera detruncatos, ut aliqua inessent antiquitatis vestigia, obrui præcepit in extremitate promontorij Artabri, propè Syntram oppidum. Ubi vero defossa marmora vitium aliquod fecisse ex humore terreno iudicavit, ad certum diem invitavit amicos in villam suam, qua proxima erat loco, ubi obrutum erat vaticinium. Quum igitur accubuissent omnes, ecce villicus nunciat Hermico, mercenarias ejus operas dum in fundo fossionibus incumberent, incidisse in lapides, in quibus inscriptæ essent literæ indices magni cujusdam thesauri eodem loco defossi, sic enim rustici opinabantur. Nec mora omnes simul, alacritate ingenti, relictis epulis, accurrunt, defossas intuentur columnas, confestimque extrahi jubent. Legebantur postea Sibyllina carmina.*

Sibyllæ Vaticinium Occiduis decretum.

*Volventur saxa litteris, & ordine rectis,
Cum videas * Occidens Orientis opes,
Ganges, Indus, Tagus erit, mirabile visu,
Merces commutabit * suas uterque tibi.*

SOLI

SOLI ATERNO AC LVNÆ DECRETVM.

Tum vero omnes pro se quisque admirari, versus illos fatidicos manu tangere, exosculari. Quid multis? continuo Vlissiponem ad regem iam antea commenti illius conscium perferuntur, qui mirabundo similis, optimatibus ostendere. Illi describendum curare, in scrinijsque veluti sacrum deponere. Cum vero res percrebuisset, peregrini mercatores qui tum Vlissipone negotiabantur, continuo vaticinium in Galliam & Germaniam ad Viros principes mittunt. Illi statim ac diligenter cum prefatione cuiusdam Valentini Moravi, qui, ut sit, rem verbis extulerat, adjeceratq; nonnulla de suo, typis excudendū tradunt. Postea autem inter antiquas inscriptiones relatum est. Fidemq; & auctoritatē apud plerosq; lectores iuvenit. Quid facias hominib. ita stultè credulis, ut de exoticis narantibus non perpenſa rerum serie, stupide fidem semper adhibeant? Fortè aliquid istiusmodi fugitivo huic Augusti nummo accidit: quicquid verò est, mihi quidem nondum videtur verisimile. Sed redeo ad Americam. Antiquitus sanè cultam fuisse, neque paucis retrò seculis habitari cœptam, tum alia permulta testantur, tum potissimum Imperij certa & constans ratio, superba urbium & viarum structura, ædificiorum splendor: quæ omnia quum apud illos summa fuerint, necesse est primum parva fuisse: non potuerunt enim è minimis ad maxima provehi, nisi longa temporis mora. Hortus fertur fuisse regius, in quo herbæ arboresque cum suis truncis, ramis, fructibus, ex solido auro ea mole stabant, quæ vivæ in pomarijs. Fertur & conclave regium; in quo omne animantum genus ex gemmis erat, opere partim musivo & segmentato, partim cælato; partim etiam ex plumis variè conferto. Iam obedientiæ, liberalitatis, fidelitatis, ingenuitatis, amicitia, temperantiæ, fortitudinis adversus dolores, famem, mortem, aliaque multa apud ipsos tam multa, tamque certa exempla sunt, ut cum Sparta Græciam universam, cum Romanis Italos omnes ad Virtutum certamen possint provocare. Non potuerunt hæc omnia nisi ex legibus discere. Leges non potuerunt nisi longo tractu figi, formari, stabiliri. Sed & antiquitatem testatur id, quod de duabus vijs referunt, quarum altera per montium ardua, altera per planitiem camposque strata est, à Quito vrbe Peruana, ad civitatem Cusco, spatio quingentorum milliarium: cujus operis decus augent stupendæ lapidum & saxorum moles, non equis aut bubus, (nam illis caruerunt) sed humanis manibus adgestæ. Via campestris utrimque munita est muris, patetque in latitudinem pedes quinque & viginti: intra quos rivuli fluunt, consiti ad marginem arbusculis, quos ipsi *Molli* vocant. Altera verò è saxis & rupibus excisa per medios montes discurrit, pari latitudine; salebrosis insuper depressoque vallium locis, prout regionis natura postulabat, adgestis munitisque. Has vias *Guinacava* Rex (qui auorum nostrorum memoria vixit) perpurgari, parietes ruinosos restaurari atq; exornari fecit: opus ipsum alias multò est vetustius, neque unius viri ætatis. Fuerunt etiam per itinera disposita diversoria ampla, splendida, amœna, (ipsi *Tabos* nominant) quib. regius omnis comitatus recipiebatur. Ex quibus apparet, non posse novitios existimari hujus orbis incolas, quum vetustas locorum, hominum frequentia, gubernandi ratio, Urbium structura, mores civiū, nihil novi præ se ferant. Quid, quod in sacris quoq; clara istarū regionū mentio facta est? Enimverò Arias Montanus hæc loca à Sp. S. designari putat, quum classis ab Heziongaber Orientem versus navigasse dicitur, nam & mora navigantium, & mercium varietas & locorum aliquot insularumq; interjacentiū situs, soli Americæ conveniunt. Clare etiam ipsam Americam nominari contendit voce *Parvaim*, quæ quidē dictio quū sit dualis, duas regiones indicat; vnam, quæ hodieq; *Peru* dicitur: alteram quæ à nostris appellatur *Nova Hispania*. Primus eam quod quidē certo constet, detexit *Christophorus Columbus* Genuensis, acri

DESCRIPTION AMERICÆ

admodum & divino ingenio Vir, edoctus (vt creditur à quibusdam tam præclari facinoris gloriam arrodentib.) ab Hispano quodam nauta, cui nomen Buxolæ. Nautâ hunc ajunt tempestatibus jactatum, quum erraret cæli locorumque ignarus, forte in has terras actum esse, inde reducem ad Maderâ venisse, in insulam jurisdictionis Lusitanicæ, situs verò Africani; in qua insula recens inventa, tum temporis Columbus habitabat. Eum nautam à Columbo comiter hospitio exceptum, totam itineris jactationisq; rationem docuisse. Columbum accensum rei novitate, cum tribus liburnicis, auspicijs Castellæ Regis Ferdinandi & vxoris ejus *Isabella*, Anno 1492. Kal. Septembris iter illud suscepisse, insulasque *Hispaniolam, Cubam, & Jamaicam*, primùm adiisse. Memorabile est, quod quum in *Jamaica* Insula ob commeatus inopiam ad summum vitæ discrimen cum suis venisset, *Barbaris* hac ratione sperantibus Christianorum exercitum facile posse expugnari; singulari quodam stratagemate se suosque ab exitio liberaverit, usus opportunitate imminentis Lunæ Eclipseos, quam ille, vti erat Astronomicarum rerum peritissimus, brevi obscurandam sciebat. Ducibus enim Jamaicensibus nunciari extemplo iussit, ni sibi suisque necessaria omnia subministrarent; fore, vt plurimis gravissimisque malis prope diem adfligerentur: atque vt fidem dictis faceret, edixit, se proxima nocte effecturum vt Luna ipsis videntibus obscuraretur. Has Columbi minas homines Barbari initio contempsere, postea verò quum ad constitutum ab ipso tempus Lunam deficere paulatim conspexerunt, attoniti, & metu perculsi accurrere, provolutiq; ad Ducis genua commeatum largiter ministrare, & quæ vellet omnia se facturos vtrò promissere. Post Columbum *Americus Vesputius Florentinus* auspicijs Emanuelis regis *Portugallie* idem tentavit, & Anno M. cccc. xcvi. die xx. Maij solvens à Gadibus, oram illam omnem quæ est ultra Æquatorem sita, in qua sunt *Paria & Brasilia*, primus detexit, quæ ora omnis ab ipso America appellata est. Porrò, vniversus hic orbis à Septentrione ad Meridiem exporrectus est duarum magnarum peninsularum forma, quæ tenui isthmo connectuntur: earum altera dicitur America Septentrionalis, altera Meridionalis. *Longitudo* ejus extensa est inter Meridianum grad. 190. & Merid. grad. 67. *Latitudinis* terminus Austrum versus est fretum Magellanicum, id est grad 52. Septentrionem autem versus, à gradu 67. sursum pleraque adhuc sunt ignota. Habet igitur ab ortu solis mare Atlanticum, quod vulgo vocant *del Nort*. A Meridie terram Australem Magellanicam, freto interfluente disiunctam. Ab Occasu, mare pacificum, *del Zur*: è Septentrione, incertum, terras an maria. Tota circumvagatio est circiter xxxii, millium miliarium. Regio in uniuersum multiplex est ac varia: Frumento initio & vino caruit; ejus loco tulit *Mayz* leguminis genus: quibusdam etiam regionibus panem ex radicibus conficiunt. Sed neque boves ante habuit, neque mulos, neque asinos, neque oves, capras, canes. Proinde mirandum non est, si indigenæ ad primum equi conspectum perculsi fuerint. Mures gliresque ex Antverpiana nave, quæ per Fretum Magellanicum vltcrius navigabat, primam illic originem habuere: ex eo in tantum, sive soli, sive animantium ipsorum fœcunditate creverunt, vt sæpè spem messis autumnique in herbis & arboribus arroserint. Archiepiscopi sedes est in Limensi vrbe, quæ & urbs Regia dicitur, atque totius tractus Peruani metropolis, condita Anno c10 Io xxxv à *Francisco Pizarro*: in eo jus dicit Prorex & vniversæ provinciæ senatus: Archiepiscopus suffraganeos habet quindecim, Cusionensem, Quitonensem, Guamantiacensem, Arequipensem, Pafensem, Platensem, Trugillensem, Guanagiensem, Calapiensem, Portus veteris, Guaichiesne, Popianensem, Carchiniensem, Santi Michaelis & Santi Francisci. Incolæ cursu ac natatione valent, quibusdam locis homines vorant, cacodæmonem adorant

adorant, quidam etiam Solem & Lunam. Lingua omnibus non una. Aurum, argentum, gemmas, nihili faciunt: horum loco conquirunt æstimantque plumas avium, in iisque divitias collocant.

Descriptio Terræ Novæ.

Septentrionalis Americæ pars ultra *Novam Hispaniam* in varias regiones dividitur. Ab *Apalchen* usque ad promontorium *Helena* extenditur, diciturque alijs *Virginia*. *Norumbega* peninsulæ instar ad mare *del Nort* porrigitur, habetque nomen ab oppido. Cælum ejus regionis temperatum, ager fertilis. Mare ob *Syrtes* & vada periculosum. Gentes aliter atque aliter nominantur ab *Hispanis* & *Italis*. Vicina huic est *Terra* quam vocant *de Bacalos*, à *Johanne Caboto* & filio ejus *Sebastiano Caboto* *Venetis* inventa Anno 1249. die vigesima quarta, hora quinta sub diluculo, & sic appellata, quod in eo pelago tanta inveniatur horum piscium copia, ut etiam navigia retardent. Sed non fuerit alienum, hoc ipso loco inferere inscriptionem quæ *Oxonæ* spectatur, concinnatam ab hoc ipso *Sebastiano Caboto*, rerum nauticarum ut videtur peritissimo, qui etiam plerasque orbis ignoti oras felicissimè ibi depinxit: pertinet enim ad $\chi\alpha\lambda\upsilon\sigma\delta\epsilon\iota\sigma\mu\lambda\omega$, continetque non ineruditam tractationem de acus nauticæ declinatione, Sic ergo ibi legitur: *Sebastianus Cabotus Dux & Archigubernius sacrae Casarea Catholicae Majestatis, divi Caroli Imperatoris, huius nominis quinti, & Regis Hispania, summam mihi manum imposuit, & ad formam hanc protrahens, plana figura me delineavit, anno ab orbe redempto Nativitate Domini nostri Iesu Christi 1549, qui me juxta graduum latitudinem ac longitudinem, ventorum situm, doctè & fideliter, navigatoriæ chartæ instar, descripsit, Geographi Ptolemæi auctoritatem, peritiorumque Lusitanorum fidem secutus, nec non ex usu atque industria longæ navigationis, integerrimi viri Iohannis Caboti, natione Veneti, atque Sebastiani, astrorum peritia, navigandi quæ arte omnium doctissimi eius filij, auctorisque mei, qui aliquotam orbis partem diu nostratibus clausam aperuerunt. Quapropter me fida doctissimaque magistra, ceu hydrographica charta utens, quocumque est animus, mare metiri poteris, acus nauticæ variationem observans, qua ad Arctum vertitur, cuius rei argumentum est; Si ex sacro promontorio solveris, Celticum promontorium petiturus, navim licet protinus ad Arctum dirigere jubeas, quo cursu recto Finis terræ promontorio, iter tamen quod verè navis tua peregerat, non recta ad Arctum, sed Arctum versus ad quartam Cæciæ fuit. Navigatoria siquidem acus, etsi recta linea è sacro promontorio ad oram finis terræ cursum demonstrat ad Arctum, nihilominus tamen quarta parte ab Arcto ad Cæciam distat. Quapropter quum navim acu nautica ad Arctum regere iusseris, erit navigatio tua per quartam Septentrionis, Cæciam versus. Eandemve navigationis considerationem observabis, cum è *Salmedina* brevi scopuloque mari in exitu portus *S. Luca* ad *Naga* oram *Teneriffæ* insulæ navigare decreveris, tunc enim si ad *Liben* seu *Africum* navim regere studeas, hydrographicæ chartæ observatione: rectus tamen itineris cursus nauticæ acus probabiliore fide per *Africum* quarta & eo amplius *Austrum* versus procul dubio erit. *Salmedinæ* nempe ad *Nagam* navigatio quarta longè minus quam hydrographica charta indicat, nautica acus demonstrat. Vnde pro comperto habebis, cum è sacro promontorio jam solveris, Septentriones petiturus, quod iter tuum erit per quartam Arcti Cæciam versus. Eodem modo si è *Salmedina* ad *Nagam* *Teneriffæ* insulæ ad *Africum*, navis tuæ cursus erit per quartam *Austri*. Eadem ratione sigillatim uti poteris, in qua vis huius descriptionis parte, acus magnete fricatæ variationem observans, quam cum Arcti sidere variè operatur, quippe quæ non assiduè, neque ex omnibus locis Septentrionem spectat, (ut plebs indocta censet) cum *Magnes lapis* ille (ut patet) nullam habeat vim dirigendi navigatoriam acum, ex omni parte ad*

DESCRIPITIO TERRÆ NOVÆ.

Arctum. Quin potius (ut experientia constat) chalybem volubilem immotum reddere rectâ lineâ, non autem circulari, ad quem vis ventorum Arcto proximum, & hac de causa acus nautica usque variatur. Nam si ead: m assidue & ex omnibus locis verteretur ad Arctum, nulla fieret eius variatio, utpote que per circulare lineam semper viam demonstraret. Ex qua sequeretur, eundem equidistantem seu parallelum frequentare, quod nullo modo continget recta linea circulare formam adveni. Porro unum hoc adnotabis, candide Lector, quo magis ad solis ortum vel occasum à linea Meridionali secedes: ubi acus nautica depictum lilium directè Arctum ostendit: eò magis ab Arcto te distare pro comperto habebis. Vnde satis liquet, acum nauticam recta linea, non autem circulari, viam demonstrare. Adnotandum igitur est, quod linea meridionalis qua acus nautica lilium Septentriones ostendit, distet à Florum insula 30. parasangis. quæ quidem ultima Accipitrum insula est Occidentem versus, iuxta peritissimorum omnium navium gubernatorum consensum opinionemque: nec non ex eorum solerti experientia; quam diutina assiduaque navigatione suo jure profitentur, siquidem Atlanticum mare & Indicum indies remetiri assueverunt. Adhæc Sebastianus Cabotus, meus autor, Occidentalem Oceanum adnavigans, ad æquor quoddam devenit, & plagam, ubi quarta parte Septentrionum iuxta Cæciam ventum acus navigatorie lilium illi rectissimè Arctum ostenderet. Quibus de causis, & rationibus, & tutissima navigandi experientia apertissimè constat, defæctus & variationes acus nauticæ crebrò fieri cum Arcti observatione.

Nova Francia succedit, quæ juxta ripas fluvij Canade vel S. Laurentij extenditur, quam Galli primùm sub Francisco primo Rege Galliæ detexerunt. Et hujus quidem loca principalia sunt *Canada*, *Hochelai*, *Hochgelaga*, quæ ex lignis constat. Est autem ipsa Regio inops valde; quo fit ut ad eam pauciores contendant. Profert tamen segetes & legumina: Incolæ idololatræ sunt, & aliquibus in locis anthropophagi. *Terra Corterialis*, quæ & *Terra Laboratoris* vocatur, inter fluvium *Canadam* & *Estotilandiam* peninsulæ formæ jacet: & hic fluvius alijs fretum trium Fratrum vocatur, estque ad eò ingens, ut ejus ostium triginta miliaribus Italicis pateat: longitudinem habet immensam, nam ferunt navigatum fuisse 80. miliaribus Italicis. Incolæ frequentes sunt hic, proceri, & bene dispositi, qui animalium pellibus teguntur: monilia ex argento & ære gestant, ac piscibus ut plurimum victitant. Horum præcipuæ civitates sunt *Santa Maria*, *Cabo*, *Marzo*, & *Prest*. *Estotilandia* provincia est cæteris Septentrionalior & Orientalior, respiciens *Frislandiam* insulam plagæ Septentrionalis. Et hæc quidem prima omnium hujus Novi Orbis detecta fuit Anno 1390. ab *Antonio Zeno* patritio Veneto, sub auspicijs *Zichmi* Regis insulæ *Frislandiæ*. Ejus fines à Septentrione incogniti adhuc manent, sed à Meridie ad terram *Laboratoris* terminatur juxta fluvium qui vulgò *Rio Nevada* dicitur, & ab Ortu *Mare del Nort* habet. Est verò hæc terræ pars satis culta, & omnium penè rerum ad humanum usum fertilis, ac metallis etiam dives, præsertim auro. Frigoribus autem planè subjecta est, habetque flumina præcipua quatuor, universam Provinciam irrigantia, quæ ortum ducunt è celsissimo monte in regionis meditullio jacente. Incolæ ingeniosi sunt, & artium penè omnium mechanicarum peritissimi: horum vestitus est ex ferarum pellibus, ac vitulorum marinorum, ex quibus etiam cymbas conficiunt,

Descriptio Terceræ.

Profecturis ex Hispania, Anglia, vel Gallia, in Indiam Orientalem aut Occidentalem, præternavigandæ sunt Insulæ quædam, quas *Flandricas* vocant vel *Afores*, suntque numero septem: *Tercera*, *S. Michaelis*, *S. Maria*, *S. Georgij*, *Gratiosa*, *Pico*, & *Feyai*: quibus duas quidam adnumerant *Flores* & *Corvo*, quæ tamen non sunt *Afores* ab Acci-

Accipitrum multitudine, qui primùm has insulas intransibus apparebant, nunc nulli sunt. *Flandrice*, quod à Flandris inventæ cultæque. Certè in insula *Fayal* etiam nunc familiæ quædam Flandrorum sunt, & torrentis nomen vetus *Ribera dos Flamengos*. Præcipua omnium & quasi caput est *Tercera*, quam Hispani vulgò nominant *Isola de Iesus Christus de Tercera*, altitudine graduum 39. miliaria 15. aut 16. complectitur, altissimo & montoso solo: rupibus cingitur, naturali munimento, quæ sicubi deficient, propugnacula ab arte earum vicem supplent. Portum sinumve defendendis navibus idoneum nullum habet. Itaque naves Hispanicæ aut Lusitanicæ rarò illuc adpellunt, sed scaphas tantum suas emittunt, si qua re opus habent, ipsæ interea cursum obliquant. Tanta autem est ventorum circa hanc Insulam impotentia, ut saxa, ferrum, & quicquid ventis expositum est arrodatur atque atteratur. Narrat *Iohannes a Linschoten*, vidisse se clathros ferreos in telonio Regio positos crassitie lacerti, intra sexennium attritos ad tenuitatem straminis, lapides verò planè adesos, ut nihil superesset. Urbes duæ sunt *Angra* & *Villa de Praya*. *Angra* ab ore aperto, vel bicorni luna nomen traxit Lusitanicum, est enim mare circa urbem lunari flexu patens. Austrum versus duo montes in mare procurrunt, quos vocant *Bresyl*, sunt autem altissimi, patetque ex ijs prospectus ad 15. miliaria. In alterius vertice duæ columnæ sunt, è quibus speculatores insulani signum dant navium adventantium; quæ si plures numero fuerint quam quinque, majus vexillum erigitur, data etiam buccina signo. Tales speculæ per reliquas insulæ oras certis intervallis sunt dispositæ. Priusquam sinum intrent naves, necesse est alterutra parte arcem præternavigent. Est etiam in hac urbe sedes Episcopi. *Villa de Praya* ab *Angra* distat trium milliar, intervallo: raræ eò naves, & non nisi tempestatibus actæ veniunt, caret enim portu: colitur igitur ab agricolis: nam merces exoticæ *Angram* deferuntur. Reliqua insula frumento abundat & vino tenuiore, quod proinde neque exportatur, neque lautioribus in usu est, præferentibus Canariæ & Maderæ vina. Piscibus, carnibus, alijsque ad insulanorum necessitatem satis affluit. Oleum advehitur, itemque sal & suppellex testacea, nam his insulani carent. Mirus proventus est persicorum varij generis, itemque pirorum, malorum, limonum. Glasti verò, quod pastellum vocant, tanta est copia, ut hinc ab Anglis, Scotis, Gallis, Belgis, petatur ad tincturas. In rupibus vineta sunt, in vallibus & planitie glasti, & frumenti segetes. Frumentum ipsum arte & cura singulari adservatur ne vitium contrahat; facile enim aut mucositas aut putrescit. Singulis civibus in platea ante ædes puteus effusus est rotundus, cui operculum impositum cum nota heri. In hosce puteos condunt singuli annonam statim post messem, mense Julio; clauduntque locum terra & operculo ad eam rem destinato. Circà natalem Domini educunt quod deposuerant intactum atque integrum, eoque postea utuntur sine vitij metu. Ex bubus maximum insulani lucrum. Hi cornuum prolixitate & pulchritudine omnes Europæ boves longè excedunt. Videas camuris cum cornibus maxima armenta, quæ nominibus distincta si ab hero vocentur, accedent. Fontes passim calidi, vnus etiam in quo ligna lapidescunt: adeò ut juxta fontem arboris ejusdem radices, quæ fontem tangunt sint lapideæ, averisæ suam servant naturam. Est etiam frequens vbiq; cedrus, adeò ut & carros & naves ex eo struant, & focum alant. Est & ligni quoddam genus quod vocant *Sanguinho* à colore; hoc utuntur ad capsulas, aliaque instrumenta. Vici per insulam sparsim sunt, *S. Sebastiani*, *S. Barbare*, *Altares*, *Gualuai*, *Villa nova*, aliaque. Insula *S. Michaelis* longitudinem habet xx. penè milliar. Urbs ejus præcipua est *Punta del gada*, in qua majore quam ad *Angram* frequentia Angli, Scoti, & Galli glastum coëmunt. *Pico* insula quæ à monte excelsio nomen habet, distat à *Tercera* xii. mill. Habet autem ligni quoddam

D E S C R I P T I O T E R C E R Æ.

dam genus (Teixo vocant) cujus pretium singulare: Regio autem edicto cautum est, ne quis illud secet præter solos regios ministros huic rei constitutos: est autem duritie summa, colore intus rubro, coccineo, undulato, pulchritudine eximia, quæ tractu temporis amplius etiam augetur. *Fayal* à Belgis colitur, & qui ab his profeminati sunt. Sermo omnibus Lusitanus. Vrbs *Doata*. Incolæ humani, exterorum appetentes: vt intelligas tanto temporis intervallo Belgicum ingenium nondum degenerasse.

Descriptio Iucatanæ,

I*ucatanam Petrus Martyr* credidit esse insulam, quum sit Chersonesus in sinu *Mexicano* porrectus inter gradum x & xx. Ambitus ejus est miliarium nonaginta. Regio beata rebusque ad victum necessarijs abundans. in extremolittore est fluvius, inque ejus ripa vrbs ampla, cui nomen accolæ dederunt *Patanchan*, Hispani *Victoriam*. Qui eam primum sunt ingressi *Cairo* similem dixerunt. Turritæ erant domus, templa magnifica, viæ ordine strata: ad domorum atria decem aut duodecim gradibus ascendebatur. parietes è saxo aut lateribus constabant calce junctis, tectum ex culmis aut regulis lapideis. Incolæ commutabant aureas bullas calculis vitreis, aut vestibus sericis. Fœminæ à cingulo ad talum promissam vestem gestabant, eratq; eis religio pedem aut crus retegere. Speculorum Europæorum nullum precium, habebant enim è lapide levi multò puriora: Viri erant circumcisi: commercia constât sola permutatione, sine ope nummi. Templa augusta erant, & in ijs idola. Crinem ornabant exstruebantque. Rogati vnde id haberent, respondebant per interpretē, transisse aliquando per ea loca virū ipso sole formosiorē, ita comptū, qui eis id insigne in sui memoriā reliquisset. Et hæc quidē prima aditione. Alias regressi Hispani quum se admittendos sperarent, exclusi sunt, negabant enim incolæ se hospites peregrinos velle. Face thurea inter vtrumq; agmen accensa minabantur nisi sponte sua terris illis discederent, fore vt expellerentur. Ventum est ad pugnam. Gladio nudi, tormentis imbelles interempti sunt, cæteri in urbem aufugere. Ita discessum. Haud multò post, quum tertio accederent Hispani peterentq; alimenta, allata sunt gallinæ octo & panis *Mayz*, simulque imperatum vt discederent. Iterum igitur cum magna *Iucatanensium* strage pugnatum est. Quadraginta hominū millia eodie bello interfuere: tam multi à paucis superati sunt. Mirabantur novum pugnandi genus: Equites sedecim barbaros à tergo adorti, turmas eorum findebant celeri cursu, non secus quam si ovium gregem lupo dispelleret. Attoniti barbari stupebant, nec mens, nec manus officium faciebat. latera ipsorū interea Hispanus ensis hauriebat. Miseri putabant vnum esse animal, equum & hominem, centauri imagine, Ita potiti vrbe sunt Hispani. Cives sub dio, exteri hospitibus exclusis sub tecto vitam agebant. Ac hoc eventu nomē vrbi datum *Victoriæ*. Ferunt villas extra urbem tam amplas & laxas fuisse, vt Hispani aliquot vnam ingressi, per horas quatuor in ea vagati sint, antequam illius exitum potuerint invenire. Inter *Iucatanam* & *Nicaraguam* vrbs est *Guatemala*, agro fertili, amœno, cœlo salubri, in qua Vicarius Hispaniæ regis sedes habet, penes quem summa & absoluta potestas est in rebus judiciarijs.

Descriptio Cubæ & Iamaicæ.

C*Vba* insula ad Occidentem mari secernitur à Iucatana: ad Ortum freto ab Hispaniola, ad Austrum est Iamaica. Longitudo est ab Ortum in Occasum m. cc. miliar. Latitudo maxima cc. l. Eam mediam secat Tropicus Cancrī. Dicta primum fuit à Christo-

Christophoro Columbo *Ferdinanda*. Est autem montibus aspera, multosque habet auriferos flavios, quorum aquæ dulces & potui aptæ sunt. Magnam profert rubicæ tinctorum copiam. Est in ea vallis in qua globi lapidei inveniuntur tam exacta rotunditate à natura tornati, ut nulla possit ars exactius. Urbes sunt *S. Jacobi*, & *Havana*: illa exstructa à *Iacobo Velasco*, sedes est Episcopalis: hæc totius insulæ Emporium & navale: ad hanc solet classis regia tamdiu subsistere, donec anni tempus, & venti commodâ navigationē trajectumq; in Hispaniam polliceantur. Nunc in ea triremes aliquot sunt, quæ oram omnem contra Gallos Anglosq; tuentur. Est in eadem insula mons, è quo bitumen fluit aptum navibus stipandis. Sunt etiam passim serpentes magni, qui tamen noxij non sunt, his uti solēt pro cibo Cubaenses. *Iamaica* Christianis dicitur Insula *S. Iacobi*: ejus ambitus est 200. miliarium. Vnjam in umbilico montem habet, qui leniter assurgit, ab omni regionis latere sensim crescens. Est autem insula ita fertilis, ut cæli temperie solique fecunditate cum quavis alia certare possit: Incolæ multi, acuto ingenio & acri; qui vicinis facile imponunt, ipsi rarò decipiuntur. Habent auri metalla, & animalium diversorum copiam. Est & sacchari & gossypij magnus proventus. Fluvij permulti, & lacus piscosi. Oppida duo *Oristan* & *Sevilla*. In hac est Ecclesia principalis cum Abbatia.

Descriptio Hispaniolæ.

Hanc insulam incolæ *Haity* & *Quisqueia* quondam vocaverunt. Hispani à se *Hispaniolam*, & a *Dominico S. Domingo*: cujus etiam honori urbem exstruxerunt quæ omnium est præcipua. Ambitus est 1400. miliarium, longitudo 500. latitudo pro sinuum & promontorium ratione varia. Hanc *P. Martyr* reliquarum insularum genitricem vocat. Medium insulæ ab Æquatore distat grad. penè 19. versus Boream: forma oblonga est, panditur enim ab Ortum in Occasum. Est autem montibus aspera, sed præcæteris omnibus amœna & fertilis. Saccharias cannas aiunt hic altiores crassioresq; esse, quam usquam alibi. Octo & viginti erecta sunt torcularia quibus saccharum exprimitur. Fertilitatis indicium hoc est, quod triticum satum centuplum reddat. *Valentia* in Hispania unâ cannâ vix septem phialæ implentur, in *Hispaniola* 20. sæpè etiam 30. Gignit præterea hæc regio cassiam fistulam, zinziber, malticem, lignum aloës, & cinnamomum: salis etiam uberem proventum habet. Ante Hispanorum adventum tria tantum hic erant quadrupedum genera. nunc importatis aliundè animantibus ita repleta est, ut ex ea pellium & coriorum magna vis quotannis in Hispaniam exportetur. Auri & argenti fodinæ sunt divites: Est & aliorum fossilium non parva quantitas, præcipuè veò coloris cærulei. Hispani quum primum insulam invasisent, eruerunt ferè omnes radices ex quibus Barbari suum panem conficiebant. Incolæ qui in tuta loca secesserant per internuncios rogarunt, abstinerent; malle se vectigal pendere quam absumptis radicibus fame interire. Ita factum, ut immanem pecuniæ vim singulis mensibus Barbari Hispano solverent. Urbes hujus insulæ multæ sunt: Præcipua est *S. Dominici* ad ostium fluvij *Ozama*, sede Episcopi & Vicarij incluta: In hac etiam pecunia cuditur, sed non ea quantitate qua in *Mexico*. Sunt etiam urbes minores, *S. Ioannis*, *Meguma*, *Portus Plateæ*, *Portus Regius*, *Xaragua*, aliæque.

DESCRIPCIÓN DE LA NUEVA ESPAÑA.

Descriptio Novæ Hispaniæ.

Nova Hispania amplissima est America provincia, & cæteris cultior, amœnior, ac populis frequentior. Incipit a sinu *Californiæ*, quem vulgò *Mar vermeio* dicunt, & extenditur usque ad sinum *Mexicanum* & *Mare del Nort*, & ad *Iucatanam* regionem. Occupata primum fuit ab Hispanis Anno 1518, Duce *Ferdinando Cortesio*; cum maxima tamen suorum & incolarum strage: cui remunerationis causa dono concessa fuit *Tecoanteper* regio *Novæ Hispaniæ*, à Carolo V. Imp. Est autem hæc provincia montibus & rupibus asperimis referta, nemoribusque plena: aërem habet temperatum, quamvis sub torrida jaceat Zona: in ea fluvij sunt quã plurimi piscibus abundantes, quorum aliqui etiam auriferi sunt. Sunt etiam lacus in ea multi, magna ex parte ita salsi, ut sal ex ijs conficiatur. Præcipuus is est qui *Capharicum* mare ob immensitatem vocatur. Abundat præterea regio ipsa mineris opulentissimis auri, argenti, ferri & æris: mittit cassiam fistulam, & fructus quosdam, quos incolæ *Iacao* appellant, amygdalorum instar, ex quibus potum conficiunt: gossypio ac omnibus insuper frugibus fructibusque, quos in Europa habemus, affluit: omnia quoque profert animalium genera, anseres, anates, coturnices, tigres, leones, urfos, & alia hujusmodi: unde carniarum hic magna est copia, vilissimo pretio. Inveniuntur etiam in fluminibus crocodili, quorũ carnes ab incolis comeduntur. Mare regionẽ alluens piscibus abundat: & ostrea fert ex quibus margaritæ colliguntur. Incolitur porrò hæc pars ab Hispanis magis quam ulla alia *Novi Orbis*: unde multas in ea habet colonias, nempe, *Compostellam*, *Colimam*, *Purificationem*, *Guadalaiarã*, *Mechoachan*, *Cacatulam*, *Mexicum*, & alias. Sunt porrò in hac *Nova Hispania* insignes nonnullæ regiones, nempe *Galitia*, *Mechoacan*, *Mexico*, *Guistican*. *Nova Galitia* ab incolis prius *Xalisco* vocabatur: quam primus detexit & acquisivit *Nunus Gusmanus*, qui in ea urbes aliquot fundavit, nempe *Compostellam*, ubi sedes Episcopalis & Consilium Regium: *Spiritus*, *S. Conceptionis*, *Michaelis*, & *Guadalaiaram*, celeberrimã ac totius regni caput. Regio aspera est, incolæ feri ac ctudeles, qui ab esu carnis humanæ non abstinere. Pertinet ad *Novam Galitiam* regio illa quæ *Culiacana* vocatur ab urbe hujus nominis: jacet autem inter fluvium *S. Sebastiani*, qui antequam in mare se exoneret à terra absorbetur. Metropolis urbs est *Culiacan*, ubi Hispani duxerunt coloniam *Domus Michaelis*. Incolæ pauperrimi sunt, & sub dio dormiunt, quorum qui juxta mare versantur, piscationibus vitã traducunt: qui vero mediterranea tenent, venationibus vivunt. Nullum olim superiorem agnoscebant, sed hodie Hispaniarum Regi parent. *Mechoacham* regio ambitum habet 40. leucarum, & opulentioribus ac fertilibus *Novæ Hispaniæ* regnis accensetur, nam in ea *Mabitæ* maturescit ter singulis annis, ut & alij fructus. Affluit gossypio, melle, cera, grano tinctorum, herbis medicinalibus, ambra nigra, & sale, sericum quoque abundè fert, & auri argenti que dives est. Multi sunt in ea lacus ampli, & multi fluvij peropportuni, piscibus copiosissimi. Incolæ proceri sunt, & corporibus valentes, longævi, ac ingeniosi. Regio duas continet urbes principales ab Hispanis cultas, in quibus vigent mercimonia, nempe *Pascuur*, & *Valadolis*, quæ est Episcopalis sedes, præter alias minus celebres. *Mexicana* regio cæteris non tantum *Novæ Hispaniæ* præstat, sed universæ etiam *Americæ*. Nomen sumsit ab urbe *Mexico*, quæ *Temistitan* quoque nuncupatur: & hæc urbs olim exstructa erat Venetiarum instar in medio immensi cujusdam lacus, antequam à *Cortesio* occuparetur, qui eam ad ejusdem lacus ripam transtulit: Estque nunc optimè fabricata, ambitu sex miliar. Italicorum, cujus unam partem Hispani inhabitant, reliquam verò indigenæ. Resident in hac ipsa urbe Archi-Episcopus, & Pro-Rex, ac Tribunal supremum *Novæ Hispaniæ*:
est etiam

est etiam in ea imprimendi ars & cudendi pecuniam. Hic autem lacus, ad cuius ripas exstructa est, falsus est, & crescit ac decrescit pelagi instar: & dum crescit, suas aquas in alium lacum vicinum effundit qui dulcis est. Nullos autem fert pisces, sed tantum vermes æstate putrescentes ac aërem infestantes: extrahitur tamen in eo magna salis copia. Ambitus amborum lacuum patet 10. circiter leucis, atque tam in ipsis, quam circa eorum ripas jacent 50. oppida, quorum quodvis continet plus decem mille domorum. Per eisdem discurrunt 50. scapharum millia, quas *Canooas* vocant, ad usum urbis *Mexicanae* & aliorum oppidorum. Sunt autem hi lacus in planitie montib. cincti, nive semper opertis, quæ quidem planities collibus assurgit amœnissimis. Post *Mexicum* est *Tescuro* urbs ad ripam ejusdem lacus, quæ amplitudine sua *Mexicum* ipsum adæquat. Est etiam in hac provincia *Angelorum* civitas, quæ prius *Vacipalam*, id est terra serpentum. vocabatur, quæ lanificio celebris imprimis est. Hujus ager vallibus & planiciebus distinctus est, in quibus innumera armenta & greges aluntur, & magna segetum ac fructuum copia colligitur. Est quoque in eadem provincia mons *Flammivomus*, *Papocampeche* indigenis vocatur. Incolæ hujus tractus olim idololatræ erant, & anthropophagi, pluresque ducebant uxores: quæ tamen vitia dimiserunt paulatim post susceptum baptismum. Utuntur in bello sagittis, & fundis, quibus jaciunt lapides. *Guastecan* regio *Novæ Hispaniæ* ad *Mare del Nort* posita est, estque parum fertilis. vnde incolæ inopia premuntur, & piscatu plurimum vivunt: sunt tamen satis humani. Est in hac regione mons, in quo reperiuntur duo fontes, alter scilicet picis nigræ, alter verò picis rubræ ferventis. Duas hic colonias Hispani habent, nempe *Panuco*, & *D. Jacobi à Vallibus*. Postremo in *Nova Hispania* est *Tlascalan* urbs, quæ post *Mexicum* secundum tenet locum: estq; valde populosa & opulenta & agro fecundo. Reipublicæ more gubernatur, sub possessione tamen Hispaniarum Regis.

Descriptio Americæ Australis.

ANno 1492, *Christophorus Columbus* Gadibus profectus devenit ad insulas *Fortunatas*, quæ *Canariæ* dicuntur. Inde Occidentem ulterius petens, insulas duas reperit, quarum alteri nomen dedit *Hispaniæ*, alteri *ioannæ*: in quibus relictis triginta octo sociis cum mandatis, ipse in *Hispaniam* abiit, regique itineris sui rationem exposuit. Placuit iterum tentare iter: concessis igitur 17. liburnicis, venit ad insulas *Canibalorum*, unde partem classis suæ in insulam *Hispaniam* dimisit, ipse haud multò post sequutus: Comperit verò suos omnes, quos discedens ibi reliquerat, à Rege nefariè interemptos esse. Exstruxit igitur ipse urbem, eamq; præsidio munivit, profectusque longius *Cubam* & *Iamaicam* invenit. His rebus confectis & fratre suo *Bartholomeo* ijs locis præfecto, ipse Anno 1495. in *Hispaniam* redijt. Tertium igitur instructa classe, Anno 1498, mari se commisit: circa *Maderam* naves ita partitus, ut 5. *Hispanam* insulam recta peterent: ipse reliquis tribus novum cursum institueret. Ergo jactatus variè tandè venit ad insulam *Pariam*, humaniterq; ab indigenis exceptus est. *Hispaniolam* verò delatus rationes omnes offendit conturbatas. Hispani enim, qui eo loci relictæ erant, spreto *Columbi* & fratris imperio victos eos tandem in *Hispanias* misere. *Petrus Alausus* postea iter illud tentavit: *Pariam*, *Curtanam*, *Canchiotem*, *Cinianam* devenit, onustusque unionibus in *Hispaniam* reversus est. Successit ei *Vincentius Pinzonus*, qui longè ultra *Equatorem Austrum* versus profectus, gentes offendit immanitate barbaras. *Americus* etiam *Vesputius* missus à *Ferdinando Castiliæ Rege*, *Pariam* tentavit, oramque omnem quæ ab ipso *America* vocata est, quatuor navigationibus institutis, quarum posteriores duæ factæ sunt auspicijs *Emanuelis Regis Portugaliæ*.

DESCRPTIO AMERICÆ

Et hætenus quidem præter *Hispaniolam, Cubam, & Jamaicam* insulam, parum admodum terrarum fuerat subactum, quum *Franciscus Pizarus* qui diu in *S. Dominici* oppido commoratus fuerat, cum socijs aliquot in continentem trajecit, captoque Rege *Atabalipa* & multis hominum myriadibus per nefas trucidatis, magnam illius regionis partem debellavit. Fertur *Atabalipa* captivus tam magni auri & argenti cumulum pro redemptione sui *Pizaro* obtulisse, quantum ipse erectus extensa manu posset contingere: Post solutum tamen pretium redemptionis nihilominus turpiter jugulatus est. *Pizarus* hujus sociorumque in hominibus innocentissimis suspendendis, jugulandis, submergendis, comburendis, laniandis, omnique cruciatus genere afficiendis, immanitatem, longum esset referre. Postea idem iste à suis confossus, dignas, non tamen pares sceleribus suis pœnas dedit, Anno 1541. Cæterum eodem ferè tempore Hispani & Portugalenses novas terras quærere instituerunt, ita orbem inter se partiti, *Alexandri VI.* Pontificis auctoritate, ut ab insulis *Hesperidum* deinceps quicquid incognitæ terræ Orientem versus spectaret, id Portugalensibus cederet, quicquid Occidentem versus, Castellanis. Sed quærebant hi quoque viam perveniendi ad *Moluccas*. Commissa hæc cura mandataque *Ferdinando Magellano*, qui Anno 1541. die decima Augusti solvens *Hispaniæ*, superatis *Canarijs & Hesperidum* insulis, tandem pervenit ad promontorium *Canibalorum S. Mariæ*. Observavit littus ita in Austrum tendere, ut etiam in Occasum recederet; sperabat itaque fore, ut alicubi ambiretur: neque falsus est, nam sequenti anno 26. Novembris ventum est ad fauces, quæ arcto, neque latiore quam decem miliar. Italicorum freto terras vastas dispescebant. Altitudo poli Australis erat 52. graduum. Hoc transmissio, certa eum spes habuit inveniendi *Moluccas*. Itaque recto cursu *Æquinoctialem* petens superatis aliquot insulis, venit in *Subuth*, ubi ipse cum socijs septem interfectus est in prælio, quod rogatu Regis adversus vicinarum Insularum habitatores susceperat. Interfecto successit *Serranus*, qui quum Magellani servum *Molucanum* eodem bello vulneratum asperius esset alloquutus, proditus est Regi *Subuth*. Qui in naui erant reliqui, desertis infelicibus terris, octavo post Ducis obitum mense *Moluccas* invenerunt. Porro *America* omnis Meridionalis pyramidalem formam habet: cujus basis propè *Isthmum* est, Boream versus, vertex sive cuneus sensim exrenuatus ad *Magellanicum* fretum versus polum *Antracticum* desinit in acumen, gradibus penè 53. dissidens ab *Æquatore*. Ad Orientem alluitur mari quod vocant *del Nort*: ad Occasum mari *del Sur* sive *pacifico*. A *Maragonne* fluvio, cujus ostium sub ipso penè *Æquatore* est, usque ad fluvium *Argentum*, *Rio del Plata*, Orientem versus omnia obtinent *Lusitani*: cætera (quæ quidem nota nobis) habet *Hispanus*; Regionem omnem a Borea in Austrum montes secant: Ager est auri & argenti proventu aliarumque rerum ad usum humanæ vitæ necessariorum beatissimus: Ambitus est sedecim millium miliar. Partes enim multæ, sed præcipuæ & hætenus quidem superatæ Barbarisque ereptæ sunt: *Castella aurea, Peruvia, Chili, Brasilia*. *Castella aurea, Castilia del oro*, juxta *Isthmum* sita est, quo pars Australis Boreali connectitur. Latitudo *Isthmi* est 72. miliar. Urbes duæ sunt, *Nombre de Dios* ad mare *del Nort*, & *Panama* ad mare *del Sur*. Quicquid ex *Peruvia* in *Hispaniam* mittendum est, id omne in *Panamaide* urbe coactum, terrestri itinere mittitur ad *Nombre de Dios*, inde in *Hispaniam* navibus exceptum asportatur: Quicquid ex *Hispania* in *Peruviam* mittendum est, id delatum in portum *de Dios*, terrestri itinere mittitur *Panamaidem*, inde navigijs devehitur in *Peruviam*.

Descriptio

Descriptio Peruvix.

Peruvia regio totius novi orbis nobilissima, tota ferè intra Æquatorem & Tropicum Capricorni clauditur. Suntque ejus fines à Septentrione nova Granata, Castella aurea, & Peru fluvius ac portus, qui huic regioni nomen dat: ab Occasu Oceanus seu *Mar del Sur*: à Meridie Chila provincia: ab ortu montes: occupatque longitudine sua hæc provincia M. LXXX. leucas. Detecta fuit primum à *Francisco Pizarro*, anno 1525. cujus præfecturam paulò post à Carolo V. obtinuit, atque eam perlustravit & occupavit. Occisus tandem ab Almagri filio, cujus patrem ipse, & Almagri filium decollavit Vasco. Vascum cepit Blasco, Blasconem cepit *Pisari* frater. Ita alij in alios sævierunt, sanguinis pariter & auri appetentes: solet enim crescentem sequi cura pecuniam, majorumque fames. Dividitur hodie in tres partes, nempe in planitiem, in *Sieras* seu montes, & in *Andes* seu Ultramontanam. Planities Peruvix juxta maritimam oram expanditur miliaribus propemodum 1500. Italicis. Ejus latitudo major ad 60 accedit, minor verò ad triginta. Est autem hæc pars fabulosa, solitudinibus frequentibus deformis, ac majori ex parte sterilis, præsertim cum nec ullos habeat fontes aut lacus, nec vllis imbribus aut pluvijs vnquam rigetur. Sunt tamen in ea agri permulti circa fluminum ripas viriditate ac fœcunditate læti, quippe qui hyemali tempore à fluvijs ipsis, à præcelsis rupium jugis delapsis effusisque, qui nusquam majori quam duorum aut trium milliarium spatio inter se distant, utili inundatione irrigantur: sed & agros accolæ magna industria rigant & exercent, vnde postea gossypium varij coloris, & omne frumenti genus copiose reddunt. Hujus tractus incolæ viles sunt, pusillanimi & inopes, sub arboribus & inter arundines ac juncos, vivunt ac dormiunt, pro esca habent pisces & carnes. Montana regio Peruvix longo extenditur tractu à Septentrione ad Meridiem mille circiter leucis, & aliquibus in locis minus. Sunt verò hi montes admodum frigori obnoxij, in eisque frequenter nives cadunt: nec arbores vt plurimum præferunt, vnde incolæ ignem ex terra quadam ad hoc apta fœvent. Reperiuntur hic leones, lupi, vrsi nigri, capreoli, & quoddam pecudum genus camelis simile, è quarum lana vestes gausapinas, & alia necessaria conficiunt. Continentur inter hos montes multæ amplæ valles ac profundæ, fertilissimæ, ac populo numerosissime, cum aère fruuntur calidiore. Et incolæ quidem harum vallium cæteris hujus tractus ingeniosiores, animosiores, ac civiliores sunt. *Andes* sunt etiam montes, sed continua serie producti absque vallibus. Hi à Septentrione in Meridiem portiguntur, & inter hos & alteros montes *Collao* provincia clauditur, quæ quidem vt plurimum montibus referta est, ac frigori subjecta, sed tamen valde populosa. Montana regio, vt ait Lævinus Apollonius, maritimæ regioni hominum cultu, vrbium frequentia, & soliaërisque beatitudine longè præstat, ac peculiari idcirco regum sede, procerumque habitaculo excoli consuevit. Terra enim omnis egregia clementis cæli temperie adjuta multo innumerabilium rivorum, anniumque quos montes profundunt excursu, mirificè fœcundatur, vt à graminosis vbi que viretis lætissimè transeuntibus arideat, & fertilibus passim pratis gravida omne leguminum genus liberaliter præbeat. Nam præter *Chamacerastra*, & alia ejus generis mora dumetis assueta, lactucas etiam, brassicas, caros, daucos, raphanos magna proceritate luxuriantes, & tenuium etiam mensis vulgares, amaracum, nasturtium, petroselinum, salviã, oxylapatum, mentam, & in visam Veneri portulacam, condiendis epulis lautissimas herbas profert, & cætera porro omnia, quæ postea Hispanis ferentibus accepit, vberissima referendi benignitate

D E S C R I P T I O P E R U V I Æ.

gnitate reddit. Præter has & aliam herbam edit, flavos flores tenuisculis pedunculis gerentem, frondium habitu, apio non absimilem, quam celebratissimo à Græcis scriptoribus potamio stratiote potentio rem vulneri etiam renascenti, & chirurgorum desperatione deplorato unicum remedium afferre; eandem autem carnem sanam ac valentem (si huic adhibita sit) ad ima ossa peredere ferunt. Hac etiam præstantior nascitur altera (*Cocam* indigenæ vocant) frondibus eius arbusculæ similis, quæ Græcis *Rhus* dicta est, Latini fruticem coriarium vocarunt, quæ sicuti re ipsa compertum est, omnem cibi ac potus appetitum avertit in ore gestanti.

Verum ante alia frumentum tanta fœcunditate luxuriat, ut, si verè proditur, uno ex sativo frumenti sextario, quinquaginta, aut centum, ducenti interdum progignantur: quod eo certè vehementius demirari licet, quod levissimam tenuissimamque agriculturæ curam ac rationem exerceant. Agros enim leviter expurgatos, & lolijs evulsis sarritos, cum aratrum vomeremque penitus ignorent, non tanto inductis sulcis subruendi, glebas occandi, deinde post jacta semina æquandi labore se fatigant incolæ, quanto nostri: sed lignea pala modicè vulneratam humum leviter invertunt, scrobibusque effossis grana pastro ligneo, sicut apud nos fabæ solent, depingunt, quæ terra demum superfusa condita in summam luxuriam prorumpunt. Herbarum frumentique copiarum arborum fœcunditas respondet, quarum non illæ modò, quas novit Europa, egregiè crescunt; sed earum etiam plurimas invenire licet, quæ nobis nomine naturaque sunt prorsus incognitæ. Nam ut in montanis fieri solet, nigrantes plurimis in locis sylvæ occurrunt, quæ non omne arborum genus modo, & ex earum caudicibus uberrimam lignandi copiam, sed in cavis abditisque specuum lustris magnam ferarum multitudinem subministrant. Pumilium etiam animantium campi, ac imæ valles ad venatorum voluptatem usque adeo sunt plenæ, ut lepores, cuniculi, turtures, columbæ, ficedule, nisi, frigillæque nullo anni tempore mensis desint. Sed ne psittaci quidem, vulpes, ursi ac leones rara montanis sunt animantia: equi non isthic modo, sed per universum orbem novum penitus incogniti: verum horum inopiam, quanquam imparibus & ineptis ad bellum viribus, ovium copia supplet, quæ equis magnitudine pares, & cetera forma, præter torosi pectoris strumam, camelis per similes, quinquaginta onerum pondò sustinent, & virum in terga sublatum ad aliquot passuum millia vehunt; fessæ, si vigeantur, sedentem fœdo odore conspurcant: si onustæ sint, tum humo sese acclinant, nec inde ulla verberum vehementia, ipsis asinis contumaciores, nisi penitus clitellis exonerentur, propelli possunt: vtile profectò animantium genus, non ad supplendum modò equorum in sarcinis hominibusque vehendis defectum: sed ad alimoniam etiam, & opimi lucri usum. Lanæ etiam tenuitate longitudineque, & copia nostras superant, & ipsius carnis suavi gratitudine vervecum atq; juvencorum nostratium delectabilem saporem adæquant: frumento vescuntur, sed paucissimi cibi sunt: usque adeo exigui verò potus, ut illo triduum quatrividuumque abstineant. pleraque autem montium pars innumerabiles auri argentique gazas nobilissimis fodinis emittit; nec ulla ferè urbs aliquo nomine spectata offertur, quam non insigni aliqua fodina auri natura ditavit, ut meritò harum comparatione divitiæ sordescere debeant, quas aut *Tago*, aut *Lydorum Pæto* veterum fabulæ ascripserunt. Nam præter inexhaustas montium arrugas, quis cloqui possit quantam auri argentique vim canales, aut egesti fluminis thesauri ferant, quæ rutilantibus arenis & pellucidis undis limpidi, aureo quodam profluxu ruere videntur? Nec in tanta fodinarum copia minij, sicut accidere Plinius testatur, aut sandaracæ, & id genus versicoloris terræ ad vestimenta inficienda venæ desunt. Supra has

dotes

dotes omnis hæc plaga, quæ per montes latissimè extenditur, ad uberrimam sativarum frugum alimoniam, & privatorum etiam puteorum commoditatem, mutante vi-ces tempestate pluviarum subsidia habet, quæ in tanto Solis æstu magno incolarum & agrorum hiantium gaudio excipiuntur. Horum montanorum incolarum naturam his verbis quidam exprimit: Hac regionis felicitate incolæ industria atque ingeniorum solertia dignos se præstant, qui sicuti soli bonitate, ita naturæ politiæque præstantia maritimos longè antecellunt. Viri subuculam, ac chlamydem laneam gestant, promissosque alunt crines, quos circa verticem tenui fascia substringunt: fœminis vestimentum est oblongum, sine manicis, quod lanceo cingulo ter quaterque circumducto infra umbilicum succingitur, huic penula superijcitur aurea, argenteave, acicula circa col- lum constricta, quam Topum vocant. Hæ candida facie gratiosæ, quanquam absurdè ferè in acutam cuspidem capitum vertices acuminentur, non formæ modo, sed etiam modestiæ, verecundiæque muliebris, & reliquorum morum non levi gratia pollent: & huic singularem in maritos amorem fiduciamque mirabiliter adjungunt, quos præter sui sexus vires in quotidianis operibus assiduo & fideli labore sublevant. De moribus autem Peruvianorum in universum Lævinus Apollonius sic scribit. Tribus potissimè gentibus universi distinguuntur, quarum singulæ plures sub se populos nominum rur- sus varietate differentes continent. Hæ gentes dissimilitudine gaudent, & diversis lin- guis sunt discretæ: frequenter etiam limites excedentes inter se bella gerere, & ferro in- jurias vindicare discordes solebant, priusquam in unius ditionem ad Æquatorem usque provincia cecisset: verùm ubi victoria ejus cunctis sub unam potestatem redactis dissidiorum facultas ablata est, ita apud proceres & vulgus *Cusconia* lingua, qua dunta- xat jus dicebatur, voluptati ac studio esse cœpit, ut hujus gnaro totius provinciæ pera- grandæ non difficilis facultas relinquatur. Fœminis lanea vestis est ad talos usque pro- pendens, mares indufiolum ad luras usque, & huic superjectum palliolum gestant. Quanquam verò idem ferè tota regione corporibus vestimenti sit genus, capitum ta- men habitus mirificè variant, cum singuli pro usitato patriæ more fasciolas tornatiles, multi simplices, plurimi versicolores gerant: nec ferè sint quiquam, qui eo in capitum ornatu secundum patrium usum ab alteris non vehementer discrepent. Admirabili vero omnes natura indolis simplicitate imbuunt: adhuc vetustæ ruditatis hæres, qua ridicu- las nobiscum negotiationes exercent: vix inexhaustas suas auri & argenti gazas norunt, atque informibus eorum massis tantum utuntur, quanquam aureorum atque argen- teorum emblematum non minore quam nos delectatione capiantur: quibus templo- rum & regiarum postes bracteato sculprove opere fabrefactis plurimum exornant. In ea tamen vulgari simplicitate proximè Æquatori subjecti morum incommoditate ac vitijs reliquos superant. Hi multa hypocrisi taciturni, & compressis in labra verbis sub- murmurantes, non multum à Iudæorum modo abhorrent, scædeque in libidinem pro- clives, exiguo in pretio mulieres habent; quas non vilissimè modò sibi ancillari co- gunt, sed etiam levissima offensione plagis acerrime excipiunt. Indufiolo levi umbilico tenus vestiuntur: cæteras corporis partes, ne pudendis quidem tectis nudas relinquunt. Crura & brachia gemmatis sphæricularum circulis ornant, & pertusis utrimq; malis at- que orum labris turcosios atque smaragdos mirificè splendentes hiatibus infixos ge- runt. In eo ornatu tanta superbia est, ut eundem uxoribus invideant, quibus nulla, vel ad perpetuos gravissimi Solis æstus arcendos stragula vestium, præter tenue pudendo- rum operimentum laneum à maritis conceditur. In ipsis vero templis simulacra duo atrorum hircorum similitudine sculpta adorantur, idque perpetuo cultu. Ante hæc
certa-

D E S C R I P T I O A M E R I C Æ

certarum miri odoris arborum ligna cremantur: ex quibus dum cortices detrahuntur, tam acri odore adeps defluit, ut olentium nares cerebrumque teterrimè afficiat, illita vero defunctis aut instillata (quemadmodum cupresso promanans resina) perpetuo ab vermiculorum injuria, caricque universa mortuorum cadavera vindicet. Apud Caraceos in supremis portarum peristylijs humana simulacra conspecta sunt striata Diaconi stola induta. *Pasiones* interfectorum puerorum virorumque corpora ad saxeos stylos mirificè aduersus putredinem præmunita conservant, & capita truncatorum in pugni magnitudinem quadam materia mirabiliter extenuata, ad postes clavis affixa tanto artificio ostentant, ut post multa etiam annorum spatia non ingratum odorem spirent. In vulgaribus ubique templis magnorum serpentum figuræ adorantur: super hæc singuli privatis in ædibus veteri Ægyptiorum superstitione, prout cuique sua ars atque opificium est, peculiare Deos ceu penates ac lares colunt. Omnis scientiæ prorsus expertes sunt, litterarum omnium ac picturarum exsortes, quæ apud Mexicanos litterarum loco habentur. Laneis enim funibus utuntur (*quippos* appellant) quibus implicitis diversarum figurarum nodis numerum supputant ab monade ad denarium, atque inde altius numerando gradatim ascendentes, nodis colores imprimunt rebus illis similes quas indicare volunt. Singulos provincia quælibet constitutos notarios habet, qui per hos colores rerum vel ante multos annos gestarum memoriam, ceu litterarum monumentis haustam plebi insinuant, & si quid in provincia posteritate dignum geratur, fidei per eorum nodorum colores custodiæ demandant: Communium legum septis coercentur omnes, & in summa rerum publicarum moderatione egregius jurisdictionis est ordo, justissimoque supplicio in fontes animadvertitur. Arma illis sunt, ensis, hastile præpilatum, clavus ferreus, securis argentea vel aurea, fundæ, & alia telorum genera: excurrere, servare ordines, ferre opem expedite norunt, nec virtute petitam mortem extimescunt, modo vel suis egregiam memoriam relinquere, vel accipiendi ab ducibus muneris locum facere possint. Continet porrò Peruvia provincia intra suos limites plurimas urbes ac civitates, quarum præstantissimæ ac celeberrimæ sunt: *Portus vetus, Michaelia, Trugizum, Regium seu Lima, Arequipa, Quito, Cusco, Argypolis, & Potosium*. Quarum quinque priores ab Hispanis primum situs commoditate, & mercaturæ opportunitate allectis occupatæ sunt. & ædificijs more Europæo exornatæ. *Portus vetus* vulgo *Portoucio* prima est urbs ab Hispanis occupata, quæ Æquatori proxima est, juxta maris littus, & optimo portu gaudet, sed aëre insalubri, ob idque infrequenter habitatur. Ad hanc autem navigia appellunt, quæ vel in Peruviam regionem tendunt, vel ab ea Panamadem redeunt. Vicinus ager Smaragdus in rupium lateribus suppeditat, quos perpolitos magno cum lucro varias in urbes Hispani submitunt. Apud hanc urbem effossa sunt ab Hispanis gigantum ossa ac dentes, qui tres latitudine, quatuor longitudine digitos exæquarunt: quod quidem hominum genus indigenæ affirmant quatuor virorum longitudinè superasse. *Michaelia*, seu divi *Michaelis* urbs *Piura* à Barbaris vocatur, estque secunda ab Hispanis occupata, jacetque propter fluvium *Ciram*, optimum portum habens: fertili etiam gaudet agro, sed auri argenti que fodinis experte, & peculiari Ophthalmiæ morbo infami, qui teste *Lequinio* transcurrentium oculos magno dolore impedit atque excruciat. *Trugillum* tertia Hispaniarum urbs, agrum fertilissimum habet, frumenti præsertim illius quod incolis *mayz* vocatur: sed navigijs parû frequentatur, ob portuum incommoditatem. *Lima* sive *Regium*, totius maritimi tractus excultissima metropolis, in amœnissima valle ad ripam amnis jacet tutissimo in portu, ad duo passuum millia ab littore semota. Mira aeris temperie gaudet,

agro

agro rerum omnium fertili, præsertim fabis, pis, & omni leguminum nostratium genere, atque etiam ficuum, malorum citriorum; aurantiorum, limonum, & cæterorum fructuum copia. Est præterea populo frequentissima, 500. namque ædificijs & pluribus excolitur, ambitum comprehendens valde spatiosum, in quo sunt latæ viæ, amplum forum & cultissimi & amœnissimi horti. Condita fuit hæc urbs à *Francisco Pizarro* anno 1555. & in ea residet nunc universæ hujus provinciæ Audientia, Cancellaria, Prorex, & Archiepiscopus, cui subsunt Episcopatus hi, *Quito, Cusco, Guamantiaci, Arequipa, Pars, Plata, Trugilli, Guanugio, Cacapoia, Portus vetus, Guatachil, Popoiani, Carchi, S. Michaelis, S. Francisci. Arequipa*, quinta Hispanorum maritima colonia, 12. à mari miliar. Italicis distans, fecundo ac salubri in agro condita; 300. amplis ædificijs nitet, & frequenter quidè habitatur, ob portus sui commoditatem. continuoque magis atque magis incolis ac opibus augetur. sed tamen admodum divexata fuit ab ingenti terræ motu Anni 1582. quo omnes ferè ejus domus prostratæ sunt, interentis etiam 22. viris. Mediterraneæ ac montanæ urbes præstantes sunt, in quibus Hispani colonias habent. *Quito* urbs opulenta est, incolarum numero opibusque metropolitanæ urbi fere par. *Æquatoris* lineæ ferè subjacet: nec tamen fervido, sed frigido potius cælo fruitur. Ejus ager semper virens est, & omni frugum beatitudine floret, ubi Europæi fructus mirificè aluntur, atque etiam domestica animalia. Scatet insuper auri metallis, & Mercurio vivo crocei coloris. *Cusco* montanarum urbium regina, multitudine incolarum *Regio* non cedit, fodinarum opulentia longè superior est. Hæc ante Hispanorum adventum provinciæ Reges læta sede fovebat, magno procerum & gregatiorum commercio jura hinc petentium celebrata: inter *Peruvianas* sola est, quæ faciem urbis præferat: munitissimam enim quadratorum maximæ magnitudinis saxorum molem habet, quorum permagnam copiam vicini montes immensissimis lapicidinis petentibus excidentibusque sufficiunt: indigenæ saxa eruta, & infinito labore, quum ijs oneribus trahendis vehendisque equi ac boves deessent, unum in locum comportata firmissimo egregiæ structuræ operi adhibuerunt. *Ædes* quas incolæ quondam possedere, easdè politiore paulò ornatu instauratas Hispani tenent: universa civitas magno hominum confluxu indies augetur. Regum instituto quatuor in partes, veluti in tribus dispertita est, & in harum unam severo edicto impulsæ, quicumque civitate donati aut urbem incolere velent, recipere se debebāt. Ager non frugum, auræarumque fodinarum, quarum ingens numerus circa scatet, felicitate modo gratus est: sed mitissimi aëris, auræque placidissimæ tanta gratia commendatur, ut vegetè sanèque ingressus, pristinam valetudinem non facile immutet. Agro *Cusconio* disiunctus magno satis spatio jacet ad Orientem lacus *Titicaca*, quem rapidissimus amnis in Occidentè decurrens, aquarum in magnum se spatium effluentium efficit, ac deinde veluti intolerabile onere solutus in alvei sui angustias redit. sed istuc receptus, iterumque velut ante illabentium amnium mole increfcens in alterum rursus, sed minoris quantitatis lacum prorumpit, laxatisque tantæ molis incubitu vinculis liberius excurrentes, obscuro exitu evanescit, in occultos naturæ specus subsidens, & subterraneo alvei absorpti cuniculo in pelago transmissus; quemadmodum *Alpheum* ex *Peloponeso* in *Siciliam* perlapsum olim ferunt.

Descriptio argenti-fodinarum Potosi.

Auri optimi bonitas Hispanorum & Gallorum legibus definitur ceratiorum 23. & dodrantis ceratij, ita ut si massa fuerit 192. partium, tres partes auri desint. Argenti enim ad aurum ratio toto penè terrarum Orbe duodecupla. Aurum omnino tribus

†††

modis

DESCRIPT. ARGENTI FODINARVM POTOSI.

modis invenitur: Fluminum ramentis, puteorum scrobibus aut ruina montium, & cuniculis per longa spatia terrarum actis: Quod tamen in omnibus invenitur longè est absolutissimum, ac cursu ipso attrituque perpolitum. tale est in Hispaniæ Tago, Pado Italiæ. Hebro Thraciæ, Pactolo Asiæ, Gange Indiæ. Quod è terra eruitur multa adhuc cura indiget. Qui illud quærunt, segullum tollunt, arenam lavât, atque ex eo quod subsedit conjecturam faciunt: ita invenitur sæpè in summa tellure, rara felicitate. Quod ex puteis effoditur, canalitium alij vocant, alij canaliense. Quod è cuniculis educitur arrugiam appellant. Primus hanc artem factitalse fertur *Tubalcain*, ut in sacris clarè proditum est Genes. cap. iv.

Auri Hungarici alibi mentionem fecimus. Dalmaticum prædicat Statius,

*Quando te dulci Latio remittent
Dalmata montes: ubi Dite viso
Pallidus fossor redit, erutoque est
Concolor auro.*

Similis penè argenti natura. Terra est ruffa, alia cinericia, in utraque argentum invenitur puteis effossis. Excoqui non potest nisi cum plumbo, aut cum vena plumbi, galenam vocant, quæ juxta argenti venas plerumque reperitur. Eodem tunc opere ignium descendit pars in plumbum, argentum autem superne innatat, ut oleum aquis. Ubicunque una inventa est, non procul invenitur altera. Argenti vena, quæ in summo reperitur, crudaria appellatur. Finis antiquis fodiendi solebat esse, alumen inventum; ultra nihil quærebat: sed deprehensum, etiam sub alumine æris venas interdum esse albas. Odor ex argenti & auri fodinis noxius admodum est.

Lucretius.

*Nonne vides etiam terra quoque sulphur in ipsa
Gignier, & tetro concrefcere odore bitumen?
Denique ubi argenti venas aurique sequuntur
Terrai penitus scrutantes abdita ferro
Quales exspiret scaptensula subter odores?
Quidve mali sit? ut exhalent aurata metalla?
Quas hominum reddant facies, qualisque colores?
Nonne vides, audisve perire in tempore parvo
Quam solcant? & quam vitæ copia defiat
Quos opere in tali cohibet vis magna? necesse est
Hos igitur tellus omneis exæstuet æstus.*

Neque tamen prohibuit æris corruptissimi violentia Hispanos, ne in alio orbe novum moriendi locum quærerent: Inventus est præcipuè in provincia *Ciarga* Regni *Peru*. Primum *Porco* & *Carabaya*: postea verò ad *Potosi*, decimo octavo miliari à *Villa de Plata*, quam alij *Argenteam* vocant, alij Græco nomine *Argyropolin*. Est autem oppidulum istud haud ita magnum. Argenti fodinæ uberes admodum: nam quintale unum marcas reddit argenti purissimi octoginta, quod alijs locis inauditum est. Inventio huius fodinæ Indis debetur, qui forte per loca ista iter facientes metallum deprehenderunt. Quod ubi *Argyropoli* innotuit, confestim montem placuit inter cives distribui, qui Indorum opera tantam argenti vim extraxerunt, ut ea Europæ universæ sufficiat.

Descriptio

Descriptio Regni Chili.

Chili regnum ultra Tropicum Capricorni situm est, inter *Peruviam* & *Patagonum* regionem, quarum hæc Meridiem, illa Boream spectat, ad Occasum habet mare pacificum, longo tractu. Nomen ei à frigore, quod interdum his locis tam est vehemens, ut equos cum fessoribus penitus cōstringat, & marmoris instar induret. Pluvias, fulmina, & totius anni mutationem sentit distinctis intervallis, haud aliter atq; Europæ: nisi quod illic æstas est, quum nobis est hiems, mutatis rerum vicibus. Polus Antarcticus observatur ex nubeculæ cujusdam albæ circumactione, cujus periferias centrum polum constituit. Regio omnis partim maritima est, partim montana; quæ pars mari vicinior est, ea magis calet. Magna hic pecudum & struthionum frequentia. Fructus qui ex Hispania allati hic feruntur, facile crescunt. Fluvij plerique ob indomitum frigus noctu concresecunt, interdum verò decurrunt soluto gelu. Incolis vasta & firma corporis moles, membra compacta, animus bello assuetus, arma habent, arcum & sagittas: vestem pelles ferarum & luporum marinorum. Metropolis est civitas *S. Jacobi*, colonia Hispanorum, quam illi nostra memoria duxerunt. Orientem versus terminat hanc regionem *Brasil* a quam nos copiosè describemus: ejus fluvius qui Indorum lingua *Urnaï*, Hispano verò idiomate dicitur *Rio de la Plata*, clarius hac tabula disertiusq; exprimitur. *Patagonum* regio Austrum versus protenditur usque ad fretum *Magellanicum*. In *Chica* regione ad littora *S. Iuliani* apparuerunt *Magellano* proceræ atque inusitatæ magnitudinis homines; singulis longitudo erat denum pedum. Hi sine ulla nausea sesquicubitales sagittas per guttur ad stomachi usque fundum egere, ut hoc argumento ostenderent quam essent robusti. Anno 1588. Hispani ad freti *Magellanicum* defensionem urbem condidit, quæ *Philippopolis* dicta fuit. Eam postea Angli ingressi, offenderunt colonos omnes fame encatos: fuerant autem quingenti. Itaque à re *Portum famis* dixerunt.

Descriptio Brasiliæ.

Brasilia inter duos fluvios sita est, *Maragnon* & *della Plata*. Ejus descriptio prout à *Joanne Petro Maffeo* edita est, sic se habet. *Brasiliam* paullo post *Capralis* accessum *Vesputius Emanuelis* Portugalliæ Regis auspicijs accuratius exploravit. Hæc à duobus ab Æquatore gradibus partibusve, ad gradus 45. in Austrum excurrentes, trigoni oblongam speciem refert, cujus basis in Æquatorem & Septentriones obversa, ab Oriente in Occidentem rectâ protenditur. Angulus extremus ignotas ad Meridiem regiones attingit. Latus in Orientem spectans, interposito Oceano Hesperiaë Æthiopibus objacet, alterum latus à provincia *Peruana* determinant juga montium adeò celsa, ut ipsos avium volatus fatigare dicatur, uno duntaxat, quod adhuc exploratum sit, eoque difficillimo transitu. Regio tota imprimis amœna est, Cæli admodum jucunda salubrisq; temperies: Lenium quippe à pelago ventorum commodissimi flatus matutinos vapores, ac nebulas tempestivè disijciunt, solesque purissimos ac nitidissimos reddunt. Scatet ea tota ferme plaga fontibus ac sylvis ac amnibus inclytis: è quibus (ut reliquos taceam) is quem *Argentum* vocant, leucarum quadraginta ostio in Oceanum fertur, adeò violentus, ut inde nautæ dulces hauriant latices, priusquam tellurem ex alto conspiciant. Terra partim in planitiem soluta, partim in colles clementer assurgens, felix præpinguibus glebis & riguo solo semperq; vernante, credita semina multiplici reddit fœnore;

†††

saccha-

D E S C R I P T I O B R A S I L I Æ.

Sacchari præsertim est ferax, quod cœleste donum Attico melli multis partibus præferendū, proceris arundinibus condidit natura: è quibus aquæ dulcissimus humor expressus, in ahenis excoquitur, tum formis in panes cogitur ad metæ figuram: dein rursus, ubi libuerit, eliquatus, artificii manu pigmentis ad instar ceræ varias in effigies indiscreta penè similitudine trahitur. Cujus generis officinæ, hodie, qua præsertim incolunt Lusitani, passim exstructæ visuntur: atque ex ea merce negotiatores vel maximum capiunt emolumentum: siquidem navibus quotannis in Europam evecta, maximo compendio longè latèq; divenditur: Certis etiam è plantis, quas vulgò *Copaibas* vocât, inciso per æstatem cortice, in modum balsami liquor suavissimi odoris emanat; cujus cum ad alios mortalium usus, tum ad curanda vulnera & cicatrices tollendas, mirificam vim esse perhibent. Eæ plantæ cernuntur affrictu animalium attritæ, quæ à serpentibus venenatis, aut à feris iccta, ad remedium illud ipso naturæ instinctu se conferunt. At *Zabucales* dicuntur, admodum excelsæ, magnos ferunt summa duritie calices, ore in terram obverso: & quidem admirabili naturæ solertia pyxidatim operto, ijs calicibus nuces castaneæ saporis egregij continentur, quæ ubi mutaverint, excusso confestim operculo, paulatim ipsæ per se in alimentum incolarum è calice decidunt. Sylvestria etiam sunt *Caiusia pira*, succi plena, & innoxia: itaque medijs coloribus avidè manducantur. Cæterum in imo Piro faba quædam extuberat cortice amarissimo, perdulci medulla si torreatur. Pyro refrigerandi est vis, faba calefacit. Verum ex omni genere palma tribuitur ijs, quos vulgus *Ananases* appellat. Planta est humilis, cujus è ramis veluti pinea nucamenta dependent præmollia: hæc suo tempore in frustra dissecta gratissimo simul odore ac sapore non recenti duntaxat edulio sunt, verum etiam in longum tempus adservantur è saccharo. Iam verò elati in eas regiones ex nostro orbe *Melopopones*, cucumeres, malogranata, ficus, vitæque biferae ac triferae, nec non multiformia mala medica suppetunt. Adhæc est videre complures alias pomiferas arbores, quas percensere nimis longum sit, piscesque & aves coloris eximij, & quadrupedia plurima sed ferme sylvestria, partim nota nobis, partim ignota, in quibus utique apparet, quam miris modis ac varijs divina sapientia ludat in orbe terrarum. Ex eo numero, ut pauca perstringam, apti sunt amphibij carnibus optimis ac saluberrimis: ij quod priores pedes perbreves habent, posteriores autem prælongos, tardiore sunt cursu: itaque depræhensi a venatoribus, quâ proximum est sese aquis immergunt. *Antæ* sunt etiam gentis vocabulo ad mulæ similitudinem, sed minores, & bucca tenuiore, inferiore autem labro tubæ instar oblongo, rotundis auribus, brevi cauda, reliquo corpore cinereo, eadem lucifugæ sunt, non nisi noctu ad pabulum prodeunt, ubi diluxit, in sua sese condunt latibula. Hujus belluæ carnes gustatu planè bubulas referunt. *Cotias* verò nominant, magnitudine & forma & sapore leporum: rufo colore, parvis auribus, cauda ferè nulla. Majores sunt ejusdem ferè speciei, quas *Pacas* vocant, rostro & facie felis, fulvo colore, candidis maculis interstincto: neque carne tantum, sed & corio ipso prætenere, atque ob id ipsum in delicatiores epulas expetito. Cæterum in solito spectaculo *Tatusia* sunt ad porcelli magnitudinem, corio squamatim loricato, adeò ut equi cataphracti speciem reddant: ex eo caput duntaxat, more testudinum, exerunt, pedibus contractis, specubus ferme uti cuniculi sese continent: hæc quoque carnes palato gratissimæ. Magna præterea vis tigrinum est, quæ famelicè horribili velocitate sunt, viribusque tremendis: eadem pasta (quod mirere) tanta ignavia dicuntur esse, ut à gregarijs etiam canibus confestim in fugam agantur: adeò cibi potusque satietas non homines tantum sed etiam feras enervat. Illud verò mirum in *Cerigonibus*, (id animanti nomen, buxæo colore, vulpeculæ magnitudine.) ex ejus alvo duæ dependent veluti mantice: in ijs catulos

circum-

circumferunt, & quidem adeò pertinaciter suo quemque uberi affixos, ut à perpetuo fuctu non avellantur, antequam ad partem ipsi per se progredi valeant. Valde etiam inusitata & effigie & natura est animal, quod ab re ipsa Lusitani *Pigritiam* appellant, Cerigonũ ferè magnitudine, sed rostro fœdiore & aspectu & unguibus ad digitorum similitudinem prominentibus. Huic ex occipitio coma verticem velat, lentoque ipsa ventris adipe verrit humum, neque unquam in pedes exsurgit: deniq; tam tardè movetur, ut quindecim totis diebus ad lapidis jactum continuo tractu vix procedat, victitat arborum folijs, & in earum cacuminibus degit plerumque: quarum in ascensu biduum circiter, tandem in descensu penit: neque verò adhortationibus tantum aut minis, sed ne plagis quidem fustibusve bestiam vel tantillum de insita ignavia ac tarditate dimoveas. Mirandum est etiam genus, quas *Tamendoas* vocant, vervecis similitudine, colore fusco, prælongo ac tenui rictu, neque eo ad malas diducto, sed modicè ad imum inciso: Unguibus instructa est quadrupes mirè longis latisque, nimirum ad victum faciliùs comparandum, formicis enim alitur, quarum latebras ubi crebro unguium injectu ac fossione detexerit, illico exertam trium ferme dodrantium linguam immittit exilem, opertamque formicis repente contrahit; deglutitque deceptas. Huic uti sciuro valde promissa & setosa cauda pro tegumento est, sub ea quippe ita se condit, ut nihil ex reliquo corpore prorsus appareat. Neque hæc tantum & alia indidem sylvestria, ut dixi, verum etiam nuper à Lusitanis invecata pecorum & equorum armenta planè admirabili proventu fœtificant, quo magis mirum, uberrimo agro, mitissimo cælo, tam fera & acerba esse incolarum ingenia. Nullos omnino colunt Deos, omnibus tantum & augurijs ad insaniam dediti, ariolis, impostoribusque miserandũ in modum quæstui sunt. Nudi æquè viri ac fœminæ prorsus incedunt, robusti, fluxo à vertice duntaxat capillo: nam cæteras corporis partes identidè depilant: simis uti Sinarum populi naribus, cutem omnem atro insuper succo pomi *Gemipapi* turpiter inficiunt. Præterea insertos habent inde à prima ætate deliciarum causa quidam inferiore duntaxat labro, quidam etiam facie rota prælongos nullius pretij lapillos, tetro sanè spectaculo. Gregatim peregrinantur ordine simplici, silentio miro, virũ uxor anteit. Carorum adventum circumdatis collo brachijs, appresso ad pectus capite, cum effusa comploratione altisque suspirijs primum excipiunt, viæ laborem & incommoda miserantes: momento dein siccant oculos, habentque lacrymas in potestate. Gravidis haud ita multus in partu dolor, à puerperio fœta confestim exsurgit, ac domestica obit impigre ministeria. Ejus loco (quod vix credat quisquam) in aliquot dies velut æger decumbit maritus: hic officij causa ab amicis & propinquis invisitur: huic sorbitiunculæ dantur ad refoendas vires: huic de gentis morè bellaria & delicata munuscula offeruntur. Numerandi rationem ac litteras ignorant omnes, tantum tenui quadam traditione, nonnulla de Noë, deque diluvio à patribus accepisse dicuntur: ut valde probabile sit, post dissipatos quondam divino jussu mortales, nullum huic genti cum nostri orbis hominibus fuisse commercium. Vino & frumento in hæc usque tempora caruere, sativa radice victitantes in farinam redacta, quam *Mandiocam* appellant. Sub eodem tecto, ad inversæ modum carinæ prælongo multæ simul familiæ degunt; noctu ad noxia vitanda animalia cubant in retibus supra terram suspensis: vivunt in diem, & quicquid habent in commune facilimè conferunt, nihil in posterũ solliciti. Natandi arte ad miraculum usque præcellunt, sub aquis totas interdum horas, ubi quippiam in imo quærendum est; patentibus oculis urinantur, laboris item & inedite tolerantissimi sunt, triduum integrum ubi penuria ciborum ingruerit, jejuni traducunt: idem si copia suppeditat, à primis tenebris ad lucem usque in convivijs & computatione persistunt. Recte aut perperam factis,

DESCRIPITIO BRASILIÆ

nihil post mortem præmij aut supplicij superesse arbitrantur. Qui diem suum obiêre, perinde ac decesserint, vel integro corpore, vel mancos, vel debiles vulneribusq; confoscos, descendere ad orcum putant. ergo incremata cundunt humo cadavera, addito reti cubandi causa, nec non cibarijs aliquot dierum appositis: quod persuasum habeant, & somnum interim capere, & cibo frui manes mortuorum. Captos in prælio hostes (crebra autem inter eos bella excitantur, ac sagittis præsertim utuntur) egregia multorum dierum cura saginatos, ingenti cum tripudio maectant, vorantq; tosta verubus membra, ex potissimæ Brasilijs epulæ sunt; neque si cui hoc lethi genere perire contigerit, malè secum actum existimat, quinimo ad mortem pergitalacriter ac securus, editisque contra ipsosmet percussores facinoribus, magnificè in ipso necis articulo gloriatur. Sparsis domicilijs habitant, nullo magistratu legibusve constricti. Lingua difficilis cognitu, & una ferme est omnium quotquot adhuc probe noti sunt, exceptis certarum rerum vocabulis, quæ aliter viris aliter à fœminis usurpantur. Trium ex alphabeto elementorum F. L. R. nullus apud eam gentem est usus: minime absurda quorundam animadversione, factum id esse, eò quod Fide, Lege, Rege, sicuti dictum est, careant: beneficiorum acceptorum immemores, æquè iræ ac libidinis impotentes, ad pugnas & certamina temerarij præcipitesque: ultionis & humani sanguinis avidissimi: ad summam, belluis, quam hominibus propiores sunt, quotquot mores patrios retinêt, ac mediterranea incolunt loca. Nam post illatam religionem & liberalium artium disciplinas, in vicos & oppida tributi; præsertim qui mare accolunt, ad humanitatem ac pietatē magnis laboribus excoluntur. Atque hæc *Maffei*us. Cæterum in hanc regionem Portugalenses omnes ferè attulerunt fruges ac fructus Europæos: & nunc ex ea maximam ligni rubri copiam ad tingendos pannos expetiti extrahunt, quod *Brasilium* vocant, deinde etiam gossypij & sacchari ingentē vim. Multæ verò sunt isthic Portugalensium coloniæ, in quibus complura sunt ab ipsis ad saccharum exequendum constructa ædificia, nempe *Peinambicum*, *Caput S. Augustini*, *Portus omnium Sæctorum*, ubi Episcopi & Præsidis totius Provinciæ sedes. Postremò sunt & aliæ quam plurimæ regiones in hac Meridionali peninsula, nimirum *Popayam*, in qua sunt urbes, *Popayam* metropolis, *Pastoco*, *Calli*, *Cartago*, *Antiochia*, & aliæ; *Nova Granata*, in qua *Tunia* regiuncula smaragdorū, & *S. Fides*, ubi residet Archiepiscopus, & Præses *Novæ Granatæ*. *Caribana*, in qua sunt *Dariez*, *Vraba*, *Cenu*, *Cacibana*, *Cartagena*, *Veneriola*, *Manacapina*, *Cumana*. *Paria*, quæ fuit prima regio hujus continentis à *Columbo* detecta. *Ciannamomifera* regio ab *Ortu Peruvie* adjacens, profert cinnamomum à vulgato differens. *Turcomanorum* regio, in qua sunt Hispanorum coloniæ, *Salta*, *Stero*, *S. Michaelis*, *Corduba*, *S. Jacobi*. *Patagonum* sive *Gigantum* regio, & aliæ nonnullæ, quarum quædam fœcundæ sunt, quædam steriles rerumque omnium inopes. Incolæ plerique barbari, inhospitalis, antropophagi.

FINIS.

DESCRIPTIO
INDIAE OCCIDENTALIS,

*Quis nempe Regionum ac Provinciarum singularum sit situs; quas quantasque
vel auri vel argenti opes quaque habeant, & quomodo per eas
iter institui debeat,*

AUTHORE

PETRO ORDONNEZ DE
CEVALLOS

*Presbytero, qui ipse terras hasce & loca omnia studiose
peragravit lustravitque.*

DESCRIPTIO INDIAE OCCIDENTALIS,

*Quis nempe Regionum ac Provinciarum singularum sit situs; quas quantasque
vel auri vel argenti opes quaeque habeant, & quomodo per eas
iter institui debeat,*

AVTHORE

PETRO ORDONNEZ DE CEVALLOS,

*Presbytero, qui ipse terras hasce & loca omnia studiose
peragravit lustravitque.*



Um homine ingrato nihil aliat terra pejus, & nullum execrabile magis sit
ipsa ingratitude vicium, utique muneris mei esse putavi, ne tam foedi
criminis notam incurrerem, Historiam Indiae Occidentalis publici juris
facere, ut, post lustratas singulari Dei beneficio hasce *Novi orbis* terras, bre-
vi ac fida earundem narratione gratitudinem meam testarer, nec earum rerum cogni-
tionem alijs inviderem, quas coram ipse oculis hausissem ac curiosius perlustrassem.
Quotquot in Indiam Occidentalem contendere volent, hoc sciant, portum *S. Lucar de*
Barrameda quinque à Gadibus abesse leucis, & ex alterutro horum portuum solvere clas-
ses, quæ in Indiam Occidentalem, insulasque *Cubam, S. Domingo, Havanam* aliaque *No-*
vi Orbis loca cogitant. Positi sunt portus illi in altitudine 37 graduum. Absunt hinc In-
sulæ *Canariæ* 230 leucis versus Zephyronotum, & in eas octo aut decem dierum spatio
navigari solet. Mare interjectum procellosum valdè est, propter tempestates crebrò illi
incumbentes, quin & propter vastitatem suam ac immensitatem facile in altam mo-
lem attolluntur fluctus. *Canariarum* voce septem insulas complectimur, *Canariam* nem-
pe *Magnam, Tenerife, Gomeram, Hierro, la Palma, Lancerotte & Fuerte venturam*. Quan-
quam verò prima earum *Magna* vocetur, non tamen alijs quantitate major est, sed di-
gnitate ac imperio. Maxima enim, si amplitudinem spectes, est *Tenerife*. Tres ex illis
Dominij titulo reguntur. *La Comera, Lancerotte & Fuerta ventura* Ducatus sunt. Qua-
tuor Regi parent. In magna *Canaria*, Curia, Gubernatoris ac Generalis quatuor insu-
larum capitanei sedes est, uti & Episcopi omnibus septem insulis præfecti. Aliquæ ex
illis à soli fertilitate commendantur, maximè verò *Tenerife*. In altitudine 28 graduum
positæ sunt. Olim *Fortunate insule* dictæ fuerunt.

*Vnde sol-
vant classes
ac naves,
quæ In-
diam pe-
tyunt.*

*Insula Ca-
nariæ.*

Habet *Tenerife* montem tantæ altitudinis, ut eminus è mari ad 70 leucas conspici
possit. *Pico de Tereve* vocatur.

Toto cum anno nives operiunt, & triduo ac quadriduo opus est, priusquam ad fa-
stigium pervenias, è quo aliæ insulæ vicinæ in parva quantitate spectantibus appa-
rent, licet una earum, *Hierro* nempe, magnitudine *Tenerifen* adæquet. Ex hac in-
sula eruitur omne, quod uspiam terrarum est, sulphur. Ducis de *Maqueda* imperio
subest.

D E S C R I P T I O I N D I Æ

*Arbor
mirabilis
in Hierro.*

Insula *Hierro*, licet ejusdem sit cum *Tenerife* magnitudinis, aquis tamen caret. Verum arborem habet, cui similem in nullâ totius Orbis terrarum parte reperias, supra cujus verticem suspensam semper nubem videas, quam perpetuæ in folijs, quæ parva illi sunt, sed latiora, viriditatis causam esse autumant, è quibus tanta aquarum destillat vis, ut totius insulæ indigenis potum sufficiat. A dextrâ harum Insularum parte aliæ sitæ sunt, quas *San Borondon* vocant. Hæ subinde videntur, subinde evanescunt & oculos effugiunt. Sunt qui eas calcaverunt, sed postmodum easdem quærentes invenire non potuerunt. Res profectò prodigiosa & stupenda, cujus arcani sibi soli cognitionem & causarum scientiam reservavit Deus. Insulas has fertiles admodum esse & à Christianis incolis perhibent.

Abundant septem hæ Insulæ com meatu, omnibusque ad victum necessarijs, unde major in ijs est annonæ vilitas, quam in Hispaniâ. Moribus incolæ sunt inconditis, animo crudeles. Camelorum & sacchari magna hic vis. Hinc ad classem contendimus, quæ antè *Franciscum de Noba* Generalem & Admiralem *D. Franciscum de Valverde* solverat, & postquam eundem diebus 27 tenuissemus cursum *la Deseada* insula apparuit, quæ à magna *Canaria* 830 abest leucis. Sita est *La Deseada* aliæque hic complures in altitudine grad. 15. Insulas *Dominicam* & *Matalinam* aliasque Indi incolunt antropophagi, quos *Caribes* sive *Gimarronez* vocant. nos eorum metu in terram non exscendimus, verum tormenta aliquot bellica in montes & sylvas explosimus. Milites excubias nocte agentes minus in casus omnes intenti præda subinde ipsis facti sunt. In *Matalinam* contendimus, ubi res notatu digna evenit, conspecti enim nobis in sinus cujusdam ampliore fossa angues duo tantæ crassitudinis, ut vix verbis exprimas. dum ad eos interficiendos sclopos majores explodimus, tam terribili sibilo se opposuere, ut totius insulæ indigenis terrorem incuterent. Vir quidam Hispanus nobis obviam procedens narrabat frequentes in hac aliisque insulis commorari Hispanos una cum uxoribus. Nec jam amplius antropophagos esse insulanos, propter initos nuptiarum inter Indos & Hispanos contractus, quin addebat, aliquot Indorum uxores Christianam religionem amplexas fuisse, & nullo negotio ad eandem fidem universam gentem adduci posse. Quamquam autem facile foret Regi nostro has insulas sibi subdere, aut insulanos omnes exigere, tamen hoc ut faciat consultum minimè judicat, ne hæretici hostes hæc loca mox expugnent, & propugnaculis muniant, uti in *Florida* factum.

Referebat idem, jam multis retrò annis nullos ab ijs comestos fuisse Presbyteros, nullasque fœminas. Non illos, quia accidit, ut, postquam unius laniena ferinam famem expleissent, omnes quotquot de ejusdem carnibus comedissent, crepuerint medij. Non illas, quia cum ijs congregari amant, quo prolem robustam & validam ex iisdem suscipiant.

Ab insulis *Cartagenam* octo aut decem dierum spacio pervenitur, in cujus portu classes *Terre Firmæ* convenire solent. Civitas est partim mercatu, partim navium & classium undique adventantium multitudine, partim etiam vicinitate *Novi regni Granatensis* celebris. Parent illi aliæ civitates, nempe *Mompox*, *Tenerife*, & *Tolu* Hispanorum coloniæ. Antehac imperium quoque habuit in civitates alias, *Mariam*, *la Conception*, & *S. Iago de los Cavalleros*, ex quibus postea abducti coloni, propterea quod ab Indis oborta seditione per tumultum trucidati essent, qui durius ipsos & inclementius tractaverant.

Distat *Cartagenâ* *Dominica* Insula spatio plus trecentorum milliarium. priusquam ad ostium magni fluvij *de la Madalena* perveniant, ab eo tribus leucis recedunt

naves,

naves, idque propter aquarum è faucibus fluminis magno imperu in mare excurren-
tium certissima discrimina. Hujus præfecturæ ambitus est 500. miliarium, longitudo
ducentorum & amplius. Vasti ad hanc pertinent terrarum tractus nondum expugnati.
Regio est opulentissima viris opibusque, & ad montes usque *Tolu*, *Itrava*, & *Carquana*
expaciatur. Aurum nulla copiosius fert. Propè civitatem *Tolu* montes excurrunt ad leu-
cas duas, qui arboribus, è quibus preciosissimum stillat balsamum, consiti sunt. Ex In-
dorum laboribus magnum quæstum faciunt Domini, quibus etiam obsequentissimi
sunt. Urbem *Mompox* Indi tenent, qui pro tributo com meatum sufficiunt, & *Canoas*, è
quibus ad Præfectum redit quotannis magna pecuniarum vis. *Carares* magni fluminis
è regione *Tamalame* Hispanorum colonix sedem fixere, Præfecturæ *Santa Martæ* nunc
subditi, olim civitati *Mompox*. Ut fluvium hunc magnum conscendant, convenire solent
Hispanorum mercatorum *Canoæ*, qui longis armati sclopis per viam *Armadillarum* pro-
ficisci solent. Ingens damnum *Canois* ab *Armadillis* illatum & huic Præfecturæ ac Regiæ
Curix. Verù his malis jam obviam itum, ut tuto jam commeent remeentq; mercatores.

*De Provincijs Santæ Martæ, Novo regno Granatensi, præfectura
Popayan, Territorio del Quito, ejusque Episcopatibus.*

C *Artagena* ergo discedens in *Santa Martæ* præfecturam, cujus & illa metropolis est S. Martæ,
profectus sum. Habet urbs hæc Gubernatorem & Episcopum. Una est ex quinq;
civitatibus, *Santa Martæ*, *Salamanca*, *la Ramada*, *Ilpar*, & *Tamalameque*. *Salamanca*
& *Ramada* celebres sunt margaritarum piscatura. In *Ramada* enim Nigri ex hoc o-
pere victitantes frequentes habitant. magna opum vis ex hac margaritarum piscatione
ad Regem quotannis redit. Fit ea hunc in modum: Æthiopes sive nigri conscensa *Ca-*
noas littus relinquunt, mox ex ea se in mare præcipitant & fundum (sunt enim urinato-
res) petunt, saccumque inflatum ostreis replent, quo repleto emergunt & littore
conscenso ostrea aperiunt, & quas offendunt margaritas eximunt. Urinatores alij alijs
præstantiores sunt. qui enim eorù diutius inhibito spiritu sub aquis hærent, alijs præfer-
ri solent. Cum hic essem, Capitaneum & Commendatorem generalem Indiarum, una
cum Episcopo *Sebastiano de Oquendo* offendi, qui tantam hinc margaritarum aufere-
bant copiam, quæ 10000. Ducatorum precium valebant.

Pertinet ad hanc Præfecturam magna Indorum nondum debellatorum multitudo; Novum
regni Gra-
natense.
gens fortissima, quam *Taironas* vocant, qui viribus & potentia *Chilensibus* non cedunt.
Hujus Episcopatus incluso lacu *Maracoibo* ambitus est 600. & amplius leucarum.

Novum Regnum Granatense Archiepiscopatus est, ejusque metropolis est *Santa Fe de
Bogota*. Camera hic sedes est, suoque districtu præfecturas *Cartagena*, *Santa Martæ*, &
Popayan, necnon *Tuniam*, *Mariquitam*, & *de los Musos* complectitur. Civitas est com meatu
panis, carniū & fructuum abundè instructa. Vinum ex Hispania in has oras defertur.
Aurum & argentum fert. Præfectura *de los Musos* duas habet civitates. Prior *Muso* dicta
est, è qua optimorum & preciosissimorum smaragdorum copia eruitur, longè
major, quam ex insulis *Ceilam*, *Sumatra*, & *Vicipuri de Conchincina*. Rupes hic est tam va-
sta, ut eam longo temporum decursu exhaustam iri metus non sit. Propter incolarum
paucitatem opera Nigrorum uti coguntur. Ex quinta smaragdorum parte inæstimabi-
les ad Regem redeunt opes. Ex his locis Indus quidam magni precij lapidem repperit,
qui eundem Regi Hispaniarum *Philippo* secundo obtulit, & *Clare Eugenie Austriacæ*

D E S C R I P T I O I N D I Æ

Philippi filia. Hujus precium supra omne fuit precium, nec æstimari ejus valor ab aurifabris potuit. Libertate illum alijsque muneribus donavit Rex. Asservatur hic lapis in *Escuriali*.

Pite bysso non absmile, filamenta habet, quibus in sarcinidis vestibus utuntur.

Posterior præfecturæ *de los Musos* civitas, est *la Palma*, quæ magnam *Pite* diversi generis copiam sufficit. Sita est sub jurisdictione *Tunie*. Magni hic faciunt mœnia & vallos ex terra exstructos, qui pluvia irrigati & mox glacie constricti in saxeam concresecunt duritiem. Ædificia habet ampla & splendida, nec tamen usque adeò sumptuosa. Civitas *Velez*, *Pamplona*, *Ocania*, *Merida*, *la Grita*, *Sant Iago*, *S. Christoval* & *Leyva*, & urbs in portu *Ocanie* condita, solo omnes sitæ sunt fertili & fœcundo. Pleræque earum auri feraces sunt. Indi pro tributo stragula pendunt, & dominorum agros excolunt, pecorumque quorum hic frequentia curam habent. Sunt hic, qui 2000. boves, & gregis parem numerum habeant. Jurisdictio *Mariquita* urbes numerat *Tocajmam*, *Ybagueu*, *La Santam Aguedam*, quo loci divites sunt argenti-fodinæ. Quodcunque in *Novo regno* invenitur, istic eruitur argentum. Civitas quoque *de los Remedios*, & *Zaragoza* magnam auri vim sufficit, habetque plus quam quatuordecim millia Nigrorum, qui ex fodinis aurum extrahunt, atque his laboribus victum quærunt. Portum habet *de Onda*, quo loco Canoæ convenire solent, quæ è *Cartagena lanca* magnum fluvium *Magdalena* conscendunt. magnam descendentes sufficiunt commeatu, farina, pecorum, caseorum, condimentorum, electuariorum, *Pite*, stragulorum, rudentum, caligarum, auri, argenti & smaragdorum copiam. Domum cum remeant, vina, aliaque, quæ ex Hispania mitti solent, secum adportant.

Santa Fe.

Civitas *Santa Fe*, uti dictum antè, metropolis est. Duas alias habet urbeculas, *Sumapaz*, & *Sant Iuan de los Ilanos*. Sunt in hac candidissimi vultus homines. In toto hoc Regno pagi pleræque Indorum leuca una aut altera dissident, & propter eorum frequentiam, muscas eos appellavimus.

Popayan.

Præfectura *de Popayan* istius nominis metropolim habet, aliasque urbes *Pasto*, *Almagua*, *Neivam*, *Calocoto*, *Cali*, *Bugam*, *Toro*, *Carthaginem*, *Ancernam*, *Arnham*, *Caramantam*, *Mocoam*. Aurum hic copiosè eruitur, quod copiosius erueretur, nisi Indorum & Nigrorum paucitate laborarent hi tractus. Quod si in hanc & *Antiochie* præfecturam aliunde sex aut octo Indorum millia convocaret Hispaniarum Rex, ijsque crederentur auri fodinæ, certè publico bono hoc fieret. Episcopatus *de Popayan* aliam quoque præfecturam habet, nempe *S. Fe de Antiochia*, quæ una sui parte dominio *de Mariquita*, & præfecturæ *Cartagena* contermina est. Civitas *Antiochia* urbes habet *Rodas* & *S. Iuan*. Regio montosa est, auri ferax, sed minus populosa. Episcopatus ambitus 400. leucis mensuratur.

S. Francisco del Quito.

Magna provincia *de Sant Francisco del Quito*, maxima sui parte a soli bonitate commendatur. Eadem hic aeris est, quæ in Hispania mense Septembri temperies, dies per totum annum noctibus æquales. Metropolis est *Sant Francisco del Quito*. Quæ etiam sedes est Regiæ Curia, judicis Politici, & Episcopi. Præfecturas habet has: *de Salinas* sive *Yaguarfongo*, *Sant Jago de las Montañas*, *Valladolid* & *Sania*. Auro affluit. Adhæc Præfecturam habet *de los Quijos*, civitatem *Baesam*, *Avilam*, *Archidonam*, *Sivillam del Oro*, *Loxibaros*, jurisdictionem (Hispanus *Corrigementes* vocat) *de Guayaquil*, civitatem *de los Puertos de Manta*, *la Puna*, & urbem *de Puerto Viejo*. *La Puna* fluvium habet majorem fluvio *la Madalena*, per quem merces ex Hispania *Panamam* devehuntur, uti & in *Guayaquil* & *Quito*, aliasque præfecturas & jurisdictiones. Aurum, argentum, quæque annonam concernunt, sufficit. Pertinet ad Provinciam supradictam jurisdictione *Merica*, à fluvio *Bamba*, & civitas *de Villar don Pardo*. Jurisdictione adhæc civitatis *Cuenca*, jurisdictione *de Tacunga*, aliaque

aliæque complures pagis refertæ, in quibus Hispani quamplurimi rem faciunt.

In varios Indorum pagos colonos traduxerunt Hispani, multisque eos vilis, hortis, pecorum adhæc frequentia & ovibus locupletarunt. Et quamvis harum hic sit satis magna multitudo, quatuor tamen una regalibus venditur, vacca 24, totidemque porcus castratus, capra 32, pullus equinus 16, mulus corij causâ 10. Tanta hic horum mactatur copia, ut se aliquando obstrinxerit Hispanus 16000 exuvias & pelles quotannis exhibiturum, idque in jurisdictione *Orobalo*. Pannorum varia hic adornantur genera, quæ mediocri quoque precio divenduntur. Ex hac provinciâ merces istæ in *Liamam*, *Cusco*, & *Charcas* devehuntur, quæ propter earum abundantiam vili precio venduntur. Octo panes unius pondo singulos unico regali comparare potes, eodemque precio gallinam, capum, & cuniculorum par. Duo sunt, quorum non evilescit precium; nempe Vinum Hispanicum, cujus *quartillo* octo regalibus venditur, si è Lima advehatur, si verò ex Hispania 12. Alterum quod in precio est, asini sunt, quorum unus aliquando valuit 1500 pesos, idque propter equarum ijs in locis frequentiam. Quærere vulgò solent, Quid carissimum in Quito? ad quod respondetur, Asinus.

*De Episcopatibus & Provincijs Limæ; Cuzco, Charcas,
alijsque Peruvia provincijs.*

Peruvias plurimas suo ambitu complectitur provincias easque tantæ vastitatis, ut singulæ in regnum sufficiant. A civitate *Pasto* ad *Chilen* usque Peruvia extenditur: Hujus metropolis est civitas *de los Reyes*, alias dicta *Lima*, quo loci Prorex residet, qui à Rege Hispaniarum immediatè constituitur. Erogat hic pro-Rex à *Quito* ad *Chilen* usque munia omnia & functiones publicas, præfecturas, Indorum magistratus, præturas, constituitque Iudices, secretarios, procuratores, vicarios in Indorum tractibus. Ad hæc milites mari terraque conscribit, & Admirantium, Capitaneos aliosque Officiales designat, etiam illos, qui classibus præsunt, & præfectum *de Callao*, & qui fodinarum curam habent, ex qua re magnum quæstum facere posset, si malâ fide agere in animum induceret. Sed hætenus per Dei gratiam probatæ fidei pro-Reges nactus est *Novus Orbis*, quales fuere *Don Lodovicus Velasco*, *Don Fernando de Torres & Portugal*, *Comes de Villar*, *Don Pardo* natus in civitate *Iaen*, qui familiam & sanguinem trahit recta linea ex ipsis Portugalliæ regibus. Resident in urbe *Lima* Archiepiscopus, Inquisitio, Camera, Cancellaria, & quem *Corregidor* Hispani vocant, qui ex equestri ordine esse solet. Est & hic celeberrima artium, linguarum & humaniorum disciplinarum Academia, præcipuum totius *Novi orbis* decus & ornamentum.

Memoratu dignum est, nullis in hac urbe rectis operiri domos, licet eæ amplissimæ hic sint, cujus causa est, quod pluviarum prorsus expers sit hic tractus. Nulla opulentior est in India civitas.

Sita est in Archiepiscopatu hoc civitas *Truxillo*, in planicie; adhæc *Chacapoyas*, & *Truxillo*, *Guancavalica*, è quo loco omne argentum vivum, quo in fodinis *Potosi* uti solent, eruitur. Etiam *Guamania* Episcopatus est metropolis, ad quam alia referuntur tum Hispanorum, tum Indorum oppidula & pagi.

Maximè celebris & laudatus totius Peruviae Episcopatus est Cuzcensis. *Cuzco* civitas est amplissima & ob soli fertilitatem opulentissima. Est & alius Episcopatus, cujus metropolis est *Arequipa*. Ad quæ & aliæ civitates & loca Hispanorû & Indorû pertinent.

Los

D E S C R I P T I O I N D I Æ

Los Charcas olim Episcopatus nunc Archiepiscopatus est, divisus in Episcopatus duos, *la Paz*, & *Sierra*. Episcopatus *la Paz* redditus habet adeò luculentos, ut Archiepiscopatus *S. Domingo* præstare judicetur. Continet *los Charcas* Cameram, quæ à *Cuzco* ad *Chili* usq; exspaciatur, & fluviũ *de la Plata*. Hinc ad *Potosi* usq; octodecim numerantur leucæ. Immensæ quotannis ex hoc monte eruuntur opes, quas in Hispaniam devehunt classes. Supra hujus montis cacumen suspensa perpetuo, etiam serenissimis diebus, libratur nubes, qua veluti signo ac digito abstrusos in hoc monte argenti thesauros mortalibus indicare & monstrare voluit divina providentia. In pyramidis formam assurgit mons, altitudine leucarum trium. Aëre cingitur frigido. Ad radicem ejus urbs *Potosi* jacet, quam incolunt Hispanorum viginti millia, scæminarum decem, Æthiopum ac nigrorum totidem, Indorum verò millia quatuor. Ambitu sex leucarum pasca graminea nulla reperies. Aliunde tamen importatur gramen, ligna, segetes, modo vili, modo caro admodum precio. Aditus in hunc montem & cryptæ subterraneæ tam periculosæ sunt ut eas ingressuri altaris sacramentum sumere soleant, quasi ad mortem ituri, quia pauci remeare deprehenduntur. Edicto promulgavit Comes *de Villar*, Indis omnibus veniam concedi ac libertatem has fodinas excolendi assignatis singulis pro diurno labore regalibus quatuor. Redeunt ad Regem quotannis argenti miliones octo vel decem. Quorum reddituum præcipuus autor fuit *Ferdinandus de Torres*. Provincia *Chile* Episcopatus habet duos, nempe *Chiles* Episcopatum & *de Santjago*. Regio est fertilissima, quos profert Castellanos fructus, majores profert, quam ipsa Hispania. Auri fodinas habet plurimas, ex quibus incredibilis auri copia educi posset, si ad fodinarum operas cogèrentur Indi Auracani, qui magno nostros damno afficiunt. Etiam alios præterea Episcopatus habet, nempe *de Tucuman*, & *de Paragual*. Magna regionis pars montosa est; & rupibus aspera. Commeatu omnibusque quæ ad vitæ præsidium necessaria sunt, abundat. Sic satis quoque opulenta est, & vestium preciosissimarum, gossypij, stragulorum, flammearum, & tunicarum muliebrium omnisque scæminei ornatus dives. Auri fodinas habet, sed ex quibus molestissimè aurum eruitur.

De Presbyteri hujus in Cubam aliosque tractus itinere.

A *Peru* itaque in *Chilen* profectus, in provinciam *Quito* reversus sum. Atque hinc in Hispaniam cogitans *Cartagenam* veni, unde conscensa navi promontorium *San Anton* petij, prope quod naufragium feci, uti alibi dictum. Postea in *Cubam* veni & hinc in insulas *Desadam*, *Matalino*, & *Dominicam*. *Cuba* insula portum habet laudatissimum, qui tutam à maris & ventorum injuria navibus stationem præbet. Propugnaculo munitus est, quod *el Morro* vocant, quod partim ob situm, partim ob præsidiariorum frequentiam inexpugnabile esse creditur. Longa est insula hæc 225. miliaribus, lata 37. Episcopatum habet cujus *Cuba* metropolis est. Residet in urbe *S. Christophori de la Havana* gubernator & Capitaneus generalis, quo loci classes è *Nova Hispaniâ* adventantes convenire solent. Etiam merces aliaque quæ è *Nova Hispania* mittuntur in hac urbe intra ipsam arcem asservantur, qualia sunt, aurum, argentum, *Cochinilla*, & argentum vivum. Regio est fructuum mayzi, nempe & segetum feracissima. Lignorum hic & *guachapil* est copia. Vaccarum immensa multitudo, quarum non carnes sed exuvia & tergora æstimantur. Porcos quoque nutrit plurimos, quorum delicatissimæ sunt carnes, quas etiam ægrotis præbere solent.

Pro-

Cuba Insula & urbs.

Promontorium *S. Anton*, in altitud. 20 grad. positum est. *Havana* verò in altitud. 53. Scatet hic mare balenis, & ambra quoque copiose hic inventa fuit, quam spumam & sordes balænarum esse perhibent. Promontorium *S. Anton.*

Insula *Puertorico à la Dominica* 25 leucis recedit, in altitudine octodecim graduum posita. Longitudo ejus quadraginta, latitudo viginti leucis mensuratur, ambitus verò leucis centum quinquaginta. Pecorum hic ingens numerus. Saccharum quoque, aurantia & citria mala copiose sufficit. Triticum quoque aliosque Castellanos fructus cum fœnore reddit. Auri quoque hic magna vis, sed propter incolarum penuriam non eruitur. Imo, ut quod res est, dicam, à fodinarum laboribus arcentur indigenæ, partim propter pericula molestiasque summas, partim ob Hispanorum in illos rigorem & inclementiam. Cui rei fidem facit exemplum hoc. Quidam *Cazique* sive *Regulus*, cum de adventu Hispanorum certior factus esset, convocato totius, cui imperabat, insulæ populo, oratione habita omnes credere voluit, Hispanos aurum pro Deo colere, ideoque ut collecto quisque, quod habebat, auro, in fluvium *Havanam* id omne conijceret, persuasit. Insula *Puertorico*

Adhæc idem *regulus Hatvey* dictus, omnes juramento adstrinxit, ne si vel moriendum omnibus foret, aurum proderent, quandoquidem ejus amore indigenas *Alrim*, hoc est, insulæ *Santo Domingo* extirpassent Hispani. Habet Insula hæc urbes quatuor, Episcopum unum. Tota fere horti in modum arboribus confita est. Zingiber fert. A *Santo Domingo* duodecim abest leucis, à portu verò ad portum intervallum est 80 leucarum. Insula *S. Domingo* ampla est, sita in altitudine graduum octodecim. Primum hæc in *Novo Orbe* detecta fuit, alioque nomine *Hispaniola* dicta fuit. Hinc reliquæ *Indiæ Occidentalis* partes detectæ sunt. Agros habet fructuum & satorum feracissimos, armentorum ingentem multitudinem. Quatuor hic hominum fuere mitus leucas numerat sexcentas. Flumina habet plurima & vastissima. Ambiperhibent purissimi, ab aliorum metallorum concretione secretas, easque ponderis 3000 ducatorum. Cannas, è quibus saccharum extrahitur, passim copiose offendas, uti & Zingiber & Cassiam fistulam, & pecorum frequentiam. Si indigenis hic locus esset magna auri hic erui posset vis, magna etiam comparari margaritarum copia. Panem quem dat tellus, *yuca* vocant, nos *Cazavij*. Etiam in hanc è *Terrâ Firma*, ex *Venezuela* nempe præfectura, panis importatur.

Civitas *Santo Domingo* Archiepiscopi & Camerae Regiæ sedes est. Mare hoc balænas *S. Domin-* & canes marinos nutrit. I hinc bidui itinere distat insula *Navaza* in altitud. graduum 17^o. posita, uti & alia *Jamayca*. Ex insula ista non solvunt naves, nisi observatis certis anni tempestivitatibus. Crebræ enim ventorum & quidem adversantium procellæ hæc loca infestant. Ferè in eadem est cum *Cuba* & *Havana* altitud.

A promontorio verò *de Sant Anton* rectà in insulam *Campeche* itur. Ambitus ejus est 300 leucarum, indigenæ Christianam fidem amplexi sunt. Gubernatorem habet & Episcopum. Regio fœcunda est. Mox interjectis aliquot diebus in *San Iuan de Lua* pervenitur, sive *Novæ Hispaniæ* portum, in quem viarum maris gnari gubernatores classes deducunt. In locis mediterraneis civitas *Veracruz* occurrit, mercatura celebris, quantumvis climate sita sit fervido. Hinc in *Mexicum* itur, quæ civitas amplitudine *Hispalin* superat.

Habitant in eâ cives Hispani 3000, multò plures fœminæ, Indi 200000. Fœminæ plures, *Æthiopes* sive nigri 20000.

D E S C R I P T I O I N D I Æ

Metropolis est circumjacentium & longè lateq; diffusarum regionum. Sedes est Archi-Episcopi, Vice-regis, Camerae regiae, Concilij S. Inquisitionis, aliorumque plurimorum Cœnobiorum & Collegiorum. Temperies eadem ferè quæ in *Peruvia*. Soli fertilitas par. Regio celebris est, indigenarum artium & disciplinarum capacissimi, uti exemplis docebo.

Primum enim, summo honore Sacerdotes, Monachos, aliosque regulares prosequuntur & quoties futuræ concionis signum dant campanæ, cursitantes per plateas vides Indorum pueros, crucis signo frontem munientes, qui etiam processus solennes comitari solent. E templo egressuris acclamare solent: *Benedictus sit Dominus noster Jesus Christus, Benedicta ejus mater Sancta Maria*, ad quas voces respondente Sacerdote, *In æternum*, regerunt illi: *Amen*. Etiam in templum eum deducere solent, & sacra obeunti prompti alacresque inserviunt. Eleemosynas largiuntur liberaliter. Quin mihi Missam celebranti memini datos ducatos centum. Hujus autem ordinis aliorumque qui religionis Catholicæ promotionem spectant, autor fuit *D. Martinus Cortez Marchio del Valle*, qui harum terrarum imperiam tenuit. Ferunt hunc eundem Marchionem, si quando illi occurreret Sacerdos, fixo gradu & aperto capite substitisse, nec caput tegere voluisse, nisi postquam jam præterisset. quin subinde in occursum ibat, manusq; sacerdotum osculabatur & dexteram suam genua premebat. Cujus optimos sanctissimosque mores postea imitari fuere religiosè indigenarum. Etiam qui hodie supersunt incolæ, multa se à majoribus suis de hujus Christianissimi Principis virtutibus per traditionem accepisse narrant. Quod si rogentur, a quo hos vel illos ritus moresque didicerint, respondere solent; à magno & præstanti Capitaneo *Martino Cortez*. Nec ullos ritus, quos ab hoc *Martino* acceperant, ab alijs Pro-regibus abrogari passi sunt. Adhæc summam arte imagines ex plumis adornant, & ingenij sui in ijs specimen ac solertiæ edunt. Etiam rosaria ex plumis avicularum conficiunt, intertextis artificiosè quinque mysterijs, quin & corporum formas, vultus, vestesque, ac si penicillo pictæ essent, exprimere norunt.

Nova Hispania regio vasta est & latè patens. Perhibent septuplo plura adhuc restare, nondum detecta ac cognita loca. Nostro ævo *Antonius Fspejo* detexit provincias quindecim, quæ magnitudine sua Hispaniam bis superant. Populum hic repperit legibus viventem nec ferum, vicos, oppida, civitatesque maximas, etiam domos è lapide constructas, quæ tribus quatuorve contignationibus in altum assurgebant.

Etiam ipse varijs in locis colonias fundavit, quarum opera decem provincias aperuit, quæ singulæ Hispaniam magnitudine adæquant. Nomina earum sunt: *Mexico, Mechoacan, Nova Galitia, Nova Biscaya, Guadiana, Honduras, Guatemala, Campeche, Chiata, Guayaca*. His aliæ undecim accensentur, uti & *Nova Moluca, & Nova Francia*, quæ, si volet Dominus, etiam propediem colonos accipient. Tres habet Curias regias, gubernatores, *Corregidoores* sive Indorum præfectos, natione Hispanos. In alijs locis *Algaziles* sunt sive prætores aut potius Balivi magni.

Aëris temperies hic salubris est, propter climatis temperiem, & frequentes mensibus Junio Julio, Augusto, & Septembri pluvias. Vento perflatur huic regioni familiari, qui aëris fervorem temperat & castigat.

Noctes frigidae sunt, partim ob recessum Solis, partim ob ventum provinciale.

Auri & argenti ditissima est, propter fodinarum copiam, etiam cochinillam ac byssum abundanter sufficit, quod in *Chinam* deportari solet. Vigent hic
Hispa-

hic Hispanorum cum finitimis regionibus mercimonia. Et quia uberrimum hic quæstum faciunt, sumptuosius quoque victitant. Vili precio annona comparatur.

Incolæ promissorum sunt tenaces, fidei datæ servantissimi. Quin horum exemplo civiliores redditi plurimi rapinas & latrocinia, quibus assueverant antè, detestari cœperunt. De Hispanis hoc intelligi volo, qui quos devicere Indos bonis suis spoliare solent, quanquam ultrò ijs metu majoris incommodi cedant. Narra-
bo quid aliquando *Caxique* sive *Regulo* cuidam acciderit, cui nomen erat *D. Gabrieli de Carabrial*, de *Carangue*, pago de *Otabalo*. Quærebat hic præsentibus *Gardiano* istius pagi & me alijsque Sacerdotibus & laicis, ex Capitaneo *Petro de Lomelin*: Domine quamdiu duravit direptio & vastatio præcipuarum *Novi Orbis* civitatum? Respondit ^{Sensu ob-} ille, octo aut decem dies. Ad quod ille, tam breve tempus? inquit. ^{scurior.} Quamdiu ergo Hi-

spani Indis cohabitabunt? centum & amplius annos.

Tanta hic est pecorum multitudo, ut unus sæpissimè mactet decem mille boves, totidemque hircos, quorum tergora in Hispaniam mittunt. Pascua vastissima sunt, quæ tot armentis alendis sufficiant. Multum hic tritici Hispanici, Mayzi aliorumque fructuum, qui ex Hispania huc advecti sunt, crescit.

Arborem hic reperias *Magucy* sive *Cabuyam*, quæ plurima eaque diversissima supeditat, nempe vinum, acetum, mel, stragula, fila, cujus foliorum acumina sive sentes acus ad farciendas vestes officium præbent, ex cujus quoque ligno cultrorum capuli & mensæ conficiuntur, ut medicinales ejus vires, quas varias & insignes habet, præteream.

Integra historia conscribenda foret, si ea omnia, quæ in *Nova Hispania* naturæ miracula spectantur, recensere velim. A magna urbe *Mexico* ad portum usque *Acapulco* leucæ numerantur nonaginta, qui totus tractus incolis frequens est & tranquillam ijs habitationem concedit. Portus iste mare Australe spectat, sicuti *Sant Iuan de Lua* Septentrionale, in altitudine graduum 19.

De Peruvix regno, Chili, alijsque Provincijs.

Civitas de *los Reyes*, alio nomine *Lima* dicta, in altitudine duodecim graduum ^{Civitas de} posita est. Metropolis est *Peruvia*, in quâ Camera Regia residet, Pro-Rex, Con-^{los Reyes.} cilium Regium, Inquisitio, metropolitana Ecclesia & Academia. Pro-^{rex} præses est hujus Curix, adhuc Gubernator & Capitaneus generalis hujus territorij, uti & *de los Charcas* & *Quito*, ad quem cura etiam belli pertinet, gubernatio ipsa & muniorum distributio. Salarium habet quadraginta mille ducatorum, & belli sumptus ac Officialium Reginum stipendia ex ærario Regis *Philippi* solvuntur.

Habet Camera & Cancellaria *Lime*, Iudices, Balivos, Fiscales duos, rationibus quoque regijs Præfectos, aliosque Officiales. Territorium *Lime* ambitu suo continet leucas trecentas. Suffraganeos habet Episcopos, *Cuzco*, *Quito*, *Panama*, *Chiles*, *Nicaragua*.

Duabus à *Lima* leucis in planitie portus est *de Callao*, totius maris Australis præcipuus, ubi Pro-reges morari solent ad expediendas classes, quæ regios thesauros in Hispaniam transferre solent. Magna in hunc portum undique navium mercatus causa fluit multitudo.

D E S C R I P T I O I N D I Æ

La Plata. In civitate *de la Plata*, quæ in provincia *de los Charcas* sita est, sedes est Camerae & Cancellariæ, quam Præses, Iudices, Fiscales aliique Regij Officiales constituunt. Cathedralē quoque habet Ecclesiam, Archiepiscopatum, Decanum, & Capitulum quod vocant. A *Charcas* ad *Limam* usque leucæ numerantur 300.

Cum autem opulentissimus sit Episcopatus *de los Charcas*, redditus habens annuos peforum triginta mille, visum fuit Regi approbante Pontifice, eundem in tres Episcopatus partiri, *los Charcas*, *Chuquiago*, & *Santa Cruz de la Sierra*, divisis quoque hunc in modum redditibus, ut *los Charcas* quindecim mille pefos, *Chuquiago* decem mille, ac Episcopatus *de Santa Cruz de la Sierra* reliqua quinque haberet. Episcopatus *de los Charcas* Archiepiscopatus titulo insignitus est, suffraganeosque habet *Chiquiaco*, *Santa Cruz de la Sierra*, & *Tucuman*, & *Rio de la Plata*.

Potosi urbs. Urbs *Potosi* ab urbe *de la Plata* octodecim abest leucis, quæ ad radicem celeberrimi istius montis sita est, è quo ingentes argenti opes antehac erutæ sunt, & etiamnum eruuntur, licet magno labore & periculo, cum abstrusa in ipso monte centrum versus ad 200. stadiorum profunditatem lateant metalla. Frequentes hic habitant Hispani & Indigenæ. Ante hac eò ad effodienda metalla absque ullâ mercedis retributione se conferre cogebantur Indi. Verum postquam concessa unicuique libertate suâ mercedem operantibus assignavit Comes *del Villar*, *Don Pardo*, majores ex hoc monte ad Regem redierunt opes ac thesauri.

Ut autem labores felicius succedant, & argenti massæ facilius tractari ac subigi possint, oportuna valde est pluvia, quæ circa Festum Nativitatis Dominicæ ex hoc monte labitur, quò aquarum decursu officium suum rectè faciant Metallorum molæ. Atque hoc quidem tempore huc se confetre solet Præses *de los Charcas*, aut Iudicum aliquis, ut ad Indorum operas attendat, quo parata omnia sint & expedita mensibus Februario & Martio, & in *Limam* transvectari possint. Ideoque ad duo attendendum Præsidi. Primo ut pluviarum & aquarum oportunitatem captet. Deinde ut argenti vivi accuratam habeat rationem, cujus beneficio major argenti vis habetur, quam si eo destituantur. Horum neglectu accidit interdum, ut seriùs parata essent omnia, ideoque necesse haberent majori labore & molestia partim terrestri itinere, partim mari transportari, & transmissa è portu *de Arica*, ad *Callao de Lima* usque transvehi, hinc *Panamam*, *Panama* ad *Puerto Belo*. quo loci classes Regis merces omnes & regias gazas excipere solent.

Fodine Oruto.

Guacavelica.

Sita quoq; est in de provincia *de los Charcas* civitas *Sant Philippe de Austria*, quæ aurifodinas habuit Ingarum tempore, quæ hoc sexennio excultæ sunt & effossæ opera & studio *D. Emanuelis de Castro* & *Padilla* iudice *de los Charcas*, quo munere nunc in civitate *Lima* fungitur. Magnam hic argenti vim eruit, quod tamen argenti vivi penuria magna sui parte à reli quorum metallorum concrezione vindicari, ac purgari non potuit. Alij hoc factum aiunt, ne fodinarum de *Oruto* celebritas incolas *Potosi* huc invitaret.

Sita etiam est in *Lima* districtu *Guacavelica*, quo loci opulentæ ac divites sunt argenti fodinæ, ex quibus quotannis extracta sunt octo mille quintalia. Quidam tamen montes collapsi fodinarû cuniculos obstruxerunt, maximo totius *Peruvie* damno. Verum *Marchio de Montesclaros* ingens quod imminabat damnum ad animum propius revocans, huic malo omnibus modis & studijs obviam ivit, ut copiosè hic jam rursus eruantur metalla & pristinæ integritati restitutæ sint fodinæ.

Civitas Quito.

Civitas *S. Francisci del Quito* sub Æquatore jacet, solo fertilissimo, & mira aëris temperie, trecentis à *Lima* leucis. Sedes hæc est Cancellariæ, quæ præsidem, fiscalem aliofque regios Officiales habet, adhæc Cathedralē Ecclesiam, Episcopum, Decanum, Capi-

Capitulum, & studioforum seminarium. Territorium hujus Curia ad ducentas & sexaginta leucas exporrigitur. Prope urbem montes sunt plurimi ardentis. Nulla hanc regionem affligit fames, ideoque augetur indies ac accrescit incolarum multitudo.

In civitate *Santa Fe de Bogoto*, in Novo Regno Granatensi Cancellaria est, cui præ-^{Santa Fe de Bogota.} est gubernator & Capitaneus generalis, cujus est, ad eaque politiam, juris administrationem, & munerum ac beneficiorum collationes concernunt, attendere. Iudices ad hæc, balivos, fiscalem, janitorem magnum, aliosque officarios habet. Sedes adhæc est Metropolitanæ Ecclesiæ, Archiepiscopi, Decani & Capituli. Clima hoc peculiare est, multis obnoxium dissensionibus & primatum dissidijs. triginta & amplius annis in hac Camera nulli præfectorum visi sunt, nisi vel mortui, vel vineti, aut publica aliqua notari infamia. Constituit verò Senatus, ut diligenter in hujus Camerae res inquireretur, missis eò varijs delegatis, verum re infecta reversi sunt, propter incarcerationes crebras & frequentia latrocinia. Districtu suo continet magnum fluvium *la Magdalena*, è quo Cartagenam proficiscuntur, & per quem merces in penitiores ac mediterraneos tractus vectæ hac illac diffunduntur. Auri & argenti fodinis locuples est. Regio est temperata, & in qua vilior est annona. In provincia *de los Musos* (maragdorum fodinae) reperiuntur. Suffraganeos habet Episcopos *de Popayan, Carthagenæ, & Santa Marta*. Civitatem istam expugnavit & colonis instruxit, uti & totum *Regnum Novum Granatense*, Archithalassus *Don Gonzalo Ximenes de Quosada*, natione Granatensis.

In regno *Terra Firma* civitas *Panama* occurrit, sedes Cancellariæ, in quâ Præsidentem agit ^{Panama.} gubernator & capitaneus generalis. Iudices habet, qui ipsius Curia sunt *Algaziles* (*provoosten*) Fiscalem, regiosque officiales. Cathedrale habet templum, Episcopum, Decanum & Capitulum. Regionis temperies calida est & humida. Ejus littora ferit mare Australe. Atque hinc è Peruvia advectæ merces ac thesauri in *Portobelo* transvectantur, ubi classium solet esse statio. Inter mare Australe & Septentrionale interjecta terre spatia octodecim leucis mensurantur, viaque quæ per hunc Isthmum ducit, molestissima est & penè invia. E *puerto Belo* Carthagenam abeunt classes, hinc *Havanam*, hinc in Hispaniam.

Civitas *Cartagena* in *Terra Firma* sita est. Primum hic ex Hispania adventantes classes, ^{Cartagena.} appellunt, mercesque suas, quæ non Cartagenæ solum sed & per universum Novum regnum Granatense distrahuntur, exponunt. Resident hic gubernator & Capitaneus generalis, qui ad civitatis securitatem præsidium hic habet milites. Cathedralem habet Ecclesiam, Episcopum, Decanum, & Capitulum, Iudices, regiosque Officiales. Habitata est regio ad leucas 1200. ad Chilen usque.

Insula *de la Havana*, quæ alio nomine *S. Jago de Cuba* vocatur, trecentis leucis mensuratur. ^{la Havana.} Gubernatorem habet, Capitaneum generalem, officiales regios, militem, & propugnacula munitissima. Adhæc Ecclesiam Cathedralem, Episcopum, Decanum & Capitulum. In portu hoc convenire solent totius Indiae classes, sibi que de com meatu alijsque ad iter necessarijs prospiciunt. Solet autem iter hoc confici duobus mensibus, nisi fortè in *Terceram* excurrere ac deflectere libeat. Triginta à *la Havana* leucis *Canalis de Bahama* incipit, in quo maris æstus rapidissimus est & navigatio adversantibus ventis periculosissima. Ab alia parte *Florida* jacet, quæ gubernatorem militesque habet.

Insula *de S. Domingo*, quam *Hispaniolam* vocant, Cancellariam habet, cui præsidet ^{Hispaniola.} loci gubernator & Capitaneus generalis, qui hanc ipsam insulam milite præsidario arcibusque munitis tuetur. Iudices quoque habet regiosque officiales, Ecclesiam metropo-

D E S C R I P T I O I N D I Æ

tropolitanam, Decanum & Capitulum. Suffraganeos habet Episcopos *la Havana*, *Puerto Rico*, & *Venezuela*. Regio calida est, & indigenis prorsus destituta. Opera & ministerio Nigrorum utuntur. Angli & Belgæ indigenas hujus insulæ captivos auferre solebant, cui malo longo annorum decursu obviam iri non potuit, donec visum fuit indigenas aliò transferre.

Chili.

Regnum *Chiles* amplissimum est. Pauci hic sunt Hispani, si Indorum conferre velis multitudinem, qui continuis bellis tam dextrè arma, gladium nempe & hastam tractare didicerunt, ut nec Hispanis nec Belgis cedant. Equitum habent magnam copiam, quorum sex aut octo millia unam turmam constituere solent. Camera præsidem habet, & regios officiales. Episcopatum habet geminum, Vnum in civitate *Sant Fago*, alium in civitate *la Conception*. Qui Chilensib. subsidio mitti solent, invitati ac coacti eò abeunt, cum redire ipsis non liceat, & stipendia vix accipiant. Regio hæc pauperrima est, ut vix alendis incolis sufficiat. A multis hostibus impetitur, quibus arcendis vix par est. Mari Australi & Fretum Magellanicum terminatur. Qui Fretum hoc transire solent piratæ multis suorum desideratis in *Chilen* ad corporum refectioem appellunt, & quia itinere confecti sunt, obviam quæque vastant, spoliant, & diripiunt.

Tucuman.

In provincia *Tucuman*, quæ ad territorium Camerae *de los Charcas* pertinet, resident Gubernator, Capitaneus generalis, & Episcopus. Cathedrali quoque Ecclesia celebris est. Regio est inculta & pauperrima. Per eam curru iter confici solet. Vna sui parte *Chile* contermina est, alterâ verò fluvio *de la Plata* & *Buenos ayres*.

Rio de la Plata.

Provincia fluminis *de la Plata*, alio nomine *Buenos ayres* dicta, gubernatorem habet & Capitaneum generalem, Cathedrali Ecclesiam, Episcopum, & Officiales regios. Portus *del Rio de la Plata* mare Septentrionale respicit, & in illud excurrit, multisque è *Lisbona* & *Brasilia* advenientibus navibus frequentatur. Brevissimo tempore è *Lisbonensi* flumine in hunc fluvium trajiciunt, & ne Indica commercia damni quidquam patiantur, alijs navibus eò mercatus causa proficisci non licet. Distat tractus *de la Plata* à *Potosi* & *los Charcas* quadringentis miliaribus, *Chile*que conterminus est. Ab ejus portu in *Fretum Magellanicum* itur. Major est fluvius hic *Nilo*. A parte ejus Australi regiones jacent, quæ ad Fretum usque excurrunt, & loca à gigantibus habitata.

Santa Cruz.

Habet & provincia *Santa Cruz de la Sierra* gubernatorem, Capitaneum generalem, & Episcopatus *de los Charcas*, uti dictum supra, partem. Sita est in confinijs Indorum, cum quibus perpetuo belligeratur, quorum quidam *Chiriguanaes* Indi, alij *Moios* dicuntur, qui trans *Cordilleras* habitant. Nulla hic adhuc fundata est Cathedralis Ecclesia. Incolæ, quia continuis bellis vexantur, pauperrimi sunt.

Popayan.

Præfectura *de Popayan*, quæ inter *Quito* & novum regnum *Granatense* jacet, gubernatorem habet, Capitaneum generalem, Cathedrali Ecclesiam, Episcopum, auri fodinas, & indigenas rariores. Sita est in confinijs Indorum *Piraos*, cum quibus bella gerit.

De regimine Indiarum in genere.

DVplex in India hac Respublica conspicitur, Vna Hispanorum, altera Indorum. Prior eundem, qui in Hispania viget, observat politiæ ordinem, & quæ ad regimen spectant, provinciarum, curat, utens operâ & ministerio Indorum. Etenim Hispani hic loci nec aratro terram scindunt nec fodinas ipsi excolunt, præcipuè in ijs locis, in quibus

quibus nobiles & quasi equestris ordinis viri audiunt. Imò vix hic ullum invenias Hispanum adolescentem, qui in alicujus se, præterquam Pro-regis, ministerium addicat. Verum cum mercatoribus agunt, & officinas aperiunt, in quibus edulia vestesque Hispanorum more confectas divendunt. Etiam redivitibus regijs, ac præsidarijs militibus præficiuntur, uti & fodinarum fossoribus. Vbi verò rem fecerunt, in Hispaniam, si volent, remeant, & ad capeffenda munia dignitatesque promoventur.

Altera Respublica Indorum est, qui Catholicam religionem & sacrosanctam Evangelij doctrinam amplexi sunt, ad verbi divini auditum se conferunt, & quæ cultum divinum concernunt religiose observant, idque Episcopi aliorumque religiosorum opera & studio. Quanquam verò communi in hoc Regno utantur lingua, nempe Ingarum, quæ in his locis familiaris est incolis, uti inter nos sermo latinus, tamen & illam & singularum provinciarum propriam callere debent doctores, & qui sacra hic obeunt Ecclesiastici. Et sicut provinciarum in Novo orbe infinitus est numerus, ita & linguarum.

Indi abjecto sunt animo, pusillanimes & degeneres, ut mirum sit præclari aliquid ab ipsis præstari. Dies festos, Sacramenti, Paschatis, & *S. Iohannis*, saltationibus, musicæ cantu & processibus, celebrant & in templis, quæ ad festorum solennitatem faciunt, religiose & studiose observant. Die Iovis qui Pascha præcedere solet omnes castigantur. In observandis fraternitatibus seduli satis sunt. Quin die certo bonorum omnium suorum & possessionum, quas vel domi vel in agris habent, rationem reddere coguntur. Mortuos suos cum sepeliunt missas celebrari curant.

In universum ingeniosi sunt, mendaces, & potatores strennui. In locis secretioribus ac diverticulis convenire solent ad bibendum, in quibus dies tres, quatuorve, interdum septimanam inegram bibendo & commessando tranfigunt. Germanos gulæ intemperie vincunt. Valde in corrigendo hoc Indorum vicio laborant Magistratus. Eodem quo Æthiopes modo convivium sua celebrant, per aliquot dies genio indulgentes, & cantu choreisque alij alios detinentes, Atque his ritibus se pro mortuis orare dicunt, sed meo iudicio carni ac gulæ turpiter litant, & in certissimum discrimen valetudinem suam adducunt.

Commessationum verò finem non faciunt, nisi absumptis ijs quæ in lucro habebant reposita, nec antè ad labores ordinarios redeunt, nisi ubi quod profundant, non habent, aut ad operas intermissas à Dominis suis adigantur. Quas didicerunt artes magna industria & solertia excolere ac tractare norunt, etiam si scribendum aut legendum sit, quod tamen discere ijs non conceditur. Inter Indos vivunt Indo Hispani, *Nigri* & *Mulata*, qui pessimè hic habentur.

Tenentur quotannis Indi Præfectis suis pendere certam argenti mensuram aliarumque rerum tributum, ad quod tenentur quotquot decimum octavum annum excesserunt, nec quinquagesimum adhuc superarunt. Redeunt hæc tributa ad Commendatorem, cui in duas vitas hoc beneficium conceditur, ea lege, ut ex iisdem redivitibus alat Presbyterum, & quem *Corrigidor* vocant, decimasque Ecclesiarum solvat.

Quæ quisque in India obit munia, in duas vitas obit. Primum enim quoad munere fungitur beneficijs fruitur. Secundo filij aut filia nati maximæ, post obitum parentum iisdem gaudent. Et si uxore careat, exacto biennio ad Regem devolvitur dignitas. Cujus nomine alius dignitate ista per provisionem fungitur, donec iusto titulo surrogatus fuerit alius, idque à prorege alijsque gubernatoribus & Capitaneis generalibus, nisi forte ab ipsa Curia constituentur. Rex & concilium in plures annos munia interdum

con-

D E S C R I P T I O I N D I Æ

conferunt in filios. Contractus & negotiationes *Corrigedorum* inter Indos legibus rigidis vetitæ sunt, cum conversionem ac institutionem Indorum non parum remorentur, utpote qui negotijs occupati *Corrigedorum* proprias res negligunt, usque adeò ut solvendis tributis non sint pares. Pro-reges & Concilium leges ac edicta formarunt, quæ se observaturos juramento promiserunt.

Constitutum quoque est in omnibus Curijs, ut quotannis Iudex aliquis in territorium suum ac districtum mittatur, qui Indorum loca, ac in quibus habitant vicos visitet, & num tributa sua pendant, num per facultates luculentiora pendere possint, inquiret, utque communi omnium gravamini occurrat, ne superstites pro mortuis solvere teneantur, præsentibus pro absentibus, senes pro junioribus. Adhæc, ut obortas inter Indos & Hispanos controversias decidat, & quæ ratione instituti sint, ac in graviter prævaricatos animadversum cognoscat. Mittere solet Pro-rex, qui quid agant Indi sciscitentur. In Camera verò *del Quito* districtum misit Marchio *de Montes claros*, *Don Diego*, *Vaca de Vega*, virum singularis ingenij & prudentiæ.

Magnus in India est Hispano-Indorum numerus, qui ex Hispano patre & matre Indâ nati per hos tractus inopes & omnium egeni vagantur, nec ad ullas artes mechanicas addiscendas animum adjiciant.

Cum autem oia dent vitia, ac peccandi comæatum hominibus faciant, non parum ad hujus Imperij felicitatem conduceret, si illi ipsi erroneis auctoritate magistratus ad labores compellerentur, aut ad stivam ac rastra, aliaque officia ablegarentur. Constitutum est à Rege, ut Indi quibus stipendia aut pro præstitis officijs merces salariumque debetur, id ipsum à Curijs per Fiscalem petant, exhibitâ operarum suarum & impensi laboris declaratione. In quo casu Curia officium erit inquirere diligenter in horum munia, ac merita, quæ Curia rem omnem ad Concilium Indicum perscribit, & tandem ex Concilio Regis præmia bene meritis rependit.

Qui ex Indiâ in Hispaniam trajciunt, quod prætendant, habent. Partim enim terrestri partim maritimo itinere 3000 leucas conficiunt, magnis impensis, & ob aeris varietatem ac maris tempestates maximis periculis objecti.

*Numerus
Doctorem.*

Concilium in civitate *Lima* celebratum Anno 1583 Sessione tertia capite 22, à Pontifice & Rege nostro approbato, decrevit, ut quibuscunque in locis cœtus Indorum reperiuntur, mille hominum numero constantes, ijs doctor ac Presbyter præficeretur, quod in varijs observatum hæctenus provincijs.

Solent Indorum Presbyteri religiosos plurimos sumptibus Regis secum adducere. Quin ex consilio Episcoporum Supremum Indiæ Concilium patribus Iesuitis imperat, ut plurimos eò religiosos mittant, quoties classes solvunt, cum ad sublevandos Episcoporum labores eorum præsentia quam maximè opus sit, in tam ubere ac fecunda Evangelium indies amplexantium Indorum messe.

De Episcopatibus alijsque negotiis politiam concernentibus.

*De redditibus
Ecclesiasticis.*

Reditus ac decimæ Episcopatum, in quatuor partes dividuntur, quarum prima Episcopo cedit, secunda Decano & Capitulo, ita quidem ut Decanus 150 sibi habeat, & qui dignitatibus funguntur 130, Canonici verò 100. Tertia & quarta pars in novem portiones (*Novenas* vocant) subdividitur, quarum duæ partes ad Regem redeunt, & in Cathedralium Templorum structuras impenduntur, nona verò & dimidia pars in fabri-

fabricas, alia nona pars cum dimidia in Hospitalium ac Xenodochiorum exstructionem, reliquæ quatuor de novenarum summâ, Vicarijs Cathedralium Ecclesiarum solvuntur, cantoribus, Organistis, alijsque templorum ministris. Quæ supersunt in fabricas impenduntur. Atque hæc omnia ex præscripto Episcoporum erogantur. At meo quidem iudicio utilissimum foret, si Episcopatus singuli Seminaria ac Collegia haberent, in quibus *Caziquarum* sive Regulorum alijsque primorum filij educarentur, qua in re optimam operam navare possent patres Iesuitæ. Reditus ad hoc necessarij, ex Indorum pagis aut ab ipsis *Caziquis* peti possent.

Amplissimi sunt Episcopatus *del Cuzco*, *Lima*, & *Quito*, longè lateque diffusi, viasque habent impeditas valdè, ut à Prælato difficulter transiri possint. Episcopatus *del Cuzco* longitudinem habet leucarum 200, latitudinem 70. Episcopatus *Lima* altera parte major est, uti & Episcopatus *del Quito*. Ideoque Episcopi *Novi Orbis* Regi Hispaniarum scripserunt, utilissimum sibi videri, si in minores Episcopatus dividantur, quorum singuli tamen sibi servabunt 20000 pesos. Sed quia hæc rempublicam & politiæ ordinem concernunt, monuisse & attigisse sufficiat.

Cum divino jure exigantur agrorum decimæ, non solum ab Hispanis in Indiâ viventibus exigi debebant, sed & ab Indis ipsis, quæ res quam maximè faciet ad promotionem cultus divini, & Ecclesiarum conservationem, amplificationemque.

Concilia sive Synodi provinciales in Peruviâ ut plurimum celebrantur singulis septennijs, ad quas Metropolitanus alios Episcopos convocat, qui partim terrâ partim râ partim mari se in viam dant, & subinde 400, ac 600 leucas conficiunt, priusquam ad destinatum locum perveniant, contemptis viarum, quæ currus non admittunt, difficultatibus, alijsque periculis.

In quibusdam Indiæ locis Academies erigi quidam postulaverunt, quod maximè urfit Episcopus *del Quito*, hac de causâ, quod trecentis à *Lima* abesset leucis, vastissimaque terrarum spatia ambitu suo complecteretur, & quidem speciatim provincias ac præfecturas, quæ inter *Quito* & *Terram Firmam* ac *Novum regnum* positæ sunt. Accedebat & hæc causa, quod regio hæc saluberrimo aere frueretur, studijsque esset aptissima, ac com meatu omni afflueret. Quod si tamen omnium facultatum professionem impetrare non posset, Grammaticæ saltem, artiumque liberalium, Theologiæ, casuum conscientiæ & linguæ Indicæ sibi publicam professionem concedi, petijt, quarum omnium disciplinarum Professores ac Doctores 4000 aut 5000 mille ducatis annuis ali possent.

Cum Peruviæ imperium teneret *D. Franciscus de Toledo*, potestatem à rege accepit, tam pacis quam belli temporibus quibusdam conferendi honorum certa insignia, ac certum vestimenti genus, quod *habitos* trium ordinum vocant, quia primariæ urbes *Lima*, *Quito*, *Cuzco*, *Charcas*, *la paz*, & *Potosi* aliæque, hoc factitant, ut honorum incitamento alij ad res præclaras gerendas excitentur.

Ecclesiasticos quod attinet, sunt inter eos viri doctrina & virtute eximij, qui se totos Indorum institutioni dare solent. Et quanquam à gente tam barbara & rudi vix quicquam bonæ frugis sperari posse videatur, & minus idonei ad capeffenda studia esse credantur, tamen longè aliter se res habet, uti testantur illi, qui *διονοτοι* sunt & cum Indis quotidie familiariter conversantur, nec dubium est, quin plurimi viri eruditi ac doctrinâ insignes partim è suggestu in templis, partim in scholis doceant.

D E S C R I P T I O I N D I Æ

De amplitudine & opibus Novæ Hispaniæ & Christianismi in eadem incrementis ac successibus.

De Novâ Hispania. **D**E *Novâ Hispaniâ* dicturus, hoc scire velim lectorem, indigenas ejus Peruanos ingenij dexteritate ac solertia superare, quod varijs experimentis ac indicijs comprobatur. Exemplo solummodo sint imagines ex plumis avium diversi-coloribus confectæ. quæ artificiosa eorum manu ita disponuntur, ut vultus ac ora hominum ad vivum exprimant, ac si penicillo depictæ forent. Tanta hujus imperij est vastitas & amplitudo, ut mirum sit tam paucâ Hispanorum militum manu eam subigi potuisse, qua in re perspecta est *Ferdinandi Cortezij* fortitudo bellica, & in Deum ac religionem pietas. Iisdem, quibus civitas *Lima*, etiam *Mexicum* dotibus excellit, quanquam triplo illâ major sit, licet opibus non adeò locuples. Prorex & Curia regia illius ditioni præsumt. Alias Hispanorum civitates sibi subditas habet, uti urbem *de los Angelos*, aliasque. In multas leucas exspaciatur, plurimasque provincias ambitu suo continet, quarum principales sunt: provincia *de Mexico*, omnium præcipua, *Honduras*, *Campeche*, *Chiapa*, *Guajaca*, *Mechoacan*, *Nuevagalitia*, *Nueva Vizcaya*, *Guadima*, *Guatemala*, quæ omnes soli fœcunditate celebres sunt, incolis frequentes, & annonæ copia abundantes.

Guatemala. *Guatemala* sedes est Camera, cujus præses gubernator est & capitaneus generalis, Indis imperans, cujusque judices *Algaziles* sunt. Regios adhæc habet Officiales, Episcopum, Cathedralē Ecclesiam, Decanum & Capitulum. Continet hæc provincia & suum & alios adhuc districtus. Soli bonitas commendatur. Annona quoque hic vilior, uti in *Mexicano* tractu.

Galisco. In *Galisco* Camera est regia, præsidem habens & Capitaneum generalem, judices, Episcopum, & Cathedralē Ecclesiam.

Præfecturæ *Jamaicæ*, *Veraguæ*, & *Nicaraguæ* aliæque Gubernatorem habent & Capitaneum generalem, ærarium regis & Officiales, ad eandem quam habet præfectura de *Popayan* formam. Fodinas habet auri, argenti & aliorum metallorum. Non minus frequens est incolis *Novâ Hispaniâ*, quam *Peruvia*. Magna Christianorum hic vivit multitudo, plurimique adhuc detecti sunt tractus, sed nondum in provinciæ formam reducti. Media ferè sunt septem, quibus horum regnorum status conservatur, quorum caput est fides Catholica. Sunt autem illa; Bellum sive arma, Reditus, prudens gubernatio, Iustitiæ vigor, Honoraria, favores & jura patronatus.

De Concilio Indico. In Concilio Indico omnia illa ventilantur, quæ distincta ad hanc vel illam Curiam pertinent, cum in India Curia omnes parem habeant & æqualem potestatem. Quin etiam illa, quæ ad conservationem, amplificationem, securitatem, incrementum *Novi Orbis* & provinciarum faciunt: uti sunt *Novarum Terrarum* expugnationes, *novarum legum* formationes, *redituum* continuatio, *agrorum* cultura, & quæ sunt alia. Etiam in eodem Concilio agitur de rebus bellicis, formandis exercitiis, conscribendo milite præsidario, de Admiraliorum, Magistrorum *del Campo*, capitaneorum aliorumque sive terra sive mari militantium Officialium electione, de propugnaculorum ac classium comitantium ac remeantium securitate, de gerendis cum Indorum gente bellis, qualia adhuc geruntur in regno *Chiles*, Præfectura *de Santa Cruz de Sierra* cum finitimis Indis, *Noios* & *Chiriguenaes* aliisque trans *Cordilleras* habitantibus, etiam in provincia *smaragdorū* & *Cucumbios* & *Quito*, inque,

India

India *Papaos*, præfectura *Popayan*, alijsque locis, in quibus Indi *Cerribes* maritima loca navibus infestantes degunt.

Reditus quod attinet, illud certò constat, quotannis ex India Occidentali ad Regem redire decem ac duodecim milliones, idque speciatim ex auri, argenti, margaritarum smaragdorum, pellium, sacchari, cochinillæ, lignorum, sarzæ, zingiberis, aliarumque rerum proventu. *De Redi-
sibus.*

Decem modis hi reditus colliguntur, aut potius ex decem capitibus procedunt: Ex quintâ auri & argenti: ex magnis fusionibus; ex vectigalibus ac portorijs: ex tributis Indorum: ex officijs sive muneribus venditis: ex *Cruzada*: ex tributo redituum: ex argento vivo: mulctis Camerarum: & nonâ parte redituum Ecclesiasticorum.

Regimen Indiarum quod attinet, ejus quoque cura ad Senatum Indicum pertinet. Nam quæcunque hic geruntur res aut Ecclesiasticæ sunt, aut Seculares, maxima hic negotiorum occurrit moles, sive variæ multorum legendæ sint litteræ, sive formanda edicta, sive concedendæ provisiones, quas vocant. Et quia edictorum accrescebat supra modum numerus, jamque displicere hic cœperat, decretum à Senatu, ut ea omnia in unum corpus colligerentur, uti in Castilia factum. Et quanquam *N. de Eurinas* rem hanc aggressus sit, nihilominus quatuor libris summa diligentia & studio conscriptis hoc ipsum argumentum tractabit *Licentiatus Zorilla*, judex de *Quito*. *De regi-
mine.*

De ijs, quæ justitiam ac jus concernunt, decernere solent Visitationes & Residentiæ ad Pro-regum curam pertinentes, Præsides, Iudices, Ministri & Curiarum Officiales, Governatores, Capitanei generales, *Corregidores*, & quibuscunq; Regij reditus commissi sunt, Procuratores, Thesaurarij, & rationibus Præfecti, pertinent huc causæ, quæ secundam supplicationem flagitant, aliaque quæ præfecturas & Indorum in suis tractibus regimen concernunt. Conformia autem sunt jura hæc Mechliniensi Curia, auditis enim partibus adversis & examinatis hinc inde utriusque documentis, citatisque actore & reo, jamque lice decisa instrumenta authentica ad Concilium mittuntur, ibidemque peremptoriè determinantur. *De Juris
admini-
stratione.*

Etiam de conferendis præmijs & favoris casibus hic agitur, quia ex ejusdem Concilij arbitrio constituuntur Pro-reges, Præsides, Iudices, Balivi, Officiales, alijque Governatores, Capitanei generales & *Corregidores*. Etiam qui forensibus munijs funguntur qui reditibus præfecti sunt, Archi-Episcopi, Episcopi, Decani, & quotquot Ecclesiarum præbendis gaudent Canonici, & si qui vel Hispanis vel Indis præsunt Officiales. Penes idem Concilium est alia honorum iusignia in benè meritos conferre, qualia sunt *Habitos* trium Ordinum, de *Sant Jago*, *Calatrata*, & *Elcantera*, tituli que Thalassiarum & Mareschalcorum. *De præ-
mijs & ho-
norarijs.*

Ea quæ Regij sunt juris, sive jura patronatus, in eodem quoque Concilio tractuntur, constitutumque, ut Indiarum patronus sit idem Rex, ac *Novi Orbis* sibi vindicet imperium. Utque litteræ & Apostolicæ Bullæ, omniumque beneficiorum tam Ecclesiarum quam secularium collationes regio patronatui, ac foundationibus Ecclesiarum, Cœnobiorum, Parochiarum, & Nosodochiorum non præjudicent. Quod si contingat munus aliquod vacare, Episcopi erit hoc ipsum publico programme significare, & ex eorum, qui munus ambiunt, numero duos magistratui sistere, sive is Pro-rex sit, sive Præses, sive hujus vel illius provinciæ Magistratus, quo ab his unus eorum eligatur, non titulo perpetuo, sed provisionaliter & sub formula *ad nutum mobile*. Illum enim conferre Regis est. *De Regis
patrocino.*

Bullæ quoque omnes & litteræ, aliaque quæ Romæ concipi debent diplomata, ad Sena-

DESCRIPT. INDIAE OCCID.

Senatum Indicum perferuntur, nec in India obtinent, nisi prius in Senatu examinata & probata fuerint, & si qua in ijs fiat mutatio, ea de re certior redditur Pontifex.

Quare ut relicta India in Hispaniam transmigrem, hoc aio, ex nullare illustriora potentia *Novi Orbis* documenta percipi posse, quam ex intuitu *Domus Contractuum*, quæ Hispali est, quæ Præsidem habet, Quæstorem, rationum Magistrum, Procuratorem, Iudices, Fiscalem. Penes Præsidem est curare ea, quæ ad expediendas classes Indicas faciunt. Quotannis autem septem aut octo naves præfidiariæ exstruuntur, quæ *Terram Firmam* petunt, & aliquot *Pataches*, quæ opes regias ex India transvectant. Hæ naves Generalem habent, Admiralium, & Duces aliquot peditum, a tormentis alioque apparatu bellico instructæ.

Tria monebo & finem faciam. Primum est maximè idoneum & oportunum in Indiam commeandi & remeandi tempus esse Mense Februario & Martio.

Alterum est, classes, quæ *Terram Firmam* petunt, mense Ianuario, aut uno mense antequam naves actuariæ solvant ventos Orientales nancisci.

Tertium est, naves præfidiarias solvere è portu *S. Lucar*, aut sinu *Gaditano*, & in conspectu *Canaria* navigare, atque hinc cursum dirigere versus Indiam, donec in conspectum se dent *Dominica* & *Matalena*, quæ ab Indis quibusdam nondum domitis inhabitantur. Atque hic sibi de aqua recentiore prospiciunt. Mox recta *Cartagenam* petunt, lecto

ferè *Terræ Firmæ* littore, quæ primum detecta fuit. Hinc in *Porto Belo* aliaque loca

itur; quod ipse testari possum, qui superatis varijs & maris & terræ periculis

hæc loca peragravi, non sine gratiæ Divinæ ope, quam per sanctæ Crucis

merita implorabam semper. Ideoq; gratitudinem aliquo officio

testaturus, hæc breviter litteris exaravi. Faxit Deus, ut hoc

opusculum aliaque nostra studia ad Ecclesiæ suæ

ædificationem & nominis sempiternam

gloriam cedant.

F I N I S.









114



ANUARIO
HERNAN
DE
OCCIDENT



Real Observatorio de la Armada

BIBLIOTECA

5414